





1
7
372












M. HENRICI KIPPINGI
RECENSUS
HISTORIÆ
UNIVERSALIS
LIBRI XXIV.
In quibus Origines et Successus Gentium exponuntur.

FRANCOFURDI & BREMÆ
Sumptibus Erhardi Bergeri
Bibliopolæ.

Politica

Historica

Chr. Hagens sculpsit.



M. HENRICI KIPPINGI RECENSUS HISTORIÆ UNIVERSALIS

Novus & Methodicus.

LIBRI XXIV.

Continentur

Res gestæ summorum Orbis Imperiorum & celebriorum

Per

Europam, Asiam, Africam Gentium:

Describuntur


Origines & Successus domi ac militiæ, emigrationes, mutationes, occasus illustrium Regum, Principum, Populorum, Virorum, à reparato generis humani statu post diluvium, serie continuâ, adusque præsentis anni curriculum.

Prolatis ad fidem abundè faciendam testimoniis Historicorum, Fastorum, veteris recentiorisq; ævi Annalium, summâ fide & industriâ debitâ:

Nec non temporum supputatione ad marginem consignatâ, quæ accuratissima perhibetur.



BREMÆ ET FRANCOFVRTI,
Sumpt. ERHARDI BERGERI.
Typis ÆGIDII VOGELII.
M. DC. LXV.





ILLUSTRISSIMIS ET GENEROSISSIMIS
D. D.

COMITIBUS
CONRADO CHRISTOPHORO

von KöNIGSMARCH, Comiti in Westervvyk & Stegholm, Domino in Rodenburg & Neuenhauss, Sacræ Regiæ Majest. Suedorum designato Generali Majori & Colonello, Vice-Gubernatori in Ducatibus Bremensi ac Verdensi,

Nec non

OTTONI WILHELMO von

KöNIGSMARCH, Comiti in Westervvyk & Stegholm, Domino in Rodenburg & Neuenhauss, Sacræ Regiæ Majest. Suedorum Proto-Camerario.

Dominis suis Gratiosis D. D. C.

ETsi honestæ disciplinæ omnes mirificâ quâdam & singulari afficiunt voluptate ingenuos animos; diffiteri tamen nemo prudens poterit, suavissimam longè Eruditionis partem esse Historiarum cognitionem. Non certè thymus apibus, aut ros cicadis gratior esse potest, quàm liberalibus ingeniis antiquitatis commemoratio jucunda est. Sed nec minorem utilitatis fructum lectio Veterum monumentorum vitæ humanæ afferre credenda est. Contentus ero hic eam exponere *Basilii Imperatoris Constantinopolitani* sententiam, qui cum Filio Leoni, in Imperio successori benè imperandi præcepta traderet, Historiæ lectionem summo studio ipsi commendavit, & excellentissimum hoc paterni affectûs monumentum reliquit. Per Historias, *inquit*, veteres ire ne recusa. Ibi enim reperies sine labore, quæ alii cum labore collegerunt; atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conversiones; mundi hujus instabilitatem, & Imperiorum præcipites casus; &, ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugies, ne in divinæ justiciæ manus incidas; hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris. Aurea sanè verba, quæ summam continent penè omnium eorum, quæ de Historiâ, ejusque fructu laudabiliter dici possint. Præclarè ergò de studiis literarum merentur, qui

hoc nobilissimæ doctrinæ genus propagant ad posteros divinâ quâdam ingenii felicitate, & quæ in tot Scriptorum libris seorsim latent, eruunt quasi in lucem, & collecta in unum veluti fascem, ac ordine lucido disposita, uno, eoque non admodum magno volumine comprehendunt. Quod quidem egregiè præstitit, eòque insignem meritus est laudem, Clarissimus hujus Operis Autor. Quem excellentis ingenii fætum, ut & pro meâ virili rem proveherem literariam, sumptu meo typis exscribi curavi, & cum doctis, ac talium cupidis studiosisque communicare, bonum factum putavi. Cum autem circumspicerem, cui, aut quibus Recensum hunc Historiæ Universalis, ex more jam inde à plurimis seculis usitato, nec forte illaudabili, consecrarem, Vos Illustrissimi & Generosissimi Comites, Magno Patre dignissima soboles, bonâ quâdam occurristis fortunâ. Enimverò neminem paulò intelligentiorem præterit, amare Vos impendio, & comprehensum animo tenere, tùm literarum omne genus, tùm Historiam imprimis, unicam illam Prudentiæ tàm Sagatæ, sive Militaris, quàm Togatæ, sive Civilis, vel Genitricem, vel Nutriculam, atque Alumnam. Et hæc sunt illa adminicula, quorum ope Alter Vestrûm ad apicem & fastigium honorum Castrensium jamdudum sibi gradum fecit; Alter obitis tot & tàm longinquis, magnique momenti Legationibus dexterrimè, ac felicissimè, ingentem sibi, & commemorabilem, maximè peperit laudem, & gloriam conciliavit. Accipietis itaque, Illustrissimi & Generosissimi Comites, vel Incliti Genitoris Vestri, Herois sine dubio incomparabilis, gratiâ, cujus in hoc Recensu crebra meritissimò & honorificentissima ob res in bello fortissimè & cum admiratione hominum gestas, fit mentio, hoc qualecunque humilis observantiæ erga Vos meæ pignus, serenis, id est, fortunâ & virtute Vestrâ dignis vultibus. Quod ut facere, & me gratiâ ac clementiâ Vestrâ prosequi velitis, quantâ possum animi submissione obnixè peto, atque contendo. Supremum Numen supplex & ex animo veneror, ut Illustrissimam Familiam Vestram, omni felicitatis ac prosperitatis genere cumulatissimam, & faustissimis rerum pace belloque gerendarum successibus ornatissimam, ad finem usque mundi florere ac perennare jubeat, velitque. Dabam Bremæ, die III. Martii, ANNO M. DC. LXV.

Illustriss. & Generosiss. D. D. Comitum
Obsequiosissimus Minister

ERHARDUS BERGERUS,
Civis & Bibliopola Bremensis.

RECENSUS
HISTORIÆ UNIVERSALIS
TOMUS PRIMUS.

Quo continentur
LIBRI XIX.

Et describuntur

Res gestæ quatuor Summorum Orbis Imperiorum, nec non celebriorum Populorum in Europâ.

CLAUDIANUS
In Panegyrico de IV. Consulatu Honorii.

Antiquos evolve Duces, assuesce futuræ
Militiæ. Latium retrò te confer in ævum.
Libertas quæsita placet? mirabere Brutum,
Perfidiam damnas? Metii *sattabere pœnis.*
Triste rigor nimius? Torquati *despue mores.*
Mors impensa bonum? Decios *venerare ruentes.*
Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto
Oppositus Cocles, Mutii *te flamma docebit.*
Quid mora perficiat? Fabius: *quid rebus in arctis*
Dux gerat, ostendat Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc, nullos meritis obsistere casus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam
Regule. *Successus superant adversa* Catonis.
Discitur in quantum paupertas sobria possit.
Pauper erat Curius, *Reges cum vinceret armis.*
Pauper Fabricius, *Pyrrhi cum sperneret aurum.*
Sordida Serranus *flexit Dictator aratra.*

HISTO-

HISTORIÆ UNIVERSALIS
LIBER PRIMUS
Quo continentur res gestæ sub Monarchiâ Babylonicâ.

CAPUT I.
De rebus gestis Babyloniorum.

I. A.M. 1658. *Iosephus Lib 1. Antiquit. Sulpicius Severus lib. 1.*

POstquam diluvium cessaverat, novam benedictionem generi humano impertivit Deus, ut crescerent ipsi atque orbis habitaculum amplissimum occuparent. Leges adjecit, *ut vescerentur carnibus, ne læderent proximum, ut facinorosi per judicia publica damnarentur, ne carnibus crudis in esum adhibendis delectarentur.* Sponsionem fecit, quod deinceps Orbis non deberet unquam novo diluvio obrui, Iridis arcu prolato, quo homines de servando fœdere certi essent. Reparator Orbis Noah, ad agros hortosq; colendos animum adjecit, vites sevit, ebriusq; factus cepit ludibrio haberi à Chamo filio minore, corporis neglectum exprobrante patri seni, unde factum est, ut pater malitiam ulcisceretur prædicto, fore ut posteri ejus maxima mala certò subirent, quando Avi magni exempla secuti, mali esse perseverarent.

II. Erat hic minimus Noæ filius, melioris præ illo animi erant Japhetus maximus, & Semus ætate medius. Orbe toto propagaverunt familias, Colonias deduxerunt, dominia instituerunt, Europæ, Asiæ, Africæ agros percoluerunt, in Americam serius quoque progressi, cujus gentis mores à Phœnicum institutis parum discrepantes, origi-

originem demonstrant. Chamus filium habebat Chusum, à quo Nimrod prosatus, dominatum sibi oblatum à parte populi suscepit, vicinosque libertate minus benè usos, quandò prædas agendo quævis impunè corripere vellent, armis oppressit, legibusque circumscripsit, de colendâ pace & non inferendo damno, quod ferarum esset, non verò hominum rationis dono ità liberaliterà Deo instructorum.

III. Hactenus Armeniam & Sogdianam incoluerant, porrò ad Euphratem Asiæ fluvium amœnissimum profecti Babylonem urbem in ripâ ejus condiderunt, potentiæ firmamentum, in quâ latere tuti & imperium amplissimum conari possent munitam adeò ut viribus humanis everti non posset. Dum multa non segniter promovet Nimrodus, ut Orbis Dominus esset, fatali impulsu commotæ gentes abruperunt concordiam uno propè seculo utcunque conservatam, & remotiores petendo regiones, novis urbibus exstructis, alios alibi locorum designaverunt Reges, Asiæ verò citerioris pars maxima Nimrodo constanter adhæsit, & celebres in eâ populi, Syri, Assyrii, Medi, Persæ, ad Tigrim exstructa est Ninive, decus Orientis.

A.M. 1850. IV. Eum defunctum Chaldæi sacrorum corruptores pro Divo Indigete, coluerunt, in Saturni sidus relatum. Belum filium suum habuit successorem, qui colonias novas in Scythiæ & Caspiæ desertas terras emisit, perinde felici rerum successu gavisus, uti pater, eundem honorem post obitum accepit, Jovis sideri adscriptus, unde ex alto videret mortalium eventa, ac succurreret quando precibus seriis pro ope ferenda rogaretur. *Euseb. l.9 præparat. Evang. cap.4.*

V. Post hunc regnavit filius Ninus bellator alacris, postquam de finibus regendis controversias ei moverent vicini Indorum, Bactrianorum, Libyum, Arabum Reguli, armis causam egit, feliciter plerumque, ac domitis hostibus incrementum maximum sortitus est, cumprimis victor adversus Zoroastrem, famosum incantatorem, qui primus dicitur siderum motus ad divinationes illicitas applicavisse, atque ævo isto Bactrianis cum potestate regiâ præerat. Reliquit impuberem filium Ninum, & Semiramidem viduam. A. M. 19 5. *Iustinus lib.1. Diodorus Siculus lib.2.*

VI. Semiramis apud Syros nobili genere orta, pulchritudinis beneficio meruerat copulari Nino, cæterum prudentissima & artis regnandi haut imperita, supremâ defuncti mariti Regis voluntate imperium administravit, donec filius ætatem justam assequeretur. Libyas & Arabes ultrà Eufratem accolas, Nomadum A.M. 1957. *Diodorus Siculus lib.2.*

dum more latrocinia agitantes gravi bello afflixit. Babylonis mœnia novis propugnaculis adjectis invicta effecit, Tigris & Euphratis alveos perfosso divergio conjunxit, ut commercia toto Oriente nobilissima ad urbem Regiam facili opera traduceret. Novo matrimonio abstinuit, quia impari nubere nolebat, filii verò sui concubitum incestum appetivit, & jussu ejus interfecta est. *Strabo lib. 16.*

A.M. 1999. VII. Ninus II. matre cæsâ regnavit, ocio & voluptatibus deditus. Exemplum secuti, quicunque successerunt, omisso armorum studio, cum vicinis populis fidam pacem servabant, & responsa gentibus per internuncios dabant. Nomina sunt, Arius, Aralius, Baleus, Armatrites, Belochus, Baleus II. Altadas, Mamitus, Mancaleus, Sphærus, Mamelus, Sparetus, Ascatades, Amyntas, Belochus II. Bellopares, Lamprides, Sosares, Lampares, Panias, Sosarmus, Mithræus, Teutanes, Teuteus, Arabelus, Chalacus, Anabus, Babius, Thineus, Dercylus, Eupacines, Laosthenes, Poritiades, Ophrateus, Epachieres, Ascrazapes. In his omnibus, longâ quamvis serie, narrandi argumentum deficit. *Diod. Sicul. l. d.* A.M. 2037. & seqq.

A.M. 3057. VIII. Excepit hos Sardanapalus abjectæ vitæ, adeò ut sexus negligens, & oblitus quod vir esset, mulierum vestimenta adhiberet, mulierum & spadonum cœtibus solum delectaretur, lanam & linum ad colum traheret, fuco genas pingeret, scorta permolendo viriles animos exoletis suis coram ostendebat, neminem procerum alloquio dignatus. Pertulerunt hi Regis mores, tùm quod specie majestatis suæ conservandæ Reges solebant non omnibus domi esse, tum quod in magna rerum licentia præfecti quicunque de publico decerperent, ut privatis opibus augmentum ingens accederet. Arbaces Mediæ præfectus de Regis luxuria secius censebat, cumque de popularium suorum statu nunciaturus veniret ad aulam, Regis præsentiam supplex rogabat, sed nô impetrabat, eminus verò digito eum monstrabat Spado ostiarius picto ore nidentem, & cum semiviro comitatu suo purpurea fila trahentem. Commotus animi ille, quod tot mille viri fœminæ uni subessent, redit in provinciam, exercitum scribit, libertatem indicit. Commilitonem assumit *Belochum* Chaldææ prætorem, divinum celebrem, & hic ausus est secundum artis suæ prædicta felicem eventum polliceri, modò res præsenti animo & manu gereretur. Arbaces Deorum veluti consensu lætus, copias Medorum Caspianorumque educit, *Iustinus lib. 1.* *Diodorus Siculus lib. 2.*

fines Aſſyriæ invadit,ei ad Tigri-
dis ripas obvius Sardanapalus
prælio dimicat, hoſtes profligat,
cæſosque procul ultrà Taurum
montem repellit. Ad ſolitos otii
& inertiæ ludos reverſus, Arba-
ci ſpacium dat laceratas copias
reparandi, neq; hoc difficile erat
illi qui rebellionis damnatus,
gratiam Regis certò deſperave-
rat, igitur novos delectus Sog-
dianorum & Bactrianorum ex-
ciebat, mediocres quidem ſed
alacres ſatis. Horum ope fidâ
uſus Aſſyriam rumoribus imple-
bat, Regis copias in caſtris inva-
debat, cædebat, ſpolia opulenta
capiebat, & provincialium afflu-
xu recreatus victoriam perſe-
quebatur, Niniven obſidione
cingebat. Biennio ad mœnia
ejus pertinaci ſtudio excubabat,
ut fami incommodo exhauriret
incolas, oraculo per Magos quæ-
ſito reſponſum dabatur, *capi ur-
bem non poſſe antequam Tigris flu-
vius hoſtiliter ageret*, hic imbri-
bus maximis ad ſe receptis excre-
vit repente, & alluvionis incurſu
A.M. partem mœniorum dejec t. Rex
3077. non falsò reatus, adeſſe tempus
perituræ urbis, intrà palacium
conſtruebat rogum, & ſubjectis
facibus ſpontè deflagrabat, forti-
ter mortuus, qui muliere cor-
ruptiorem vitam
egerat.

❧ (◦) ❧

CAPUT II.

De rebus geſtis Medo-rum.

I. EVerſis Ninivitani Imperii
opibus, rerum mutatio fa- A.M.
cta eſt, populis in contraria ſtudia 3078.
euntibus, & Reges novos deli- *Diodorus*
gentibus, Medis, Aſſyriis, Chal- *Siculus*
dæis. Cum Medis ſociati Caſpiani *lib.* 2.
& Perſæ ARBACEM Regem habe-
bant, feliciſſimum novi Imperii
conditorem Ejus filius MANDA-
CES adverſus Aſſyrios modicis A.M.
imperii finibus haud contentos 3105.
decertavit uſque. SOSARMUS am- A M.
pliores fines permiſit Aſſyriis, qui 3155.
deinceps bello multum præſtite-
runt in vicinæ Aſiæ partibus, ubi A.M.
Syri & Palæſtini habitabant. AR- 3185.
TICAS pacem ſervavit, nec non
CARDICEAS exemplo ejus, porrò
DEIOCES è proceribus aſſumptus
liberis votis, poſtquam Arbacis
familia deſecerat, juſtitiæ laude
celebris. PHRAORTES turbas à A.M.
Perſis motas compoſuit, ſed ab 3292.
Aſſyriis victus prælio magno oc-
cubuit.

II. Reſtaurabat bellum CY- A.M.
AXARES filius ejus, ut patris ne- 3314.
cem ulciſceretur, victor prælio *Herodotus*
Aſſaradinum Regem compelle- *lib.* 1.
bat intrà urbem Niniven, agros
circumſitos exhauriebat. Interim
Scythæ Medorum ſtipendiarii
olim, duce Madia in Mediam
progreſſi vaſtabant omnia, ut

coactus Cyaxares discederet ex Assyria, inde ab hostibus cæsus, è regno profugus viginti octo annis in Lydorum finibus provixit. Scytharum copiæ majores erant ac ut aperta pugna superari possent, tandem ad negligentiam delapsi & crapulis enervati im-
A.M. provisò in stativis suis cæduntur,
3344. qui à clade remanserant ad patrios agros pauci redierunt. Cyaxares veterem offensam ex animo non deposuerat, itaque Nabopallassaro Chaldæo sociatus, longinqua corona fatigatam Niniven expugnabat, Rege interfecto, incolis pulsis, solo æquabat, ditiones ex æquo partiti Medi, Chaldæi, Lydi, armorum lucro gaudebant, quod potentissimum vicinum evertissent.

A.M. III. ASTYAGES ultimus Rex fi-
3355. liam suam unicam Mandanen
Herodotus l. 1. matrimonio jungebat Cambysi Persæ nobili. Somnio territus, quod viderat ex utero Mandanes prodire vitem, passis adeò foliis, ut Asiam obumbrarent, metuebat secundum responsa Vatum, regni conversionem à turbis magnis orituram, quas moveret iste Mandanes filius. Gravida tantisper mater, in oculis Regis parit filium, educationem nepotis arrogat sibi avus, nec poterant hoc ei denegare parentes. Mater ignara consiliorum, quæ animo infido volvebat Rex, abit ad maritum, puerum accipit Harpagus aulæ magister magnus, ut eum necaret. Facinus aversatus Harpagus, & Principis matris iram veritus, cum res evulgaretur: nec tamen Regis dicto inobsequens, tradit puerum armentario Mithridati, ut projiceretur in silvis, ubi vel in prædam cederet Lupis, vel proculcaretur vaccarum ungulis. Armentarius deponit puerum in silvis, quo facto domum suam adit, uxorem Spaconem rogat de nece inferenda puero, fecerat illa abortum eodem die, maritoque persuadebat, ut reversus ad silvas puerum tolleret. Redibat ad locum sibi notum & inveniebat canem fœminam puero ubera præbentem, ferasque depellentem. Motus & ipse misericordia, qua motam etiam canem viderat, eadem cane anxiè prosequente, deferebat ad stabula puerum vivum, mirè venustum, domique asservatum educabat, abortum ictibus quibusdam fœdatum in corpore & facie, ut proculcatus ungulis crederetur, reddebat Harpago ad sepulturam. Res peracta est, neq; Harpagus inquisivit de veritate facti, puer in domo armentarii provixit, Cyri nomen adeptus, quomodò Caspiani vocabant Solem Deorum maximum. Annos decem habebat Cyrus, ludum inter æquales suos, nobilium filios, sectatus, & sorte lectus: ut ludicra quædam imperaret Regu-

lus, cæteri parerent, pertinaces, aliqui Regulum ignobilem ſpernebant, ipſe impatiens contumeliæ verbera inflixit ad livorem. Horum parentes in aula querebantur ſuper ferocia armentarii. Rex nobilium cauſæ æquior in jus vocabat armentarium, aderatque ille cum filio Mandanes, ut cauſam diceret, proinde Cyr9 dicebat, *feciſſe ſe ut Regem, cujus dicta contemnere nemini impune liceret*. Rex diligentius inſpiciens Cyri faciem, matri exactè ſimilem, inſuper occulto Numinis incitu compulſus, agnoſcebat nepotem, fatebatur armentarius, quod eum neci deſtinatum uxoris ſuæ precibus exoratus donaviſſet. Ad ſtabula non rediit, miſſuſque in Perſiam, procerum omnium ſtudio, velut Regis nepos, addictè coli cepit. Harpago infenſus Rex, quod nepoti ſuo vitam dediſſet, crudelem vindictam adverſus eum exercuit, invitatum ad epulas ſolennes barbaro miſſu, quem de filii ejus interfecti carnibus adornaverat, exſaturavit, caput, manus pedeſque cruentos in menſis ſecundis appoſuit, ut coram videret quem comediſſet. Diſſimulavit aulæ artium callentiſſimus dolorem, ac preſſit corde hactenus, poſt quam verò adoleverat Cyrus, literis plurimis ad eum exaratis hoc unum ſemper inculcavit, ut Regis impietatem experimento bellico ulciſci vellet, ſe non defuturum cauſæ, quoniam & Regis copias in poteſtate ſua haberet, ac procerum animos à Rege averſos noviſſet. Tantis ſubſidiis fr tus Cyrus, leviſſimum rumorem inter Perſas nobiles evulgat de corripienda libertate adverſus impotentem Medorum A.M. 3391.
dominatum, aſſenſerunt illi & armis prolatis in Mediam excurrunt, præſidia valida volente Harpago ad illos deficiunt. Rex quidem prælium hoſtibus offerebat veteranis legionibus comitatus, & Perſarum acies ad fugam inclinabat, ſuccurrebat Harpagus viriliter, atque ipſæ Perſarum uxores veſtibus ſublatis, *an vellent ad uteros ſuos confugere*, audaciter quærebant, ita in prælium reverſi profligabant Medos. Rex captivus à victore Cyro hanc legem accepit, *ut fiduciario nomine Medis præeſſet*, quod ille conſtanter recuſando Hyrcaniæ præfecturam obtinuit, atq; inter Caſpianos nobiles inglorius conſenuit.

CAPUT III.

De rebus geſtis Aſſyriorum.

I. CUm Medis perpetuas lites habebant Aſſyrii, & verò poſtquam Sardanapalus deflagraverat, nobilem populum valde an-

de angebat, imperio alterius sub-
jici, qui imperio alios comprime-
re assueverat. Sosarmus libera-
A.M. vit sese à turbis illis & Pful-Belo-
3180. chum Dynastam regnare permi-
sit, qui citerioris Asiæ regiones
armis pressit, & Manahemum
Palestinæ Regulum ad vectiga-
lia solvenda coegit. Deinde TI-
GLATH Phul-Assar imperavit,
A.M. Syriæ & Palestinæ victor. Ejus
3216. filius SALMANASSAR fortis
bello diripuit Gethæos & Sido-
nios. Ad Tyrum quinquennio
obsidionem urgens, ne urbem
præpotentem expugnaret, obsta-
Iosephus bat quod navali pugnâ inferior
lib. 9. per littora dispositas copias pro-
pius admovere non posset, no-
vum bellum quoque inferebat
Cardiceas Medus, sed hunc pu-
gna in Arbelæ campis victum
mulctabat provinciis opulentis
ad mare Caspium sitis, ubi nunc
sunt Iberia & Albania, tunc Ca-
A.M. dusii habitabant Medorum ho-
3227. stes. Samariæ regnum adortus,
incolas procul abduxit in agros
Medis ereptos, vicissim Medo-
rum & Caspiorum populos in lo-
ca illa deduxit, ne silvescerent,
aut feris opplerentur.
A.M. II. SENNACHERIB patris ex-
3231. emplo bellator egregius, sed im-
pietate molestus, quæ ipsum tan-
dem perdidit. Mesopotamenos
& regionum multarum poten-
tes Arabas domuit, inde contrà
Ægyptios vicinos expedivit, ubi
Sethon regnabat, literarum stu-
diis melior quàm bello, itaq; Li- *Esai. 20.*
byes, quorum Rex erat Tearkos, *3. 4.*
auxilio vocati non sustinuerunt *Ier. 46. 25.*
vim hostium, qui progressi regiã *Nah. 3. 8.*
urbem No & Serapidis delubro
celebrem incendebant. Ad Pelu-
sium variavit fortuna, ubi mu-
rium agrestium catervis afflicti *Herodotus*
& agrorum sterilitatem haut am- *lib. 2.*
plius ferentes, emigrabant in
Phœniciam capiebantque Azo-
tum. Interim Ezechias Hebræo-
rum Rex vectigalis Imperii Assy-
riaci, rumore perlato de infelice
in Nili ripa expeditione, & reces-
su Assyriorum, (quem ipse fugam
interpretabatur) deficiebat, im-
par verò armis, à tot gentium Im-
peratore damna ingentia regno
suo certò poterat vereri, nisi Deus
prodigiosis hostium criminatio-
nibus ad iram justam commotus
peste immissâ copias florentissi-
mas derepentè absumsisset. Rex
Niniven reversus, & barbaris sa-
cris expiaturus Indigetes Divos,
victimæ destinabat filios suos Sa-
rassarum & Adramelechum, oc-
cisus verò ad impias aras vitæ fi-
nem habuit.

III. Qui cædem fecerant,
vitam pro spolio auferebant,
& Medorum Regi supplices ar-
mis repetebant imperium, quo-
niam ætate majores erant. Pro-
ceres verò eos repudiabant, &
minorem filium ASSARADO-
NEM solio imponebant. Hunc
Phra-

Phraortes Medus ab exulibus incitatus bello invadebat, prælio ingenti victus ipse perimitur acie. Ne Medi pergerent, Scytharum colluvies ab Oxo fluvio progressa, cultos Asiæ agros depopulando, prohibuit.

IV. Asnapar ultimus, novo bello petitus à Cyaxare Medo, quia armis inferior erat, cum vitâ regnum amisit.

CAPUT IV.

De rebus gestis Chaldæorum.

I. AD opprimendum Sardanapalum operam omnem viresque contulerat Belochus prætor Chaldææ, ejusque meritis hoc dederat Arbaces, ut amplissimam provinciam administraret. Postquam turbæ apud Medos invalescerent, & per Assyriorum auctas vires semper eis decederet, factum est, ut Nabonassar firmaret potentiam suam, & Babylonios perfectæ libertati restitueret. Ejus successores Medorum Regibus amicitiâ firmâ juncti, ab Assyriis verò non leviter afflicti, per Scytharum incursiones pulsi etiam, in dubio rerum statu provixerunt, donec Medi virium compotes Barbarorũ latrocinia armis feliciter prohiberent. Ex illis Nabopallassar in sociam cum Cyaxare militiam profectus, magnum Assyriæ devictæ tractum occupavit, nec non Palestinæ deserta, (ubi Cuthæos, novos ab Iberiâ colonos, locaverat Assaradinus) partemque Ægypti.

A.M. 3078.

A.M. 3203.

Ptolomæus in Canone.

A.M. 3325.

II. Ejus filius Nabuchodonosor Reges omnes Asiæ pacis bellique artibus superavit, Magni cognomine dictus. Palestinæ Regulos repetitæ perfidiæ in militari consilio damnatos expulit, subditos in peregrinas terras deportavit, nobilissimam urbem Hierosolymas incendit. Pari fortunæ cursu Arabum, Libyum, Phœnicum Reges subegit. Necaonem & Apryem Ægyptiorum Reges multis clientelis subnixos, multis præliis fregit. Tyrios duodecim annorum obsidione vexatos coegit, ut navibus conscensis abirent in Africam, urbs vacua ignibus injectis exurebatur.

A.M. 3342.

Iosephus lib. 10.

Ierem. 25. 26. 27.

III. Maximus hic Regum omnium, quos unquam vidit orbis, ad tantam potentiam evexit Imperium Chaldæorum, ut successores ejus in conservanda illa non parum laboraverint. Evilmerodach filius ejus domi quietus resedit, Medorum fœderatus, ab Ægyptiis nihil veritus, qui domesticis litibus corrumpebant omnia. Demum occisus à Magistro aulæ Neriglossoro, qui Regis sororem in matrimonio habebat, cumq; filium non haberet, civium suffragio in soli-

A.M. 3386.

A.M. 3393.

solium evehitur BALDASSAR, favore avi, qui Niriglossorum adsciverat generum, & quia ætate minor erat, pater loco ejus administravit imperium, crudelius aliquantò, nec melior isto Baldassar, provectior ætate ac potestatis suæ factus, multorum procerum opes per calumniam rapuit, multos occidit, voluptatibus prorsus immersus, itaque aggressi eum inter epulas, multo vino ebrium, Gabates & Gobrias fustibus occiderunt, palacium tumultibus cruentis impletur. Sed tamen desiverunt, cum NABONIDUS Babylones prætor, gente Medus Rex designabatur omnium voto, maximarum virtutum cultor, boni ominis nomen promeruit ut vocaretur *Darius* à Babylones incolis. Successu non magno gavisus, postquam multi per Asiam præfecti rebellionem agitarent, parum reveriti Principem ortus peregrini, familiæ obscuræ. Ei bellum fecit Cyrus Persa, victumque prælio ad Borsippam vicum in Euphratis ripa, in captivitatem redegit, indè Carmaniæ præfectura donavit ultrò etiam cupientem, ne ad Babylonios suos remitteretur. Babylon dedita victori Persarum imperio accessit.

A.M. 3395. *Xenophon lib. 7.*

A.M. 3396.

A.M. 3412.

❧ (o) ❧

CAPUT V.
De rebus gestis Ægyptiorum.

I. PRimus apud Ægyptios leges condidit OSIRIS Rex, alio nomine SARAPIS dictus, postquam ab obitu suo inter Divos relatus est. Uxorem habuit Isidem, aulæmagistrum (*Mercurium*, uti eum Græci vocabant) Hermetem, sacris ordinandis accuratè intentum. Rex ipse per Africam & partes Asiæ imperium suum latè constituit. Secuti eum Reges *Bocchoris*, *Nitocris*, *Myris*, & felicissimus bello SESOSTRIS, qui Arabes, Libyas, Indos vicit, superbus ità ut captivos Regulos carpento suo, quo vehebatur, equorum instar adjungeret, percussus est gladio à fratre suo dum sacris operabatur ad Serapidis aras. AMOSIS ille est, qui Josephum Hebræum aulæ Rectorem habuit. Post eum *Cenchres*, *Busiris*, *Ramesses* vanæ gloriæ studio impulsi Pyramidum exstructionem ceperunt, magnis sumptibus. ACHORES duro bello à Libyæ gentibus vexatus, cum Hebræis partium Ægypti habitatoribus pepigit, ut Mose duce incolumes emigrarent, mox facti pœnitens insequitur eos prope Arabicum sinum in castris detentos, quia itineris incommoda multa pre-

Diodorus Siculus lib. 1.

mebant, itaque miraculo effectum est ut tempestatibus immissis aquæ velut in partes dividerentur, solo detecto, per quod Hebræi accelerando iter ad tutiora loca evadebant, Ægyptii ab undis comprehensi mergebantur unà cum Rege. Hanc cladem acceperunt Ægyptii, non levem sane, & deinceps multis seculis eorum Reges contenti magis ut defenderent propria, quam ut diriperent aliena, in pace vixerunt, donec Assyrii vicini adversus eos hostiliter agere ceperunt.

A.M. II. Horum arma cominus vidit
3206. SABACON è Libyũ populis accer-
Herodotus situs, ut pariter Ægypto præesset.
lib. 2. Justitiæ amans optimas leges tulit adversus otiosos, segnes, mendicos validos, ut ad publicos labores, aut verò ad ferenda arma cogerentur, quod novum aliquid esse videri poterat in gente
A.M. pacata. Reversus ad populares
3214. suos, SETHONEM habuit successorem Vulcani sacerdotem, qui in contraria studia versus, ut sumptibus parceret, milites abrogavit, proindè Sennacheribi Assyrii armis pressus, & Regia urbe pulsus, vix impetum hostis magnanimi pertulisset, nisi eum Libyes copiis auxiliaribus submissis defendissent tantisper: his verò etiam per Assyrios cæsis, nova calamitas affligebat victores, etenim mures agrestes à desolatis agris progressi noctu militum scuta coriacia arroserunt, annonam quoque absumserunt, ut cum fame luctari illi, ne omninò perirent, abire mallent. Sethon brevi posteà renunciavit imperio, author quoque proceribus, ut cum Libyum populis firmam amicitiam inirent sub unius Regis imperio. Tantum effecit, ut Ægyptii obedientiam offerrent, Libyum Regi, qui tunc temporis erat TE-
ARCHOS. Rex novus loco restituit A.M.
edicta Sabaci popularis sui ad- 3238.
versus otiosos & inertes, ac perindè gentis voluptatibus magis, quàm militiæ studiosæ odium incurrit. Dissensu oborto, & quoniam ex Regia familia nemo supererat, Principes duodecim in totidẽ provinciis Regni ordinaverunt, ut communi consilio præessent secundum leges è Magorum scholis petitas, qui toto A.M.
Oriente sapientiæ laude celebres 3261.
maximè erant.

III. Principes duodecim intrà A.M.
breve tempus lites capitales invi- 3280.
cem moverunt, & verò pro con- Herodotus
cordia reparanda arbiter dele- l.d.
ctus PSAMMITICHUS maritimi tractus prætor, vir magni animi, operæ precium non fecit, itaque discessit à collegio rixis perplexo, conversisque in æquales armis, valida ope Jonum & Carum prædonum, qui mare tunc infestum habebant, adjutus, omnes illos prætores spoliavit seque Re-
gem constituit, Græcis agros Esaia 19. 2.

mari

mari proximos donavit, ut in fide & armorum societate permanerent. Profuit admodum Ægyptiis, quod occasione illa Græcorū institutis uti frui licebat, commercia incrementū acceperunt. Tantum à Scythis periculum imminebat, qui post devictos Medos, & vastatos ad Euphratem agros, imminebant Ægypto, regionis incomparabili fertilitate allecti. Muneribus datis pepercerunt regno civilibus cladibus valdè exhausto, ne solitudinem facerent.

A.M. 3334. *Herodotus l.2.* IV. Filius ejus NECAOS ad exemplum Græcorum, qui per mare comercia agitando creverant, classem emisit ad Indos Orientales, ubi aromata proveniebant. Bello potens voluit Chaldæos prohibere, ne vicinas regiones, post eversas Assyriorum opes, corripiendo, Euphratis ripam superarent. Has igitur cum exercitu suo insidebat, certus etiam quod prælio hosté invadere vellet, quandò ille extrà fines imperii sui progrederetur. Occurrebat ei in itinere Josias Palestinæ Rex, quem brevi pugna ad Magdalū vincebat. Rex vulnere saucius moriebatur domi suæ, Necaos pergebat, urbem regiam expugnabat, populo Regem fiduciarium imponebat Jojachimum. Eodem victoriæ cursu Gazam Phœniciæ redigebat in potestaté. Stabat in propinquo Chaldæorū exercitus, qui ad Cercusiū vicum prælio congressi magnam cladem attulerunt Ægyptiis, eosque Syria tota depulsos gravissimo damno affecerunt.

A.M. 3338.

V. Tanta NABUCHODONOSORIS virtus erat, & Necaos in mœrore vitam finivit. Secutus est APRYES, qui absente Nabuchodonosore aliquas Syriæ urbes recuperabat, navibusq; missis Cyprum Insulam occupabat. Redibant Chaldæi in Syriam, ægrè ferentes, quod ille defectionem Hebræorum adjuvisset. Concurritur prælio, vincuntur Ægyptii, & Nabuchodonosor prędatorias manus emittit in Ægyptum, stragem magnam hominum pecorumq; facit, ut Apryes ad quasvis pacis leges subeundas cogeretur. Vix respiraverant incolę ab hac clade, quandò novum sibi hostem excitabat Apryes. Libyum Rex Battus ejecerat Adicram Getuliæ principem, hujus causam armis agere cepit Ægyptius, eò minori cum successu, quod proceres veteranę cum Libyum populis amicitiæ memores, Getulorū petitis nihil deferrent. Rex prælio inferior hostem invitavit ut florentissimas regiones depopularet, tanto cum procerum tædio, ut Regi palam abrogarent imperium, rebellione pertinaci in vicem obligati, nec poterat eos Amasis Regni Satrapa magnus placare verbis, hunc verò etiam concursu facto Regem designaverunt, & palaciū ingressi Apryen occiderunt.

A.M. 3357. *Herodotus l.2.*

 VI. Igi-

A.M. 3382. *Herodotus l.d.* VI. Igitur Amasis pacem fecit cum Batto Rege, novis præsidiis confirmavit Cypri littora, nè prædonum injuriis expositi incolæ, agros incultos destituerent. Pacis amans, literarum & commerciorum studia utilissima promovit, regnum incolis, urbibus, opibus beatum effecit. Ejus
A.M. 3426. filius Psammenitus brevi tempore præfuit, Regum ultimus, Persiæ Regis Cambysis armis devictus, in potestatem alterius concessit, ac fiduciario nomine Ægyptum regere jussus, tantisper in fide perstitit, donec proditionis accusatus, & à Persis morte damnatus, venenum bibit atque obiit.

CAPUT VI.

De rebus gestis Lydorum.

A.M. 3159. *Herodotus lib. 1.* I. Apud Lydos primus Rex fuit celebris Ardysus è posteris Herculis Phænicis, qui gentis ejus principem Omphalen in matrimonio habuerat. Ultimus generis ejusdem Candales
A.M. 3221. *Iustinus lib. 1.* propola uxoris suæ, quam formosissimam habebat. Hanc omnibus vestibus exspoliatam exponebat oculis Gygis, quem cognatum suum militiæ præfectum supremum fecerat, inter festas epulas. Puduit nobilem fœminam, conjugii sanctum amorem insano Regis ebrii prolubio maculatum esse, inde maritum odio prosecuta Gygem instigavit, ut Regem somno deditum A.M. 3239. jugularet. Quo facto Gygem conjugio suo honoravit & Regio solio imposuit.

II. Gyges cum laude præfuit, opesque ingentes reliquit successoribus suis. Ordine exceperunt eum Ardys: Sardiattes: Halyattes A.M. 3272. cum exercitu adfuit in castris Cyaxaris Medi, eumque juvit in expeditione adversus Scythas. A.M. 3388. Ejus filius Crœsus primis regni *Herodotus l.d.* sui annis Ephesu potentissimam Græcorum in Joniâ coloniam obsidebat, cives viribus impares Regi, nec tamen ei sese dedere volentes, Dianæ Reginæ Cœli urbem domosque consecrabant, atque ità invictam futuram credebant. Utque Numinis fidem tantò arctius sibi obstringerent, Dianæ templum funibus cingebant, Divam ipsam preciosis vinculis parietibus templi longè magnificentissimi alligabant, ne si vellet, ex ui be abire posset. Verum nihil effectum est, mœnia cuniculis suffossa corruebant, milites ingressi urbem perdomabant. Reliqui Asiæ minoris populi ultrò Crœsum venerabantur post maximæ urbis casum. Rex successu elatus adversus Persas eduxit, cæsus prælio exercitum amisit, ipse profugus in Regiam urbem

urbem Sardes, hostem in palacio vidit prius quam illum urbi propinquum esse arbitraretur,
A.M. comprehenditur & Cyro victori tra-
3403. ditur, qui jussit ut rogo impositus exureretur. Deinde mutatâ sententiâ vivum abduxit in Persiam, & inter Regis amicos primo loco habuit, Lydos armis mulctatos, ut agris colendis vacarent deinceps, adegit.

CAPUT VII.

De rebus gestis Græcorum.

I. RES gestæ Græcorum per hoc temporis intervallum variæ sunt, partim belli testimonia, partim ad pacis artes excolendas aptæ. Deorum numerum
Eusebius auxerunt vel indigenæ, ut *Jupiter*,
in Chron *Neptunus*, *Pluto*, *Mercurius*, *Apollo*, *Mars*, *Vulcanus*, *Diana*, *Venus*, *Cybelle* vel advenæ ab Oriente & è Phœnicibus profugis, ut
A.M. *Saturnus*, *Minerva*, *Hercules*. Nec
1961. minor Principatuum numerus.
Pausanias *Sicyonii* in Peloponneso regnum
lib. . condiderunt, exiguis spaciis conclusum, Ægialeo autore. Cele-
A.M. brius præ illo *Argivorum* quod
3093. instituit Inachus, ex familiâ Enacim gigantum feracissimâ inter
A.M. Phœnices, adjunxit post secula
2775 aliquot Orestes Mycenarum urbem agrosque, natus patre Agamemnone Græciæ Imperatore in bello adversus Trojanos. Spartus nepos Inachi condidit Spar- A.M.
tam oportuno loco, è quâ urbe 2334.
annis deinde secutis prodierunt validæ copiæ, & Græciæ princi-
patum armis asseruerunt. *Messe-* A.M.
nii adversus vicinos suos Lace- 3205.
dæmonios ferociter pugnave-
runt. *Attica* primum Regem ha- A.M.
buit Ogygem, sub eo ingens dilu- 2169.
vium meliores Græciæ agros de- A.M.
vastavit. Cadmus Agenoris filius, 2520.
nobilis Phœnicius appulit navi in Bœotia, Thebasque exstruxit, & literas ibi docuit.

II. *Argonautæ* societatem pa-
cti & inter eos præcipui, Castor, A.M.
Pollux, Admetus, Hercules, Lyn- 2727.
ceus, Jason, Tiphys, Meleager, *Apollonius*
Theseus, Melampus, Peleus, Te- *Rhodius*
lamon, cum sibi Orpheum sacro- *lib. 1. .3.*
rum antistitem adjunxerant, na- *Valerius*
ve longa profecti è Thessalia in *Flaccus*
Pontum appellebant, Regem *lib. 1.2.3.*
Æethem occidebant, auro copioso ablato in patriam reverte-
bantur. Filiam Regis Medeam, *Diodorus*
peritissimam Sagam, unà abduxit *Siculus*
Jason Thessaliæ Regulus, & ma- *lib 4.*
trimonio sibi adjunxit, elapsis annis quibusdã repudiavit eam pertæsus morum, & Glaucam è Peloponneso in thorum assumsit, Corinthiorum regno velut sponsæ dote, potiturus. *Medea* levitatem animi in marito ulturа, sponsæ donat stolam intoxicatam, hanc induit misera & morte

ſubita exſtinguitur, porrò filios Jaſonis gladio obtruncat, & carminibus recitatis ventorum impetu abrepta, ex hominum oculis evanuit, Jaſon maximo confuſus dolore incubuit gladio ſuo.

III. Orpheus Thracia oriundus, Apollinis & Calliopes filius, Muſicus & Magus peritus, peracto itinere Pontico, in Phrygiam abiit, ubi *Midam* Regem ſacris arcanis initiavit, indè ad populares ſuos reverſus, Eurydicen uxorem à colubro ictam morte amiſit, præque deſiderio immani defunctæ ad magicas artes converſus ſollicitavit umbram, ut ab Erebo redire in corpus vellet, ſed eluſus inter ſacra Cocytia & conſilio fruſtratus, furens per deſerta oberravit, Bacchoque aras nocturnas in monte Rhodope conſecravit, ubi curioſus Epopta periit, à fœminis pari Numinis inſanientis afflatu correptis, in fruſtra laceratus, caput ejus deportatum in Leſbum Oracula pronunciavit.

Virgilius lib. 4. *Georg.*

Philoſtratus.

IV. Theseus regnum Atticæ obtinuit, Centauros prædones Theſſalos prælio vicit, Amazonas fœminas Scythicas virorum more bella gerentes à Græciæ finibus depulit, Herculis fida ope uſus: pars earum Joniam obtinuit Epheſumque nobilem urbem condidit. Hercules pro conſervanda victoriæ memoria inſtituit ludos Olympicos, & Theſeus gloriæ commilitonis ſui æmulus adjecit Iſthmios. *Hercules* pervagatus fuerat Hiſpaniam, Syriam, Galliam, Italiam, Scythiam, demum in Græcia vitæ finem invenit. Dejaniram uxorem habebat, qua ſpreta Omphalem è Lydia pellicem aſſumebat. Proinde ad magicas artes converſa mulier, à Neſſo venefico petit unguentum pro reducendo amore veteri efficaciſſimum, veſtes Herculis unguntur, quas ille neſcius malarum artium induit, atque illicò tabe corripitur inſanabili, demum impatiens dolorum conſtruit rogum, vivuſque deflagrat, inſpectante & cineres ejus loco ignoto in monte Oeta recondente *Philoctete*, qui itinerum ejus comes aſſiduus fuerat, brevique poſt in caſtris

Plutarchus.

A.M. 2729.

ſtris Græcorum adverſus Trojanos militavit. *Theſeus* Athenis ejectus ad Lycomedem Scyriorum Regulum venit, opemque rogavit, ſed perfidus homo ſupplicem ſuum per inſidias in rupem altam duxit, atque inde præcipitem egit.

A.M. 2730. V. Reges Mycenarum erant *Atreus* & *Thyeſtes* fratres. Uxorem Atrei ſtupro maculabat Thyeſtes, quod facinus ulturus Atreus, filios ejus teneros mactabat, percoctos in foco patri apponebat, ut comederet. In eodem regno deinde præerat AGAMEMNON frater Menelai apud Spartanos Regis, Atrei ex filio Pliſthene nepos, imperator in bello Trojano, pater Oreſtis, cum à laborioſa expeditione rediret domum, à Reginæ Clytemneſtræ adultero Ægyſtho, filio Thyeſtis, obtruncatur. Hunc cum adultera matre Oreſtes filius interfecit, maritus Hermiones, quam Menelai & Helenæ filiam obtinuerat, per empto apud Delphos Pyrrho Achillis filio, qui eam præripere voluerat.

VI. Apud Thebanos regnabat *Lajus* pater Oedipi, ex Jocaſta uxore. Dixerat Oraculum, familiæ regiæ certum exitium ab Oedipo imminere, abjicitur puer in ſilvas & vimine per ſoleam pedum trajecto ex arbore ſuſpenditur: dum propè erat ut fame periret, fortè accurrit Phorbas armentarius, liberat, educat, adultus in ſatellitium Regis Corinthiorum adſciſcitur, pertæſus verò ſtrictioris diſciplinæ, ad prædonum Phocæorum turmas ſeſe aggregat, aulaque excedit: Patrem Lajum, qui per loca illa iter faciebat, ignarus quis eſſet, ſpoliat, occidit. Sphingem latronem intrà montium latibula ſeſe continentem deturbavit & jaculis confixit, inde Thebas profectus ob liberatam ab infenſo latrone ditionem Rex deſignatur, & Jocaſtæ Reginæ, matri ſuæ, maritus connubio jungitur, tunc quoque de origine ſua incertus, ex illa Eteoclem & Polynicem filios ſuſcipit. Rem totam illi aperit vates Tireſias, itaq; commiſſum parricidium & inceſtum ſponte luit, oculos ſibi eruendo, & in Pauſanias

& in exilium abeundo, comitem aſſumſit Antigonam filiam ut cœcum duceret manu, demum in locis deſertis occulto hiatu præceps lapſus obiit. Duo filii ejus regnum capeſſunt ea lege ut vicibus alternis per annum præeſſent. Natu major *Polynices* anno finito ex lege cedebat minori *Eteocli*, hic verò finito anno perfidus noluit ſceptra reddere fratri, quamobrem Polynices de injuria queſtus auxilium rogavit apud Regem Argivorum, ſocerũ ſuum, Adraſtum, qui milite in Bœotiam miſſo pugnam atrociſſimam concitavit, Eteocles & Polynices mutuis vulneribus conciderunt, ſaucios in fine prælii ſuperveniens mater Jocaſta invenit, ipſa doloris magnitudine victa gladium de corpore Eteoclis educit, atque incumbens illi filios in morte ſequitur. Regibus tumulatis, denuò Thebani & Argivi prælio concurrunt, Argivi inferiores acie milites & Duces optimos amittunt. Creon pater Jocaſtæ obtinebat imperiũ Thebarum, curatoriæ titulo, donec Polynicis filius Therſander adoleſceret. Ac *Therſander* quidem regni compos factus eſt: demum in expeditione ad Trojam, ubi partes Græcorum ſectabatur, interfectus à Telepho Myſorum Regulo.

A.M. 2757 VII. Bellum Trojanum duravit annis decem. *Priamus* Rex Trojæ multorum filiorum pater, habebat inter cœteros Paridem, luxuriæ ſtudioſum, qui apud Reges vicinos peregrinatus aliquamdiu, ut exterorum mores perdiſceret, tandem Lacedæmonem venit, ad Regem *Menelaum*, ejuſque uxorem *Helenam* fœminarũ pulcerrimam multis promiſſis oneratam, abducit, novus maritus in thoro adultero. Rex per legatos uxorem ſuam repoſcit, raptorem ad pœnam depoſcit, fruſtrà verò, itaque ſub *Agamemnonis* Mycenarum Regis ductu, Græcorũ omnes Principes cum milite numeroſo educunt, Trojam circumvallant, ac tandem poſt multas datas acceptaſque clades, proditione Æneæ uſi expugnant, ſolo æquant, incolas flammis ac ferro necant, Regem ejuſque familiam trucidant. *Æneas* cum patre Anchiſe & filio Aſcanio per medias flammas elapſus incolumis, ad portum deſcendit, ubi naves aliquę popularibus oneratæ aderant, his comitatus & in Oceanum profectus, poſt longas errorum ambages tandem in Latio ſubſtitit, quod tunc Aborigines incolebant ſub *Latino* Rege. Hujus amicitia potitus exul Tros, quingentorumq; jugerum pro comitibus ſuis, donatus agro, jure beneficiario, in aula hoc etiam rogavit, ut Laviniam Regis filiam connubio acciperet, unicam hæredem regni.

Homerus.

A.M. 2767 *Livius lib. 1.*

Nec

Nec refragabatur admodum Latinus, tantum quod Regina mater præferret sponsum alterum, *Turnum* Rutulorum Principem, ita res devenit ad pugnam inter corrivales. Æneas profligatis Rutulis, Turno perempto Laviniam duxit, ac socero Latino successit, qui supremo adversus Rutulos conflictu hastis confossus occubuerat. Lavinium urbem condidit in honorem Reginæ hæredis, eò Trojani pro colonia deducti, Latinorum mores ac sacra usurpabant, ut ejusdem gentis censerentur esse. Porrò bella gessit adversus Hetruscos, dubio successu, prælio ultimo ad Numicum amnem victor occubuit palude mersus. Divinos post obitum meruit honores, arâ positâ ad dictum amnem, ubi armati manes ejus conspecti fuerant ab Ascanio filio.

A.M. 2771. *Dionys. Halyc. lib. 1. Iustinus lib. 43.*

A.M. 2774.

A.M. 2877. *Iustinus lib. 2. Pausanias l. 7. Herodotus lib 5.*

VIII. Regum in Atticâ ultimus Codrus bellum anceps adversus Peloponesios Lacedæmonios gerebat, ut Megarenses Athenarum coloniam, in fide civitatis suæ contineret. Oraculum Delphicum rogabatur pro belli eventu, & respondebat, *Athenienses bello inferiores futuros, nisi Rex eorum vitam devoveret.* Rex paludamento abjecto, rusticam vestem induit, ac mendici specie hostium castris permistus, milites injuria & verberibus lacessit, ut inter jurgia occideretur. Secutum est prælium, & hostes victi abierunt domum. Magnis tunc laborabat Græcia motibus, incolarum pars maxima emigravit ad quærendas sedes novas. Qui ex Attica proficiscebantur, occupaverunt Joniam, urbesque condiderunt Miletum, Colophonem, Phoceam. E Laconicâ profecti in Æolia consederunt, ubi sunt urbes Larissa & Smyrna, magno cum Barbarorum commodo, quos in civili conversatione multum erudiverunt.

Pausanias.

IX. Lycurgus Eunomi filius, vir generis regii apud Spartanos, & patruelis sui Charilai Tutor. pupillo regnum, quod ei tamen facili matris opera, quæ Regis uxor quàm Regis mater esse malebat, eripere potuisset, conservavit. Leges condidit pro bono publico, quas in perpetuum firmaturus, sacramento cives obligavit, ut nihil mutarent, quamdiu ille commoraretur Delphis, ubi cum Apolline quædam deliberare vellet. Nunquã reversus, obiit in exilio apud Cretes, quod ultro subiverat, ejusque cineres in mare dispersi sunt volente ipso, ne quantacunque sui pars Lacedæmonem relata, cives religionis vinculo solveret.

Plutarchus Pausanias, Iustinus lib. 3.

X. Leges diligenter servatæ urbem florentissimam præstiterunt bello ac pace. Bellum vetustissimũ gesserunt adversus Messenios, qui virgines è Laconica vocatas ad solennia sacrificia, per

A.M. 3207. *Pausanias, lib. 4.*

per ſcelus in Dianæ templo ſtupraverant, alias occiderant. Lacones cum armatis copiis invadebant hoſtium agros, capiebant Amphæam ſub Rege Polydoro. Ad urbem iſtam repetendam

A.M. 3213. ſubitò concurrebant Meſſenii nobiles ingenti ſervorum turba ſubnixi, oriebatur pugna, & Meſſenii non levem cladem accipiebant, quia ſervi eorum ad hoſtium caſtra tranſiverant. Regreſſi in montem Ithomen, provincialium affluxu novam urbem moliebantur, de belli exitu ſciſcitabantur Delphis, reſponſum tulerunt, fore ut felicem ſucceſſum haberent, *quando virginem ultro mori cupidam victimæ conſecrarent.* Sortibus jactis Lyciſci filia petebatur, verum illa recuſabat mori, ac noctu patre comitata diſceſſit clanculum ad Lacones: alia virgo per ſortes eaſdem quæſita, Ariſtodemi filia, ne elaberetur, patris manibus interficitur, & invita quidem, itaque ſacrificium expiatorium eſſe non poterat, quia Oraculum poſcebat

A.M. 3219. hoſtiam voluntariam pro felice ſucceſſu patriæ. Sexennio poſt iterato prælio confligebant, quo peremptus eſt *Euphaes* Meſſeniorum Rex fortiſſimus. Ei ſucceſſit *Ariſtodemus* filiæ ſuæ victimator, infauſto auſpicio. Quanquam enim ille velitatione aliqua feliciter acta partem caſtrorum hoſtilium debellaret, mox tamen Lacones novis auxiliis confiſi, A.M. 3226.
atroce prælio Meſſenios proſtraverunt. Ariſtodemus florem militum perdidit, inſuper prodigiis multis territus deinceps, gladio ſuo incubuit ad filiæ ſuæ tumulum, quam interemptam dolebat patriæ nihil profuiſſe. Poſt Regis obitum conciderunt animis, & quinque menſium obſidione defatigati, in ſervitutem victoribus ſeſe tradiderunt, Ithomes caſtellum ſolo æquatum eſt.

XI. Pertulerunt ſervitutem A.M. 3265. *Pauſanias l. d.*
triginta novem annis, tunc Argivorum & Arcadum impulſu exciti, defectionē viribus omnibus occeperunt, abeuntes ad patrios agros, & prælio decernentes cum dominis ſuis apud vicum Daras, ubi æquo Marte diſceſſum eſt, quod neutris aliorum ſubſidia adeſſent. Interim armis undique conquiſitis Regem ſibi conſtituebant ARISTOMENEN virum fortiſſimum, A.M. 3267.
qui profligatis toto campo Spartanis, libertatem reſtituit civibus ſuis, & Spartani, ut eò potentius bello inſiſtere poſſent, ſervorum multa millia armis onerabant. Jubebat Oraculum Delphicum, ut à vicinis Athenienſibus militiæ Ducem peterent & miſſus ab eis *Tyrtæus* ludimagiſter altero pede claudus, ad riſum, fortè movendum, nam Laconum ſucceſſibus non obſcurè invidebant Athenienſes. Res benè geſta eſt, & Tyr-

tæus

tæus nullo quanquam experimento militari usus, tamen efficacia carminum suorum apud milites ita profecit, ut fortiter pugnarent. Arcades ibant auxilio Messeniis, quamobrem hi provolabant in pugnam, & victoriæ compotes omninò fuissent, quando Arcades constanter egissent. Rex eorum Aristocrates pecuniam à Lacedæmoniis acceperat, ut tergiversando socios pessumdaret. Cæsi Messenii agros fortunasque omnes reliquerunt victoribus: quicunque à clade restabant, in montem Iram emigrabant, ubi à Spartanis obsessi undecim annis in varia fortuna calamitosam vitam
A.M. 3182. prorogaverunt. Aristomenes maritimis suppetiis, quas ei Methones incolæ præstabant, fultus egregia multa perfecit, militem è præda alens, donec ipse in agro hostili velitatione inferior atque exanimis propè captus mitteretur Spartam, ubi in Cæadam præcipitatur, fontium more supplicium luiturus, evasit tamen per cuniculum incognitum aliis, uni vulpeculæ notissimum, quæ perrumpere solita vescebatur cadaveribus. Erependo clanculum ad cives suos in Iræ munitiones refugiebat. Demum verò Lacones pluviosa nocte subeuntes montem, expugnabant Messeniorum præsidia, capti sunt alii, plures interfecti, pauci fugerunt cum Aristomene Rege, & tota Græcia ejecti abierunt in Siciliam, urbemque Messanam condiderunt. Aristomenes porrò ad Phraortem Mediæ Regem contendit nave, ut militiæ præfecturam contra Assyrios gereret, Rhodique morbo oppressus decessit. *Strabo l. 6.*

LIBER II.

Quo continentur res gestæ sub Monarchiâ Persicâ.

CAPUT I.

De rebus gestis Persarum.

A.M. 3398. *Herod. l. 1.* I. CYRUS post devictam Mediam finibus imperii contingebat Asiam minorem, in qua opulentas urbes habitabant Jones, Æoles, & reliqui omnes intra Halym fluvium populi Græci, ut partim subditi, partim socii essent Cræsi Lydiæ Regis, atque hic Græcorum amicitia multum utebatur. Vicinum potentem invadere vole-

bat belli causam prætexebat. Medos antiquo fœdere junctos esse Lydis, & proinde jubebat, ut Cyrus captivo Astyagi redderet libertatem, regnum, opes omnes. Dum legatos mittit, dum consultat de milite ad bellum scribendo, dum sciscitatur Apollinis Oraculum, quem bello eventum destinaret, dum Ægyptiorum, Insulanorum & aliorum Græcorum ambiguis promissis aut terretur aut erigitur animi, Persæ cum valido exercitu accurrunt, & Lydos in Cappadociâ profligant. Victoriæ præmium erat Asia minor, Rex in urbe regiâ comprehensus & Cyro oblatus, da-
A. M. mnabatur capitis, rogoque con-
3403. structo insidebat, ut vivus arderet. Jam faces subditæ flammas modicas effecerant, ecce recordatus Cræsus moniti, quòd eum Solon Salaminius olim docuerat, voce magnâ vocabat Solonem. Et quoque Cyrus intereà mutaverat consilium, terruisse Regem contentus, mox à rogo solutum vitâ donavit, de Solone
Plutarchus percontatus est, narravitque ei Cræsus, quòd Solonem inter Græcos sapientiâ celebrē in aula sua olim hospitem nactus, Regum more virum optimum liberaliter invitasset, opes ingentes ostendisset, felicitatem suam ipse prædicavisset, ac Solonem comtemptis opibus libero ore dixisse, *felicem vere esse qui vita finem felicem sortiretur.* Dicti hujus negligentem semper, nunc vero memorem, fateri omnino debuisse inter flammas quòd vere ista dixisset. Videbatur Cyrus in gratiam Græcorum ita benigne agere cum Rege captivo, quos non cupiebat esse hostes suos, & vero Cræsus ut pristinæ dignitatis speciem retineret, accipiebat beneficiario jure præfecturam Susianes, reditibus opulentam. Græci equidem rumores vulgabant de bello adversus Cyrum movendo, Pisistratus Atheniensis, Euthydemus Lacon, Periander Corinthius, sed ultra minas haut sunt progressi, à Milesiis quoque fœderis repulsam passi, quos Thales in gratioso Cyri obsequio continuit, consilio salubri usus. Placuit enim Cyro urbis magnæ delatū ultro obsequium, ut leges patrias confirmaret eis, præter exiguum vectigal non aliud quicquam stipulatus, ac censebat exemplum secuturos Æoles, Jones, Cares, Lycios, quos pari fœdere
Cræso junctos fuisse hactenus A. M.
constabat. Cyrus malebat, ut sub 3405.
diti essent, misitque Harpagum cum exercitu, qui urbes omnes perdomuit, incolæ multi sponte
emigraverunt, Phoceenses alii in Strabo
Italiam navigantes Rhegiū condiderunt, alii in Gallia appulerunt & Massiliam exstruxerunt.

II. Bella Asiatica prospera omnia fuerant Cyro, & quoniam

Græci in partibus Europæ potentes quiescere volebãt, armis perrexit in Asia majore, ubi restabant Babylonii, adversus quos eduxit copias prono favore intra urbes admissus, & non vane creditum, proceres multos dudum incli-

A.M. 3412. *Ptolomeus.*

navisse animos ad Cyrum, Rex ipse peregrinus ortu, & unius civitatis Babylones præsidio in turbis maximis tutus, venienti Cyro occurrebat paucis legionibus comitatus ad Borsippam vicum, armis traditis, vitæ gratiam pactus & inter Regis amicos, ut Astyages, ut Cræsus, numeratus, Carmaniæ præfecturam accepit.

A.M. 3420. *Herodotus l.d. Scrabo lib. 11.*

III. Compositis Orientis totius Euphrate tenus rebus, bellum transtulit in Scythiæ deserta, ubi habitabant Massagetæ, vicinorum suorum deprædatores, & quia Persarum subditis non parcerent, neque Cyri Legatis, qui veniebant questum injurias, secundum jus gentium æqua responsa da e vellent, armis res geri cepta est, & Cyrus progressus cum ducentorum millium exercitu ad ripas Araxis castra posuit. Suadebat Cræsus, ut vellet Rex contentus esse, patefactam armis detonuisse Scythiam, cæterum ne pergeret, rogabat, quòd pugnæ incertum eventum haberent, & nihil apud Scythas esset quo Persæ locupletarentur. Prævalebant inimica fata, & Cyrus ultra Araxem obtinebat littora nemine prohibẽte. Scythæ retrocedendo sensim pelliciebant hostes ut in deserta attracti regressum difficiliorem haberent. Tomyris Regina erat, callentissima belli, & quod cupiverat, obtinuit. Persæ consumti itineribus vastis in regione omnium rerum inope, militiam, in qua hostis non erat, perosi, ad Araxis ripam omnes redeunt. Sequebantur vestigia fugientiũ Massagetæ eminus, prope non ausi congredi, nisi certo victoria in manibus esset Cyrus vero simulabat fugam, relictis castris, ubi magna vini & annonæ copia supererat, hostes cum Spargapise Reginæ filio aderant, & velut ad epulas capiendas non vero ad pugnas ciendas venissent, castra vacua ingrediuntur, vinum bibunt, somnum capiunt. Exploratoribus missis comperit Cyrus, quid in castris ageretur, accurrit cum delectis equitum, multa millia obtruncat, Spargapisen in vincula comping t. Is crapula di cussa in cujus manibus hæreret, perspicit, ac quia nolebat commilitc nibus sua culpa in manifestam perniciem datis superesse, gladio sese confodit. Regina perculsa tristi nuncio de strage exercitus & nece filii, parabat vindictã, & Persas cupidos pugnæ, intra montiũ claustra

A.M. 3421. undique invadebat, debellabat, ut ne quidem cladis nuncius in Persiam rediret. Rex sagittis confossus, dum spoliantur occisi, agnoscitur, & cruci affigitur pro trophæo. Hunc vitæ finem habuit Cyrus Rex Regum, & inter majores suos Nabuchodonosori uni par, cæteris omnibus superior. Regnavit à Ponto Euxino usque ad mare Rubrum, & ab India usque in Ægyptum, Rex veri Dei imbutus notitia ex conversatione cum Daniele Propheta, fœderum ac juris servantissimus, in subditos affectu paterno, in amicos militesque liberalissimus.

A.M. 3421. Herodotus lib. 2. IV. Ejus filius CAMBYSES modestiæ laudem cum bellica fortitudine patris exemplo non temperabat, insolens animi, vino deditus sævus in perdendis illis qui mores ejus non laudabant. Regnabat in Ægypto *Amasis*, ejus filiam petebat sibi matrimonio Cambyses, & verò noverat Ægyptius quod Persæ externas sibi non copularent matrimonio perfecto, neque volebat ille ferre ut filia sua Regis magni pellex esset, itaque Apryis filiam, qui nuper à furente populo occisus fuerat, ornabat regalibus vestimentis, ac dimittebat in Persiam, sive A.M. 3425. conjugis sive pellicis loco futuram. Vix poterat res ista celari, & sponsa rogata de patris sui conditione, referebat necem ejus, conquesta etiam super Amasis conspiratione adversus defunctum Regem, quem neci objecisset, ut Regis solio potiretur. Persam valdè angebat quod aliam sponsam rogavisset, aliam verò fraude Amasis accepisset, bellum apparabat navibus à *Polycrate* Samiorum Tyranno acceptis. Et hic quidem societatis recenter cum Persis initæ (cum antea Ægyptiorum partes haut impigrè defenderat) non dignū satis præmium nactus est, cruci affixus ab Oræte Lydorum præfecto, qui eum ad se evocaverat, consilia daturus quomodo invalescenti Persarum potentiæ occurri posset bello, junctis insimul Græcorum armis. Cum in finibus regni adesset, moriebatur Amasis, eique succedebat *Psammenitus*, nondum satfirmatæ ætatis. Victor prælio Cambyses quinquaginta mille viros in fugam agebat, Memphim adortus, Regem, civesque omnes in potestatem redigebat, Amasis cadaver de sepulchro erutum in foro exurebat, Regis filios gladio feriebat, Regi ipsi, tantum ut miserè viveret, vitam & regni portionem aliquam donabat, orbo quidem & imperii Persici subdito.

V. Utque tantò magis premeret gentem hactenus florentissimam opibus, Memphi substitit, fratrique Smerdi in Persia vica-

rium

rium regimen commendavit.
Cæterum præſidia impoſuit ur-
bibus, militesalios ad perdoman
dam Africam conſcripſit. Africæ
melioris populi tunc erant Pœ-
ni Libyes, Æthiopes. De *Pœnis*
conſtabat, domari non poſſe,
quando ſine navibus eſſet qui-
bus omninò res agenda adverſus
gentem maris opibus prævali-
dam, & verò Phœnices compel-
lati à Rege ut naves ſuas precio
elocare vellent, verbo recuſa
bant, quod poſteros ſuos vexare
bello nollent, reipſa propriam li-
bertatem conſervaturi. Ergò
neglectis illis decernitur expe
ditio in *Libyes*, ubi templum
Hammonis celebre oraculo &
divitiis. Separat illos ab Ægypto
deſertum magnum arenis copio-
ſis, quarum effectus in procellis
vaſtis apparet cum terrore acco-
larum. Perſæ iſtarum rerum
ignari iter ingrediebantur, de-
prehenſi verò in mediis arenis
fame, ſiti, procellis vexati & con-
tumulati ne quidem Ammonis
A.M. delubrum eminus viderunt. Ea
3427. dem fortuna uſi in *Æthiopum*
terris, & fame coacti, ut jumen-
ta primum, deinde homines ma-
ctarent, inopes & ne quidem vi
ſo hoſte, qui cum tentoriis ſuis ad
ultimos regni fines abiverat, re
dierunt in Ægyptum. Tanta ſpe
rerum gerendarum dejectus
Cambyſes in Ægypto ſævire per-
rexit, delubra evertendo, ſimu-
lachra comminuendo, ſacrificu-
los occidendo, qui Apim Deo-
rum maximum feſtis plauſibus
per vicos urbis trahebant. Perſæ
ſupplices rogabant ut vellet do-
mum redire, attamen cunctaba-
tur: contigit verò, ut per ſomni- *Iuſtinus*
um videret nuncium veluti è *lib.* 1.
Perſide profectum, à quo perci-
peret Regem novum electum eſ-
ſe per ſeditionem procerum. Sta-
tuebat, hunc non poſſe alium eſſe
quàm Smerdem fratrem, illicò
Prexaſpem conſiliorum ſuorum
arbitrum fidiſſimum mittebat in
Perſiam, ut quocunque modo
poſſet, Smerdi vitam eriperet.
Peracta eſt cædes, ac paucis in A.M.
notuit, autorem verò nemo et- 3428.
iam comperit. Somnii eventus
per Magos acceleratur, hi proxi-
mam à Rege Imperio toto autho-
ritatem habebant in ferendis le-
gibus. Regem abſentem crimi-
nati palam, quem patriæ amor
nullus afficeret, peregrinis fa-
ventem apud quos commorare-
tur, turbas magnas conciverunt,
ita ut imperium ei abrogarent, &
Smerdem Regem deſignarent.
Erat ille è Magorum ſodalitio, &
ipſi quidem noverant, Cambyſis
fratrem olim occiſum, populus
neſciebat, adeoque credebat,
Smerdem Cyri filium minorem
imperare.

VI. Nunciantur iſta Regi, at *Herodotus*
que ille plenus iræ equum con *lib.* 3.
ſcendit in Perſiam cum exercitu
abitu-

abiturus, forte corporis motu incomposito pugionem ad latus appensum vagina excutit ac femur lædit, trigesimo ab accepto vulnere die moritur Ecbathanis. Commodum hoc accidit Magis, ut deinceps Regiam potestatem Smerdi oblatam à nemine repeti posse, crederent. Vero nomine *Oropastes* erat, fratremque ejus Pathisiten aulæ magistrum ordinabant, populo militiæ & collectarum onera demebant, ut favere vellent Regi novo. Septem mensibus præerat, ut nemo fraudem comperiret, deinceps proceres magno numero instabant, non se discessuros à palatio, nisi Regem præsentem vidissent. Quærebant Regem, & non inveniebant, proinde Othanes procerum nobilissimus sagaci conjectura usus negabat, Cyri filium Smerdem regnare, de quo constabat satis, fuisse olim virum comem & procerum conversatio nem nunquam sprevisse. Phædima filia ejus inter pellices regias nuper assumpta caput in somno pertrectabat manibus, adeoque rem omnem pandebat, non esse Regem Cyri filium, quia auribus mulctatus, aliàs quoque morosioris indolis esset. Oropasti præciderat aures Cambyses, quoniam se insolentius in aula gesserat, ita proceres advertерunt fraudem, conjuratione facta palacium ingrediuntur sub noctem, Othanes, Inthaphernes, GobriasMegabyzus, Asphatines, Hydarnes, Darius, & occultato sub veste gladio vigiles cædunt, Magos obvios aut in latebris absconditos promiscue trucidant, Smerdis caput recisum & hastæ infixum populo ostendunt. Prexaspes inter spem & metum hactenus vixerant, nunc verò, postquam de Smerdis nece omnibus constabat, vitæ pertæsus Principis sicarius è turri quadam se præcipitem dedit, obiitque.

VII. De Rege successore lis erat, pari ope Magos exstirpaverant, neq; impares familiæ splendore, mutuo sese impediebant. Solus Othanes ultro jus suum remisit, & in regni communionem venire noluit, cœteri collatis animi sensis decreverunt, arbitrium Deo committendum esse, quem ipsi colebant *Mithram*, id est, Solem, eique consecraverant equos. Sub aurora ad palatii valvas conveniebant, Solis augurium præstolati, ac prior Darii caballus ad Solem orientem conversus adhinniebat, sive illum afficeret desiderium equæ, loco isto proxima nocte ab Oebare equisone admissæ, sive occultius fatum toti negocio eventum hujusmodi conciliavit. Paruerunt legi competitores, quam sibi dixerunt ipsi & Darium Regem salutaverunt.

VIII. Darius Hystaspis filius ad regnum evectus, Cyri filiam *Atossam* matrimonio sibi jungit, ut A.M. 3429. *Herodotus lib.* 3.

ut imperium summum redderet familiæ isti quæ prima illud condiderat. Bella plurima gessit, non
A.M. 3431. usque adeo felici eventu. Samum Insulam duce *Othane* expugnavit, quæ post Cambysis obitum freta Græcorum societate libertatem prætendebat, & Sylosontem constituit Principem fiduciarium, Samium civem, à fratre suo Polycrate Tyranno in exilium ejectum, à quo ipse, dono acceperat purpureum amiculum olim, cum sequebatur aulam Cambysis in Ægypto. Porrò Sacarum populos, Indiam Gangeticam habitantes domuit, Libyas à Cambyse frustra petitos devi-
A.M. 3439. cit, Barcam urbem eorum opulentam diripuit, civibus abductis in Bactrianam, ne patriæ fiducia rebellarent unquam. Scytiam Europæam ingressus ponte super Danubium ex structo, immensas copias, septingenta armatorum millia, sexcentas naves, secum adduxit, hostes vero ad prælium cogere non potuit, quo nec opus erat, noverantque quòd ipsis præter mapalia curribus imposita nihil habentibus
Herodotus lib. 4. Iustinus lib. 2. nihil eripi posset. Ergo sensim locis campestribus decesserunt, abducta secum familia, & ad silvas incultissimas profecti, eluserunt Persarum ferociam, ut demum fame & languore confecti abirent amissis octoginta millibus hominum quæ jactura abundante multitudine, inter damna haut numerata est. Barbaris omissis ad Græcos eorumque socios premendos omnem conatum impendit. Primi erant Macedones qui Regem habebant Amyntam, & vero armorum terrore compulsi deditionem fecerunt, A.M. 3444.
postquam Legatis Persarum ob lascivius attrectatas fæminas in convivio cæsis, recusassent equidem tantisper, obsequium deferre amplissimarum gentium Domino, nec volebant Græci de ferendis suppetiis mature cogitare. De cædibus admissis inquisiturus Bubares Asiæ præfectus, excusavit omnia in Perside, pro quo beneficio Regis Amyntæ filiã matrimonio obtinebat unacũ A.M.
maximis opibus. Porro Thraces 3443.
devicti sunt, & Byzantio oppido impositum præsidium, ut Persis aperta via semper esset transeundi cum exercitu armisq; in Europã Lesbus, Imbrus, Lemnus Ægei maris Insulæ fecerunt imperata.

IX. Ita demum Græci veriti, ne ipsi etiam à Persis invaderentur, serio laborabant, ut remoram injicerent nunquam suffecturæ Regis cupiditati. Erant Jones, Æoles, Cares in littoralibus *Iustinus*
Asiæ regionibus, quos velut gen- *lib. 2.*
tiles suos hortabantur, ut de op- *Herodotus*
pressa libertate Insulanorum con *lib. 5.*
quererentur. Tanto facilius res A.M.
successit, quod Histiæus Joniæ 3448.
præfectus & gener ejus Aristagoras pretor Mileti odio prægravati in aula, cuperent dare turbas

manifestas adversus Harpagum Asiæ minoris Rectorem. Accedebant Lydi ad partes Histiæi, Sardes regalibus opibus impletæ deduntur, aurum per Græciam distrahitur, milites conquiruntur, Cypri naves fabricantur. Et omnino maximum damnum accepisset Darius, quando Græci omnes hostilitatem exercere voluissent, cum primis quòd eodem tempore *Mardonius* Thraciæ præfectus validam classem tempestatibus ad montem Athos jactatam, una cum maximis copiis perdiderat, & Græciam à terrore liberavisse videbatur. Spartani recusabant pacisci cum sediciosis, Athenienses palam favebant illis, & Histiæus à facinore nobili orsurus bellum incendebat Sardes, inde progressus in Joniam, prope Miletum confligit adversus Harpagum, vincitur, capitur, & in crucem agitur, sediciosi Jones, Cares, Æoles non una cladenavali fracti & perdomiti componuntur. Ne impune favissent Athenienses rebellium ceptis, bellum eis indicebatur. Excusabant factum quòd *Hippiam* in aula sua Rex foveret, ob tyrannidem urbe pulsum, & facinorum aliorum reum. Exercitus centum millium sub Date & Artapherne ducibus navigabat in Græciam, expugnabat Eretriam, in Marathoniis campis deponebat castra, ut viribus integris ad Athenas obsidendas pergerent legionibus divisis. Verum Athenienses occurrebant mature, & hostes ex itinere fessos adorti sub principe Miltiade, uno prælio deleverunt omnes, castris impedimentisq; potiti. Dates occubuit, ejus cadaver petentibus victis denegatum est. Hippias aderat, confisus fore ut Persæ vincerent, urbemque effringerent, perditis vero rebus in Lemnum fugit, ubi incerto autore vitam finivit. Darius ita laudabat cives unius urbis, qui rarissimo fortitudinis exemplo delectas per Imperiū magnum copias profligaverant, ut tamen ulcisci vellet cladem.

A.M. 3450.

A.M. 3454.

A.M. 3459.

X. Dum parat novam expeditionem correptus morbo decedit. Regibus optimis par animi virtute, fortunæ casibus varius. Genuerat filium minorem XERXEM è Cyri filia Atossa, quem majori fratri Artemeni prætulerunt Regni proceres gloriæ avitæ memores, ad quam tamen ille nunquam pervenit virtute, quāquam opes forte non deessent. Copias immensas adversus Athenienses conscripsit, virorum myriadem, præter auxilia sociorum undiq; ingruentium & calonum turbam maximam, ut nō immerito proditum sit, flumina potando exsiccata esse. Græci vere rati, non solum de Athenis invadendis agi, & posse tantum exercitū suffi-

A.M. 3464. *Herodotus lib. 7. 8. 9.*

sufficere ad opprimendam gentem universam, libertatis unice tenacem, ubi vicini omnes servirent, communi periculo fortiter sese objiciebant, hostis perfosso Athos monte, qua porrecto in pelagus dorso longo continenti adhærebat, fretum commodũ effecit, & navibus per Hellespontum advectus, decimo post conflictum in Marathoniis anno rediit in fines Atticæ, magna patraturus. Adversus eum Græci non tam armis quã consiliis steterunt & tanta animorum magnitudo fuit, ut *Gelonis* potentissimi Siculorum Principis societatem ob conjunctam imperandi ambitionem spernerent, atque deditionis faciendæ autores lapidibus obruerent. Thebani imperata fecerunt. Ad Delphos cum prædatoria manu substitit, donaria abstulit. Sacrilegio onustus pervenit in Thessaliam, ubi *Thermopylarum* angustias cum parvo agmine obsidebat *Leonidas* Spartanorum Regulus, ut hostem impediret, & civibus suis spacium obtineret ad commeatum parandum, portus muniendos, militẽ lustrandũ. Persæ transitum petẽtes cum strage repelluntur, neq; montana illa superare viribus omnibus poterant, donec Ephialtes perfuga ignoto tramite eos deduceret, ut in proximos campos sese effunderent. Comperit Leonidas quid evenisset, itaq; dimittebat bis mille viros, ut patriæ laboranti succurrerent, trecentos invitabat ut secum manere & hostem prælii experimento lacessere vellent. Megista vates certã necem prædicebat omnibus, qui ad pugnam sese offerrent, hoc non obstante Leonides noctu castra Persarũ diversis locis aggreditur, eo consilio quod ad Regẽ ipsum ferro viam aperire vellet, multis occisis omnes ipsi per castrorum ambages occubuerunt, victorum instar habiti quod paucitate sua inferiores solũ, cæterũ fortitudine hostes antecellerent.

A.M. 3469.

Diodorus Siculus lib. 11.

A.M. 3470.

XI. Navibus per mare Ægeũ emissis, Insulanos affligebant. *Themistocles* regebat classem Græcorum, & quia Persæ ad Artemisiũ EubϾ promontorium collectas in statione triremes ostentabant cupidi pugnæ, eminus circumnavigando Græci, quia venti odiosius reflabant, multas triremes procellarum vi abreptas invadebant, mergebant. Triduum peractum est, ut non magnum operæ precium fieret, ergo Græci Jonum defectione bene usuri ad Salaminem Insulam cum maxima classe appellebant, ac die integro pugnam sustinebant. Xerxes extra tali jactũ constitutus aderat in cymba, non ut pugnã incenderet, sed ut spectaret. Græci vincebant, neq; hoc mirũ erat, quando quidẽ Jo-

nes, Æoles, Cyprii, Rhodii mercenarii, in quibus Persicæ militiæ robur consistebat, armis Persicis, animis Græcis pugnabant.

XII. Rex fortunæ suæ pertæsus relicta Græcia contendebat Sardes, inde Susas reversurus, ut turbas in regno exortas præsentia sua compesceret. *Mardonius* cum summo imperio præficiebatur copiis trecentorum millium virorum, adeò erant diminutæ per clades quotidianas, ut bellũ traheret, ac cũ posset, honestis legibus pacem qualemcunq; procuraret. Recta ille abiit in Atticam, excesserant cives ab urbe, nusquam tutiores quàm in navibus, turbam imbellem per vicinas Insulas distribuerant, & vacuam urbem adorti hostes solo æquaverunt. Prima & ultima hæc victoria Persarum erat, post quam recesserunt in hyberna, quæ Thessali & Macedones liberaliter præbuerunt. Cupiebat Mardonius, ut Alexander Macedoniæ Rex compellaret Græcos de pace stabili facienda cum Persis. Negabant illi, posse cum hoste virium compote pacem tutam iniri, ac libero ore comminabantur non quieturos sese, antequam exustas urbes, fana diruta, cives sociosque ferro, igne, aquis peremptos internecina Persarum clade ulti fuissent. Veris initio Mardonius redibat ad
A.M. solitudines Atticæ, quas pridem
3471. fecerat ipse, & ad Platæas depugnabat supremo prælio cum *Pausania* fœderatarum copiarum ductore. Prælio victus & sagittâ percussus obiit, Artabassus cum quadraginta millibus equitum effugit ad Hellespontum, & Byzantium prætervectus, Europam deseruit.

XIII. Græci post direpta opulentissima castra, & divisum inter se Persicum aurum, haut contenti quod Barbaros ex Europa depulissent, in ipsa quoque Asia vexare illos cupiebant proinde Jones propiori fœdere sibi devinciebant, non depposituri arma terra marique, nisi Græcorum coloniæ in Asia veterem libertatem perfectis modis recepissent, & opulentiores Insulæ Persarum jugo exsolutæ essent. Mare infestum reddebatur pyratarum ope, hostium præsidia ubivis littorum cædebantur; *Leotychides* Spartanorum Regulus subsidia navium adducebat, & novo prælio ad Mycalen promontorium victos Persas, maris imperio spoliabat, Jones, Æoles, Cares, Cyprii perpetuam cum Græcis societatem paciscebantur, ne quis Barbarorum deinceps maris dominium sibi arrogaret. Xerxes dabat pacis leges, uti poterat, non uti majores ejus consueverant, fortunæ suæ infensus, & veritus ne Asiam minorem omninò perderet. Domi provixit inglorius, postquam ingenti luxu opes Asiæ totius profuderat, nihil lucra-

cratus, solum quod luctu squallerent omnia. Cum somno indulgebat, obtruncabant eum *Artabanus* Satrapa Hyrcaniæ, & Spamitres Eunuchus: ita Rex magnus vitam ærumnosam finivit. A.M. 3485.

Justinus lib.5. Diodorus Siculus lib.11.

XIV. Successit ei ARTAXERXES LONGIMANUS filius, quem statim novæ turbæ afflixerunt. Ægyptii tantarum cladium, quas Persæ acceperant, spectatores, rebellionem concitabant, *Inarum*, Psammeniti nepotem Regem designabant, trecentarum navium classem à Græciæ portubus accersebant, Achemenidem præfectum Regium prælio superatum occidebant. Rex tentavit per Legatos suos, ut Spartanos posset sibi facere obnoxios, magna pollicit9 eis adversus quemcunque hostem, quando vellent authoritate sua intercedere apud Athenienses, ne deinceps Ægyptiis subsidia mitterent. Legatum rejecerunt Spartani, & Athenienses novam classem parabant, ut commercia in Oceano quaquaversus tuta præstarent. Ergò Rex propriis opibus nixus expeditionem novam sub duce Artabasso parabat, naves è Cypro & Phœnicia mercenarias in Ægyptum adducebat, quarum impetu devicti Græci ad Pelusium in statione positi, naves optimas ignibus jaculatoriis consumptas amiserunt. A.M. 3490. Inarus fuga petebat Cyrenem, verum interceptus à latronibus, & victori Artabasso oblatus, jussu hujus in crucem tollebatur. Ægyptii ad pristinum obsequium redierunt. Artabassus majora patraturus cum classe Phœnicum pervagabatur mare, Græcos per intervalla, ut putabat, vexaturus. Stabat ad littus Jonium *Cimon* Atheniensis, ducentarū triremium rector, quas in hostis occursum propellebat, & prope Cyprū fortiter invectus, fugabat Phœnicas. A.M. 3500. Hæc victoria admodum stabilivit res fœderatorum, & pax renovata est ad annos quinquaginta.

XV. Habebat Longimanus filium unicum XERXEM è Damaspia Regina, qui etiam succeslit patri, verum secundo mense regni veneno potus una cū matre sua decessit. A.M. 3527. *Diodorus Siculus lib.12.* Venenum dabat SOGDIANUS nothus Longimani è pellice Alloguna, & quia legitimus nō supererat, regnum parricidio acquisitū stabilire cupiebat, procerum militumq; assensu. Nemo conscius erat admissi criminis, & verò affligebat nothum, conscientia mala, ita desperabundus secum de progressu, atque sceleris convictus, odium omnium incurrit. Darius Bactrorum præfectus surrogatur, qui Sogdianum in vincula detrusit, ubi strangulatus periit. Darius iste NOTHUS cognomine regnavit in pace, magnus Græcorū amicus, quos bellis civilibus concurrentes, quanquam utiliter posset, armis premere noluit.

A.M. 3546 XVI. Patris mores imitatus Artaxerxes MEMORIOSUS, comitate magis quàm terrore vicinos regere studuit, liberalis, fœderũ servans, felicissimus, nisi eum domestica mala evertissent. Frater ejus *Cyrus* à patre acceperat Lydiam & Cappadociam Reguli titulo administrandas, itaq; Jonibus vicinis benignè usus Cyr9, noxiis verò Græcorum inspirationibus seductus, qui Persarum imperiũ odio irreconciliabili proseque bantur, Regis in Asia minori titulum & honores omninò affectabat. Ultrò cupidum impellebat quoq; Parysatis mater quæ Artaxerxis conjugem oderat, exercit9 comparabatur, Jones, Æoles Cares delectas turmas adjungebant Excusabat Cyrus apud Regem fratrem, quod pro defendendis Asiæ finibus adversus Græcos arma caperet, sed non Tissapherni classis regiæ præfecto ingenium erat infrà Cyrum, a quille gnarus quid conaretur, Regem monebat, ut mature consuleret rebus suis, Græci littorales intrà Persarũ imperiũ comprehensi à Rege jussi delectus suos avocabant domũ.

Diodorus Siculus lib 14. Iustinus lib 5.

A.M. 3549. Cyrus pertinax factionis ejus, quam Reginæ matris studio munitam satis credebat, abducebat quas præ manibus habebat, Barbarorum & Græcorum copias, in Babyloniam profectus centum mille viros prælio offerebat. Rex immensis copiis stipatus occurrebat, confligebatur in finibus Susianæ, & prima aci s Persarum nutabat, ergo Asiani ferocius urgendo Cyrum una abripuerunt, ut in subsidiarium agmen, quod Tissaphernes regebat, incautius irruendo, jaculo confossus occumberet. Princeps sanè egregius si mortem hanc non fraternis odiis, sed patriæ saluti impendisset. Ejus obitu perculsi Asiani excesserunt pugna, deinceps in hostium regionibus non satis tuti, ut nõ sine maximo labore domũ reversuri essent, Græcorum decẽ millia cũ ducib9 suis Clearcho, Arideo, Xenophonte, in Joniam contendebant: eos insecutus Tissaphernes, quod aperto prælio quicquam effici posse dubitaret, nunciis decepit, ut Regis gratiam venerari, seque legionibus ordinariis permiscere vellent. Dum Clearchus ad epulas invitatus nimium fidit Barbaris, obtruncatur & in frustra secatur, Xenophon evasit & populares suos per tot discrimina rerum in patriam reduxit.

Iustinus lib. 5.

XVII. Rex victoriæ compos foris, non tamen domi pacem servare poterat. Matri obnoxius in gratiam ejus supplicio afficiebat Mithridatem, qui prædicabat in aula, jaculo suo percussum Cyrum ab equo defluxisse, ac militum concursu obtritum exspiravisse. Nec tamen placebat fœminæ crudeli, & verò illa, ut Regi dolorem maximum concitaret, Statyram Regis conjugem veneno

neno perimebat. Ob facinus exilio damnata, in aulam nunquam rediit, novum matrimonium Rex cum filia sua Hadassa inivit, eique pellicem adjunxit Aspasiam, elegantem moribus, Regi seni infidam, adeoque Dario Regis filio primogenito amorem suum ita probavit, ut vellet à Regis thoro divertere. Libyes ab Ægyptiis rogati de ferenda ope, *Nectanebum* Regem cum exercitu miserunt, qui libertatem gentis adversus Persas tueretur. Græci quoque aderant sub *Iphicratis* ductu, & Memphin ingressi, opperiebantur hostes, qui majores multò copias solito more apparantes, brevi tempore non multum promovebant, & Nili aquæ restagnantes procul rejiciebant Pharnabassi alas equestres, ne ex Syria accurrerent. Iphicrates prima expeditione feliciter defunctus, Athenas rediit, ut patriæ res curaret adversus vicinos Spartanos, Nectanebus regni limites omnes idoneis præsidiis firmabat, & *Tachonem* filium suum Ægyptiis ita volentibus Regem dabat. Hic ultrò occurrebat Persis, ut prælio certaret, multis in Phœnicia locis oportunis potitus, interim domi res turbabat filius ejus *Nectanebus* Ægyptii regnum sibi arrogando, patri Syriam tribuendo, quam tamen is nondum eripuerat Persis. Pater dimittebat milites, & supplicis habitu profectus Susas, à Rege accepit vitæ gratiam, Pharnabassus eum restituit, filius impietatis reus acie victus prope Memphin pœnas dedit.

XVIII. Rex provectæ ætatis Darium filium commendabat proceribus, uti successorem, & filius apud patrem instabat de Aspasia pellice Jonica sibi donanda. Recusabat pater, & dimissam ex aula mulierem, ne conversatione sua deinceps Regulum angeret, consecrabat Vestalem Solis, nec porrò eam à viro contrectari fas erat. Darius quærebat socios, ut palacium vi armata invadere & patrem senem aggredi vellent in gratiam ejus, nactus facinoris complices, fratres suos quinquaginta, proditus verò à domesticis, unà cum illis capitali supplicio afficitur. Pater suppliciorum exactor non diu supervixit, mœrore confectus. Princeps magnæ liberalitatis, ut in referenda gratia pro agresti sæpè munusculo, tenuissimique officii genere, non ingentia modo auri pondera, sed urbes ac provincias rependeret. Successit ei Darius Ochus filius, qui pacatum imperium, ut rebatur, fratribus interfectis, proceribus expulsis, cognatis in vincula compactis effecturus, domi sæviebat, foris bella gerebat, præfectorũ defectione vexatus. *Pharnabassus* Asiæ præfectus cum Græcis pepigit

A.M. 3589. *Diodorus Siculus l. 16. & 17.*

pepigit fœdus, Chares Athenienſium prætor auxilio duxit copias navales, quæ magnis in Aſia minori progreſſibus uſæ, Regem coëgerunt, ut Græcis aurum copioſum donaret, ne pergerent rebelles ſuos fovere. Ita Pharnabaſſus à ſociis deſertus fuga ſalutem quæſivit.

A.M. 3597. XIX. Solus *Artabaſſus* Joniæ Rector perſeveravit in armis, quanquam Græci denegarent ſuppetias, itaque Thebanorum opera littoralem Aſiam diu infeſtam habuit, acceſſerunt Ægyptii, Cyprii, Phœnices infenſi omnes Perſis, & repetendæ libertatis cupidi. Sed diſcordes in ferendis auxiliis parum effecerunt. Thebani invenerunt, quod domi agerent, & Artabaſſus oblatam à Rege gratiam ſupplex amplectebatur. Cyprii cœterum invalidi cum Artabaſſo reconciliari volebant, Phœnices in majoribus opibus ſucceſſum minorem habebant, Sidones caſu non prævíſo territi, quæ opulentiſſima urbs flammis abſumpta, multa millia civium tumulavit. Mentor Rhodius cum imperio præerat urbi, clam favens Regi, & cives nimium confiſi advenæ, quando maxima præſidiariorum militum è mercenariis conſcripta manus erat, obſeſſores Perſas ad portam invitatos proditoris fide intromiſſos viderunt, cumque veniam impetrare non poſſent, urbem equidem inclementi victori permiſerunt, A.M. 3599.
ſed triumfum prædamque eripuerunt, facibus ſubjectis. Mentor obtinuit à Rege præfecturam maris, proditionis mercedem, & Tyrii voluerunt deprecatore illo in Regis aula uti. Nectanebus è Libya oriundus non multum profuit Ægyptiis, victus prælio refugit ad populares ſuos, Ægypti urbes meliores Ocho Regi prædæ fuerunt, mœnia diruit, templa devaſtavit, incolas pepulit.

XX. Bellis ſuperior, domeſticis odiis ſuccubuit, multorumque procerum ſanguine madidus venenum bibit, quod ei Bagoas aulæ magiſter præbuit, ne pergeret nocentes pariter ac innocẽtes occidere. Poſt eũ regna- A.M. 3611.
vit filius Arsames è familia Cyri ultimus, in quo maximarum vir- *Diodorus Siculus lib. 17.*
tutum ſpecimina elucebant, verum ſublatus veneno in flore juventutis, ejusdem Bagoæ perfidia, imperium proceribus reddidit, à quibus Bagoas illud petere auſus, repulſam tulit, et Codomañus Armeniæ præfectus, Darius appellatus, ei prælatus ob A.M. 3614.
magnas & Rege dignas virtutes, Bagoam veneficum in carcerem duxit, ubi venenum bibit, nimis leniter punitus Regum latro. Darius veteres Græcorum offenſas novis experimentis interpolatas, cum damno ſuo & Imperii ſui attraxit. *Alexander Macedo* poſt everſas Thebas, amicam & Perſis fidam

fidam civitatem, prono itinere in Aſiam contendit, omnibuſque præſidiis primo impetu potitus, ita ut venit viditque, victo ubiq; hoſte, totam belli ſummam ultrà Euphratis ripam promovit. Triginta mille pedites & quinque mille equites in Phrygiæ ſtativis ad Granicum habebat, collatiſq;
A.M. 3616. ſignis cum Mithridate Aſiæ minoris præfecto, in non leve periculum incurrebat. Nam Sphitradatem Regis generum propiori congreſſu occidebat, accurrebat frater jacentis Roſaces & vulnus infligebat Alexandro, ſed repetiturus ictum, à Clito truncabatur dextera. Mox & alii Perſarum Duces generoſe dimicando occumbebant, quorum nece exterriti Perſæ fugam capiebant. Macedones obtinebant victoriã, inde Lydiam, Ciliciam, Cariam, & in regionibus illis urbes, Epheſũ, Sardes, Tharſum, immenſis divitiis refertas, expugnabant. Ne in mari damnum acciperent, factũ eſt Memnonis Rhodii obitu, quẽ virum fortiſſimum, & Græcorum per Inſulas habitantium amicitia ſubnixum Rex cum imperio ſummo præfecerat claſſibꝰ in Cypro, Lesbo, Samo, Chio detentis, ut vento ſecundo profectæ ad Helleſpontum, invaderet Macedoniam, ubi miles præſidiarius vel nullus vel exiguus aderat.

XXI. Poſt illum nemo inventus eſt qui maris fortunam tentare vellet. Charidemus Athenienſis exſul Ducem ſeſe offerebat, militiæ peritiſſimus, verum Perſæ arrogantes repudiabant eũ mox quoq; interficiebant ob liberiorem gentis reprehenſionem, aurum non ferrum adpugnam proferentis. Ergò Rex non tàm copiarum, quàm ducũ indigus, procurandum ſibiipſi ſumebat bellũ. Macedones tantarum opum domini facti Ciliciam tenebant, ſatius eſſe rati, ut hoſtem adventãtem intra montium anguſtias, quantum poſſet ob loci commoditatem fieri, concluſum, invaderent, pauci ipſi numero ad hoſtes collati, qui trecenti mille viri erant: ac ut in vaſtâ planitie confligerent, tunc enim à fronte, à tergo, à lateribus circumvenirentur, exitu dubio. Perſæ confiſi *Curtius*
immenſis copiis, æquo iniquo *lib. 3.*
loco pugnam offerebant hoſtibꝰ & ad Iſſum decertantes, magnam cladem accipiebant. Darius ſaucius fugiebat, centum mille ferro perierunt, quadraginta mille viri captivi facti ſunt. Erant inter captivos Regis mater Siſygambis, Statira uxor, ſoror, filius unus, filiæ duæ Statira & Drypetis. Rex celeri fuga ad Euphratem delatus reparabat exercitum, ſimul pacis leges proponebat Alexandro, *ut perpetuo fœdere ſeſe Perſiæ Regibus obligaret, ut Aſiæ minoris regnum armis partum retineret ſibi & poſteris ſuis hæreditarium, ut Regis filiam matrimonio duceret, ut captivos dimitteret, magna auri ſumma*

 accepta.

Curtius lib. 4.

accepta. Negabat Alexander, quod leges illæ valoris ejus essent, ut tam luculentæ victoriæ præmium solverent dignum, magis etiam postulabat, *ut Rex seque suasque opes in victoris potestatem traderet.* Hinc Syriam, Phœniciam, Ægyptum solo belli rumore edomabat, Tyrum magno cum labore. Darius novis copiis undique gentium conquisitis auctus ad Mediæ vicum Arbellam opperiebatur hostem, & veniebat ille in conspectum, denuo pugnabatur, fortuna simili
A.M. 3619.
qua ante. Impedimenta Macedonum direpta sunt, & tamen damnum contemnebat Alexander, nec quicquam virium ex acie subduci patiebatur. Victoria stabat anceps, donec auriga Darii confosso fugiendi initium illi, qui periisse Regem putabant, facerent. Rex præsidio nudatus, comitabatur in fuga, eratque omnino frustra, quod Mazæus sinistram hostium alam fortiter profligaverat. Persæ affatim cæsi pecudum more, victoriam Macedonibus, Alexandro imperialem honorem, non inviderunt. Alexander Babylone receptus, ut victor Persarum & Asiæ Imperator, summa omnium civium gratulatione per urbis toto Oriente maximæ vicos deductus, regales opes in arce depositas abstulit. Porro Susas, ubi Regum aula erat, expugnabat, demum Persepolim, ubi altera Regum aula erat, aggressus, diripuit, incenditq; Athenarum flammas expiaturus, quas olim cremaverat Mardonius, ac ebrius lætatus horrendo incendio, quod sobrius ipse detestabatur, sed re peracta.

Curt. lib. 5.

XXII. Darius incertus rerum suarum, desertus ob omnib. paucis comitatus per Mediæ solitudines oberrabat. *Bessus* præfectus Bactrianæ & *Naberſanes* præfectus Hyrcaniæ delectus suos in fuga dispersos hactenus, collegerant, & de Rege percontati ubi locorum esset, cum eum viderēt imparatum, omniumq; rerū inopem, satellitio aut nullo aut raro custoditum, & mercenarios Græcos, tunc cū maxime opus erat, ut in obsequio detinerentur, errore quodam mentis à se dimittentē, ipsi cum Rege expostulabant, ut potestatē abdicaret, Regemq; designaret alium, qui meliore fortuna usus res tantis cladibus eversas restitueret. Rex multis cōquestus super iniquo postulato, sed inaniter, & de auxiliis ferēdis Deos hominesq; invocans, cupiens demū ut in hostis manus traderetur, sagittis confoditur, ac vehiculo sordido imponitur. Victores divisis turmis progressi, dum
A.M. 3620.
alius prædā sectatur, alius fontē ut aqua relevet sitim, omnia itinera percursabant, Polystratus assecutus vehiculum, in quo Darius semianimis jacebat, ab illo perci-

percipit, quod Rex esset, nece indigna ab illis affectus, quos ipse benificiis plurimis ornavisset quondam. Mox porrecta dextera exspiravit, & vero miles indicavit Alexandro, quo loco Regem defunctum inspicere posset, ejus cadavere viso, tam indignam fastigio illo mortem lacrymis prosecutus est, corpusque Sisygambi matri obtulit, ut impensis regiis in majorum tumulis deponeretur.

CAPUT II.

De rebus gestis Græcorum.

Iustinus lib. 2.

I. Post *Codrum* Regem alium non elegerunt Athenienses, verum Medontes constituerunt, id est, prætores civium imperio obnoxios. Eorum vicini Megarenses bellum movebant, quod Salamines Insulæ dominium sibi arrogarent, id *Pisistratus* imprimis composuit, vir dives & qui multos clientes habebat. Victo hoste, non poterat vincere ambitum, donis erogatis populum concitabat, ut sediciosi adversus Optimates, civium animos in partes distraherent, interim occupabat arcem Tritoniam, armabatque sicarios, qui Optimates interficerent, sed conversâ rerum facie Tyrannus arce ejicitur, & exilio punitur. Degebat Marathone & copiis collectis minabatur, quod gravissimo damno vellet civium agros afficere, nisi urbem opesque omnes ei restituerent, obtinebatque tanto cum civium favore, ut pactâ rerum omnium oblivione, Principem urbis eum constituerent. *Solonis* amici sui conversatione sæpius usus, leges ejus probavit, ac non sine præclara moderationis laude principatum in civitate libera administravit.

II. Principatum velut hæreditarium corripuerunt filii ejus *Hipparchus* & *Hippias*, imperiosi quidem patris exemplo, sed vitiis juvenilibus obnoxii. Hipparchus stupris & cædibus filium Principis agebat, occisus demum ab Aristogitone, cujus sororem corruperat, Aristogitonem interficiebat miles ab Hippia subornatus. Uno illo facinore perculsi cives ejiciunt ex urbe Hippiam, qui in Persiam profugus Regis Hystaspis animum implebat pravis cōsiliis, ut Athenas invaderet, cæsus vero à Miltiade urbis prætore in campis Marathoniis, non longo post tempore obiit, Xerxi filio regnum & bellum reliquit. Hippias in Lemno miser provixit, miseriæ socium, Miltiadem, qui in Parum Insulam advectus ut Persas expelleret, infeliciter pugnavit, & Xanthippus Periclis pater deferendo eum, uti Persis amicū, effecit apud cives, ut patriæ libe-

A.M. 3436.

Herodotus lib. 2. & 6.

A.M. 3459.

rator in carcerem duceretur, ubi squalore enectus obiit.

Plutarchus III. Xerxes in Græciam duxit copias numero maximas, *Themistocles* navalibus pugnis superior, pari cum Miltiade præmio ab ingrata civitate, quam virtute sua
A. M. conservaverat & ornaverat, af-
1479. fectus, in exilium detrusus, ob inanem potentiæ metum quæ virtuti ejus debita esset, insuper Lacedæmoniorum invidia & pertinacibus accusationibus exagitatus venit primo in Epirum, inde cum Regis Admeti venia discessit in Persiam, & Xerxis gratiam amplexus, inter gentis ejus proceres delicate vivendo, omnes animi virtutes brevi corrupit, & ne cogeretur bello adversus patriam suscepto adesse, veneno bibito obiit Magnesiæ. *Pausanias* terrestri victoria obtenta celebris, urbes ad Hellespontum sitas expugnavit, verum fortunæ successus ambitione propria deturpavit, ut perfidiam adjungeret. Petebat Xerxis Regis filiam matrimonio, vicissim pollicitus, quod Græcorum exercitus omnes vellet prodere, & præsidia omnia in hostis potestatem redigere, quando eum Persæ opibus suis juvare vellent, ut re-
Iustinus lib. 2. gnum Græciæ occuparet. Ephori cupiebant, ut rediret Spartam & veniebat ille ignarus, quod domesticorum fide proditoria consilia emanavissent. Convictus proditionis, ne à lictoribus in carcerem duceretur, fugit in templum Minervæ, rogat veniam delictorum, sed non impetrat, fores templi cæmentis, ubi primum lapidem Alcithea mater apponebat, obducuntur, ne evaderet, ita fame necatus magnam belli gloriam turpi exitu maculavit.

IV. Longimanus in Cypro maritima pugna victus est à *Cimone* Miltiadis filio, qui patrem ob peculatus crimen in carcere defunctum, translatis ad se vinculis redemerat, ne à sepultura prohiberetur, mox urbis suæ Princeps renunciatus fortiter agebat. Et hic ultimus fuit qui Imperium Persicum memorabili damno affecit, Græcorum auspiciis Secuta est pax ad quinqua- A.M.
ginta annos. Græci ab externo 3480.
hoste liberati, domi lites funestas *Thucydi-*
apprehenderunt. Reparaverant *des lib. 1.*
Athenienses desolatam in bello Persico urbem suam, reductis è Trœzene ac Salamine uxoribus liberisque Pyræum muniebant, classe missa Æginam Insulam & multas in Thracia urbes validas expugnabant. Spartani omnium hactenus peractorum laborum commilitones fidi imputabant eis affectati Principatus in Græcia culpam & cupiebant, ut infra mediocritatem urbis suæ munitiones permitterent esse, ne suspiciones consilio fovere viderentur. Athenienses rati, victoriæ & ex illis partæ gloriæ rationem

non

non reddi, pergebant claſſem ſuam augere. Interim Argivi ſolo æquabant Mycænas oppidum nobiliſſimum, & quoq; Meſſenii tot annorum ſervitutem apud Spartanos ferre pertæſi, armis prolatis avitam libertatem recuperare conabantur, verum multitudine civium ſuperati, abjectis armis, fugiebant ſupplices ad Neptuni fanum, viginti mille homines, ut loci religione vitam ſuam tuerentur. Protracti de loco ſacro omnes capitis ſupplicio afficiebantur. Secutus eſt terræ tremor ingens, quo Sparta valde concuſſa eſt, & Numini imputatum, ut iræ ſuæ concepta ob tot millium hominum cædes in pace admiſſas teſtimonium proderet, immiſiſſe terræ motum. In iſto rerum omnium afflicto ſtatu, reliquiæ Meſſeniorum denuo coeunt, Ithomen montem vetus aſylum occupant vi, Naupactum ultro conceſſerunt eis Athenienſes, ubi tutum receptum habebant. Ergo pro Meſſeniis ſtabant Athenienſes, Corinthii, Corcyræi: militiam Spartanorum adjuvabant Thebani, Phocenſes, Megarenſes. Conflictu habito Meſſenii vincebant, ac juncti cum Athenienſium copiis, quas *Leocrates* prætor regebat, Laconiam curſim depopulabantur, Thebanis quoq; non levia damna inferebant. Rurſum Thebani aggreſſi alterum agmen Athenienſium; quod ſub *Tolmide* imperio in Bœotia ſeorſim tendebat, clade illud afficiebant. Athenienſes mature ſolliciti de facienda pace, Cimone ſuadente, finiverunt lites, poſt quam Meſſeniis libertatem & patrios agros reſtituerant Spartani.

V. Urgebant Spartani, ut in ſimili caſu Athenienſes vellent Megarenſium petitis annuere, quos aliquot annis dominio preſſos, nunquam dimiſſuri eſſe, videri poterāt. Et aſſenſerunt volentes, ut apparebat tunc temporis, nam ſequentibus annis non obſcure indicabant, quod eos pœniteret facti. Samii & Meleſii contendebant invicem de imperio in Prienen oppidum, quod utraque gens ſibi aſſerebat. Mileſii inferiores viribus omne jus ſuum transferebant in civitatem Athenarum, quæ miſſo Pericle domabat Samios, Perſis ringentibus. Epidamnii Adriæ littus incolente prædis Liburnorum expoſiti erant, itaque Corinthios de ferenda ope compellant, quā nacti Liburnos ingenti damno afficiunt. Liburni ad Corcyræos abeunt, atque horum navibus in ſocietatem belli aſſumptis Epidamnios prælio vincunt, urbem effringunt incolas occidunt. Corinthii querebantur ſuper Epidamno, colonia ſua, everſa, tanto acerbiori caſu, quod Liburni, barbarus populus, Græcorum viri-

viribus adepti eſſent victoriam,
utq; viciſſim nocerent, Potidæ-
am municipium Atticæ ad defe-
ctionem ſollicitabant. Re in co-
mitiis propoſita Corinthii adſti-
pulatores habebant Spartanos,
de Corcyræis tuendis labora-
bant Athenienſes, quos inſuper
altera illa de Megarenſib us accu-
ſatio premebat, videlicet, quod
eos ab agris & portubus ſuis ar-
cerent, contra pacta vetera. Sthe-
nelides Ephorus mittebat nun-
cios Athenas, ut de injuriis com-
penſandis reſponſum peterent,
ni vellent, bellum certò opperi-
rentur. Rex *Archidamus* repu-
gnabat admodum, quod belli ex-
preſſæ minæ adjectæ eſſent, cæte-
rum Athenienſes ad compoſitio-
nem amicam ultrò ſeſe offere-
bant, bellum deprecati, quando-
quidem Megarenſium commer-
cio abſtinerent, non aliquo gen-
tis odio, ſed quia ſacrilegio ma-
culati, poſtquam lucum antiqua
religione conſecratum in ſubur-
banis noctu ſucciderant, nulla
ante accepta injuria. Ephori in-
ſtabant ut Megarenſibus libera
commercia præſtarentur, novis
deinde Æginetarum poſtulatis
irritati magis, hos quoque ab
Athenienſium dominio exſolvi
cupiebant, itaque Pericles ma-
gnus Conſilii Rector nomine
civitatis ſuæ increpabat Lacedæ-
monios, quod iniqua petendo
belli prætextus veriſſimè quære-
rent, & quia vellent, bellum ha-
berent.

VI. Stabat cometa horridus A.M.
in cœlo, & Sol tanto cum deli- 3520.
quio in meridie defecit, ut ſtellæ *Thucydides*
viderentur. Archidamus progreſ- *lib. 2, 3.*
ſus cum vetitum agmine quoſ-
dam Atticæ pagos ſpoliavit. Peri-
cles cum valida claſſe in Pelo-
ponneſum adnavigavit, multis
derepente locis potitus & maxi-
mam vectigalium partem eripi-
ens Lacedæmoniis, ut belli ner-
vos incideret. Tunc verò conta-
gioſus morbus, pleraſque jam
Aſiæ & Africæ loca pervagatus,
urbem Athenarum devaſtavit,
civibus militibuſq; plurimo nu-
mero conſumptis, bello haut du-
biè finem allaturus, niſi Thraciæ
& Macedoniæ Reges, pecuniam
viroſque obtuliſſent. Itaque hi
Spartanorum Legatos, qui Perſa-
rum Regem adibant, de pecu-
niis dandis rogaturi, ad Helle-
ſpontum captivos factos miſe-
runt Athenas, inque voragines
dejecerunt, evidenti ſponſione,
non depoſituros ſeſe arma. Spar-
tani obſidebant Plateas, & fame
ad faciendam deditionem coge-
bant, incolas ferro mactabant,
Legatorum ſuorum necem ulti,
mox Corinthiis & Æginetis ab
Inſula ſua nuper ejectis juncti in
mari prædas agebant, Salami-
nem diripiebant, Lesbios ad re-
bellionem permovebant. Hos
verò Paches Atticæ prætor im-
pro-

provisus obruebat ac populo suo jubente proceres omnes, mille viros, supplicio afficiebat, quoniam defectionis authores fuerant. Corcyræorum Optimates paria ausos & Laconum auxilia serius aliquanto invocantes, populus mactabat, seque Atheniensibus obligabat. Neque interim feriabantur Lacones confirmatis hinc inde sociorum præsidiis. Et quanquam Phormio in conflictu ad Naupactum aliquot naves eis eriperet, facilè tamen resarciverunt damnum, ac cum valida classe Pyræum invadentes terrorem urbi ipsi inferebant, unde milites optimi dimissi apud Phormionem prætorem in navibus erant, tempestatum vi hactenus detenti in Chalcidos portu, & Salaminiis auxilio futuri cum opus esset. Lacedæmonii contenti quod in urbis conspectu anchoras jecissent, longius inde abibant, prope Leucadem naves è Lesbo profectas, ut Atheniensibus auxilio essent, mergebant. Unicum remedium ad minuendas belli clades expectabatur à Messeniis, qui libertati suæ restituti olim, beneficii magni loco debebant Atheniensibus, quod non servirent Lacedæmoniis. Hi Pylum in vicinia Spartæ oppidum munitum fraude superatum Atheniensib9 ea lege tradebant, *ne ipsis loci dominis, obesset*, milites impositi gravissimis rapinis exhauriebant agros Spartanos. Rex Agis cum exercitu accurrebat, Pylum obsidebat, dum molitur novæ Atheniensiū copiæ ducib9 Cleone & Demosthene, sexaginta navibus advectæ pro liberanda Pylo, in castra ejus impetum faciebant, & abire cogebant, Cytheram Insulam expugnabant, Æginetas piratas multo numero occidebant.

VII. Lacedæmonii pacem offerebant Atheniensibus, militiam illam aspernati, in qua nullum ab armorum successu præmium esset Athenienses præter inane Victoris nomen haut aliud acquisivisse sibi videbantur, minimum aliquid pro tanto sumptuum apparatu, repudiabant oblatas pacis leges. Brasidas in Thraciam profectus militem pro Lacedæmoniis colligebat, Thebanos fœdere sibi adjungebat. Quod Atheniensium res in locis ad Hellespontum florentissimas hactenus non parum afflixit. Missus ab illis Cleon, ut invaderet Thebanos, prælio decernit propè Amphipolin, victus à Brasida exercitum amittit, ipse vix fuga elabitur, victor Brasidas in acie occumbit. Rursum de pace facienda instabant Lacedæmonii, & Nicias Atheniensium prætor nomine civitatis suæ consensit, *ut præsidiis abductis agri dominis legitimis redderentur, exules revocarentur, quin-*

A.M. 3526. *Thucydides lib. 4. 5.*

A.M. 3529.

quinquaginta annis pax duraret. Thebani, Corinthii, Argivi dissenserunt, pactoque invicem inito discedebant in partes non sine gravissimis animorum motibus, quos Alcibiades Atheniensis, vir ad turbas dandas natus, magis etiam incendit, populo acceptus, qui nulla ratione, cæco affectu regitur, & perfecit, ut pax cum Lacedæmoniis abrogaretur. Nicias & optimates alii non poterant furenti populo contrarium
A. M. persuadere, interim Argivos ma-
3533. gno prælio fuderat Rex Agis, & juramento concepto adegerat promittere, nunquam velle ipsos Spartanorum rebus hostiliter obesse. Non servabant fidē, cum certo nuncio perceperant, Athenienses de facienda pace incertos hactenus, nunc belli amore pacē omninò detestari, & Pylum novis præsidiis munire.

A. M. VIII. Ducebant in Melum In-
3534. sulam quæ colonia Spartanorum erat, opes rapiebant, indigenis occisis. Ad hæc omnia novus belli cumulus accedebat. Catanæi & Egestani Siciliæ populi cum vicinis Selinuntiis certabant de finibus agrorum, & quia Pœnorum magna potentia apud Insulanos eos erat, veriti Egestani, ne rebus turbatis sese immiscerent, malebant Athenienses arbitros esse, & Nicias quidem recusabat cum exercitu ad loca procul dissita proficisci, quandoquidem Spartani viribus integris bellum adhuc gerebant, sed Alcibiades audaciter garrulus affirmabat, Reipublicæ vires tantas esse, ut domi sufficerēt adversus omnes hostes, foris quoque occasionem rerum benè gerendarum oblatam persequendam in populo divite & sumptus quoscunq; haut gravatim præbituro. Temerario consilio obsecuti cives mittebant Niciam, Lamachum, & Alcibiadem cum octoginta navibus, ut Egestanis auxilio essent. Alcibiades nimio populi favore turgidus optimatum arte illo excidit, vanus sæpè & ferocior quàm virum decebat, multa fecerat, ut famam nominis quocunque modo acquireret, accusabatur quod statuas Mercuriales truncasset, Cererisq; sacra opertanea evulgasset. Capitale hoc erat secundum leges, idque noverat, ergò revocatus domum, aufugit procul ne capite pericli- taretur, an populi favor constans esset. Venit in Elidem, ubi condemnationis sententiam adversus se prolatam in curia percepit, at ego, inquit ille, me vivere ostendam, hostibusque manifesto transfugio sese adjungebat, Spartæ receptus.

Thucydides lib. 6. 7. Iustinus lib. 4.

Diodorus Siculus lib. 13.

IX. Spartani & Corinthii expediebant classem Gylippo duce in Siciliam, ut Atheniensium conatibus obsisteret. Nicias perculsus rumore de hostis adventu, incertus consiliorum, quid in regione tot dissidiis laborante

cum

cum successu agendum esset, de Syracusanorum portu occupando multa agitabat, ut commeatum eo tutius in castra adducere posset. Gylippus eidem portui imminebat, proinde oborto certamine vincebat equidem Nicias, hoc tamen damno affectus, quod Lamachum virum fortissimum in acie cæsum amiserat. Effecerat Gylippus occultis molitionibus in Syracusanorum urbe, ut Atheniensibus infensi adversus eos pro obtinendo portu omnia tentarent. His artibus melior quam manu, iteratis conflictibus aggreditur Niciam, semper inferior, at felicior ei fuga, quam sua Niciæ victoria fuit, nam Syracusanorum protectione tutus annonam, militum & navium supplementa quacunque occasione nactus, perpetuo ad hostis latera vagabatur, Nicias ab amicis & hostibus perinde rejectus omnibus illis commodis carebat, itaque peste & famis malo vexatus, serius aliquando abitum in patriam apparavit, cum morbis infectæ copiæ nullam justam pugnam aggredi possent. Gylippus in hoc rerum statu de victoria obtinenda certus, ultima vice classem hostium invadebat, & acerrime pugnando tantum efficiebat, ut marina statione depulsi ad littus abirent illi, & noctu iter facientes, ab se invicem aberrando in potestatem Siculorum infestorum venirent. Proinde Syracusanorum impetu occisi plurimi, captivi pauci in lapidicinas detrusi, exitu fœdo potentissimam militiam corruperunt, Nicias inter occisos fuit. Pari successu usus Rex Agis omnes prope urbem Athenarum circumsitos agros per milite: suos Deceleæ arci impositos evastabat. A.M. 3537.

X. Persiæ Rex fortunam belli, non causam, secutus gratulabatur Spartanis de victoria obtenta, & præfecto Joniæ Thissapherni mandabat, ut pro virili adjuvaret eos. *Thucydides lib. 8.* Atheniensibus vero etiam spes nova affulgebat, postquam præliis levioribus superiores Insulanos plurimos, Lesbum, Chium, Samum, edomarent, cumque Rhodiis dubio marte pugnarent. Alcibiades Laconicæ militiæ desertor factus, redibat in gratiam cum civibus suis, & patriæ bono disturbaturus Persiæ cum Spartanis affectatum fœdus, ad Thissaphernem proficiscebatur, cui persuadebat, non nimis enixe juvandos opibus Spartanos, ne victis Atheniensibus victores pro conservanda potentia sua bellum Persis inferrent. Obtemperavit Persa, jam ante liberiori dicto Lichæ Ephori commotus, qui crimina-

minabatur fœdus à civitate sua imparibus legibus dictum stabilitumque cum Persiæ Rege, itaque pecuniæ donarium ingens largitur Alcibiadi, quam ille secum in patriam attulit, reparabantur naves eisque Thrasybulus Rector præficitur. Hic Mindarum Laconicæ classis præfectum ad Abydum cum clade pepulit, eundem non multo post tempore in littore Cizyceno denuo assecutus, fœdiore strage profligat, & Laconicæ imminens, armorum terrore Spartanis injiciebat necessitatem cogitandi de pace facienda, quando Regis Persiæ auxilia non amplius comparerent, & privatæ opes Pharnabassi Lydiæ præfecti, quo hactenus amico fuerant usi, non sufficerent. Sed prævalebant inimica Græciæ fata, & Athenienses fortunæ suæ paulum erectæ jam non capaces, arroganter repudiabant caduceatores à Spartanis missos, Alcibiadis imprimis suasu, cui res turbatæ quæstui erant. Hic profectus ad Hellespontum naves Laconicas, quas Hippocrates regebat, procul inde fugabat, ut liberum in Thraciam aditum pro delectibus faciendis & annona subvehenda solus ipse haberet. Prosecutus victoriam ad Samum Insulam appulit, ubi Laconum fugã stitit alter classis præfectus Lysander, acerrimus belli Sophista.

Xenophon lib. 1.

Nec tamẽ alter in alterum invadere ausus, mutuo metu sese continuerunt. Alcibiades cum speculatoriis lembis adremigabat Byzantiũ, pecuniam mutuo sumpturus apud Cumæos & Clazomenios longa pace divites, relicto prætore Antiocho, quem vetabat extra portum naves educere & absente se adversus hostem aliquid tentare Lysandro indicatum fuit, quod Alcibiades peregre aberat, mittebat igitur celoces aliquas, ut vento secundo usæ impetum facerent in portum, & Antiochum proliciendo speciem pugnæ cierent, hic vero etjam naves aliquas in occursum hostis direxit, quæ successu frustratæ, implorabant subsidiarias, iis quoq; adductis non multum profecit, nam Lysander acrius incumbens loco isto Anthiochum compulit, ut quia metuebat partem classis amittere, totã educeret, cæsus vero totoque mari exactus, non sibi tantum, verum insimul Alcibiadi odium concitavit, quem inimici ejus in judicium vocando, causã dicere jusserunt, arbitrantes victos se nõ quidẽ fortuna belli, sed fraude Imperatoris, in quo levitas animi & morũ luxuria protinus suaderent, deteriora quævis credere, itaq; ille consueta animi licentia missionem sumsit, & in Thraciam profectus ære suo militavit adversus Barbaros, Græcorum castris

A.M. 3542.

pror-

prorſus abſtinens. Ejus unius cōſilio & auxilio Athenæ hactenus ſteterant. Ductum militarem ſuſcepit Conon, rebus ubiq; afflictis, qui victarum partium reliquias equidem coligebat & Leſbi portum aperire conatus, uti poterat, maris imperium tuebatur, ſed dū laceras magis quam integras naves ſecum trahebat, datis acceptisq; cladibus adverſus hoſtem pugnabat, ultimo prælio apud Arginuſas commiſſo vincebat Callicratidem, octoginta naves expugnabat. Ne victoriam perſequeretur & in Laconicam ipſam penetraret, adverſæ tempeſtates effecerunt, quarum vi diſtentus nec quidem littus aliquod tuto adire poterat, ut cæſos acie ſepeliret, abjectisq; illis in mare totius civitatis conſenſu impietatis notam præfecti vicarii commeruerunt, capitis quoq; ſupplicio indicto, quando civitatem adituri eſſent. Hoc præmium erat rei bene geſtæ, & Conon ſupremam quidem præfecturam retinuit, favore ſingulari uſus, verum una cum eo Philocles deinde imperavit, navibus impoſiti ſervi & mercenarii, poſtquam melioris conditionis homines tot ſive cladibus, ſive victoriis conſumpti fuerant.

A.M. 3544.

XI. Stabant naves ſervili turba inſtructæ ad Ægos-potamos, tanto lubentius in illas provectus Lyſander, qui nuper Cariæ urbem Thapſum, unde perpetuam annonam Conon accipiebat, ſolo æquaverat, magno cum damno plebis nauticæ: & virtute ſuorum confiſus, obruebat, cædebat, toto mari pellebat hoſtes. Captivus Philocles demergebatur, milites plerique terreſtri fuga dilapſi, pervenerunt Seſtum, centum ſeptuaginta naves peſſum iverunt. Triremis una Spartam miſſa eſt cum ſpoliis, à quibus cum furtim ſubduxerat aliqua Gylippus, capitis judicium ſubiit, & ne mortis pœna afficeretur, in tempore fugit. Conon deſperatis patriæ rebus in Cyprum diſceſſit, navibus octo comitatus, in quibus mercenarii erant, & Evagoræ Salamines Principi operam ſuam addixit. Lyſander cum majori parte copiarum exſcenſionem facit & præſidia vi, minis, promiſſis, exigendo locis omnibus, omnē Athenienſiū potentiam unis mœniis includit urbem obſidet. ac demum facto aſſultu Agis, Pauſanias, Lyſander, principem Græciæ urbem, longa fame aſſiduisque funeribus exhauſtam ſexto menſe expugnant, incolis arma eripiunt, naves incendunt, proſcriptos reſtituunt, mœnia diruunt, Pyræum dejiciunt, Reipublicæ formam mutant, triginta Directores ſummi ma-

Xenophon lib. 2.

A.M. 3546.

gistratus instar constituunt, præsidium sub Harmoste Callibio imponunt, victoresque confectis rebus ovantes domum redeunt.

Diodorus Siculus lib. 14 Iustinus lib. 5. XII. Triginta Directores crudeliter agendo, urbem opibus & melioribus incolis exhaustam ad solitudinem redegerunt, exilio, morte, carcere in omnes grassa i, quos opibus abundare noverant. Socrates Philosophus in medio erat, civesque oppressos alios consolabatur, aliis opes suas metuentibus exprobrabat seram periculosæ avaritiæ pœnitentiam. Theramenem, Niceratum, Alcibiadem pro salute patriæ conaturos aliqua neci dederunt, & illos quidem secum habitantes, rebellionis in judicio convictos, veneno præbito interfecerunt, hunc apud Pharnabassum Satrapam Asiæ delatum per sicarios noctu invaserunt, flāmisq; domum, ubi incolebat, vexantes, cum fugere vellet, jaculis immissis confoderunt, ne essent qui crudelitatis pœnas exigerēt. Prodiderant Theramenem literæ datæ ad Thrasibulum exulem, quibus hortabatur eum sedulo, ut patriæ in pace magis afflictæ, quam bello unquā fuerat, misertus, in vicinis agris provinciales congregando noctu ad mœnia certo loco accederet neq; de ingressu in urbē desperaret, quando neminem civium obsistentē habiturus esset. Thrasibulus amici obitu irritatus magis qn ā dejectus animo, exulum apud Thebanos degentiū manum colligit, Philam castellum noctu intercipit. Tyranni immemores, quod A.M. 3547. nihil in bello pro levi censendū esset, exsulis minas spernebant, promissa ridebant, patriæ infidi, quādo sub protectione Dominorū novorū possent emolumentū suum curare. Et quia civium fidē merito suspectam habebant, extraneos satellites adsciscebant, Thrasybulum vero etiam donis permovere volebant, ut patriæ amorem vanis opibus commutaret. Hic quotidie auctior affluentibus undiq; milit b9 propius accedit, urbem ipsam civiū studio superat, Directores ejicit, milites præsidiarios fugat, mœnia opere tumultuario reparat, & cumprimis Pyræū vallo valido includit, antequam novas copias expedire possent Spartani. Lysander impatiens tam prosperi eventus, denuo ad arma conclamabat, sed Pausanias Rex intercedebat, ut decreto publico libertas restitueretur Athenis terra mariq; rejectis Tyrannis, postquam civium animos ingenti odio accenderāt Et vero hi privatis opibus effusis copias parabant ad obsidendam urbē, quare civiū fraude ad colloquiū vocati, ceu pacis victimæ jugulabantur Sācita est ex perpetuæ oblivionis. Thebani, Corinthii,

thii, Perſæ opes viroſq; liberaliter ſuppeditaverunt.

Xenophon lib. 3. XIII Dum Græci Barbaris juncti ſub Cyri auſpiciis, qui Aſiæ minoris regnũ in votis habebat, ad Euphratis ripam cum Rege Perſarum Memorioſo confligebant eventu adverſo, Jones qui Cyri caſtra ſecuti fuerant, victoriæ pars in Regis poteſtatem bello adacti conceſſerunt. Præfectus illis datus eſt Thiſſaphernes, Regis gener, cujus felici ductu bellum adverſus Cyrum confectum fuerat, imperata vectigalia, unde Jones ad arma converſi, pactorum veterum jure patebant ſuppetias à Græcis. Soli tunc temporis viribus integri Spartani poterãt ſuccurrere, nam Athenienſes in magna rerum omnium penuria Perſarum liberalitate fruebãtur. Reliquiæ mercenariorum, quos Xenophon ducebat, itinere à Ponto in Lydiam converſo adjungebant ſeſe Thymbroni Spartanorum Duci, ut Jonibus è propiore loco, cum res poſtularet, ſuccurrerent, ſex mille viri. Pergamum opulentam civitatem vi expugnabant, ad Lariſſam variabat fortuna, & cum ſtrage proturbati Græci intra Jonum Carumq; præſidia receptum habebant Re-
A.M. vocatus domum Thymbron ſuc-
3553. ceſſorem accipiebat Dercyllidẽ, qui multis per Bithyniam oppidis devictis hyberna imperabat. Claſſem maximam educebat Ageſilaus Rex, cui Legatus additus eſt Lyſander, vetus in bello civili miles, magna ſpe ſuffultus uterque, poſtquam Ægyptii à Perſis defecerant. *Iuſtinus lib. 6.* Thiſſaphernes alterum ducem veteranum & in eodem bello nobilem, Cononem, quem paulo ante Evagoras, tantum ut Perſas ſequeretur, exauctoraverat, opponebat. Hic militum rebellione vexatus, ſtipendia debita poſcentium, poſtquam gravem ſub magno Duce militiam præſumerent, abiit in Regis aulam, ut præfectos rationum cogeret ad pecunias ſolvendas. Dato ſtipendio nullam agendis rebus moram paſſus, primo impetu Rhodiorum ſupplementa evertebat, & centum navibus inſtructus mare Jonium cuſtodiebat, ne ſpartani aliqua via annonam vel militem urbibus mari illi aſſitis immitterent, unde obſidio earum difficilior reddi poſſet.

XIV. Lyſander ad Helleſpontum excubabat, ne hoſtis ad ſe vires Europæ pertraheret, Ageſilaus terreſtri itinere in Phrygiam delatus, prælio acerrimo adverſus Thiſſaphernem dimicavit, victor caſtra ejus opulentiſſima diripuit. Inde tranſivit in Lydiam, ut *Diodorus Siculus lib. 14.*

ut Sardes oppugnaret, ac Persas tota Asia minori ejiceret, nec poterat eum armis prohibere Thissaphernes, in quem Rex cladis acceptæ culpam omnem derivavit, ut Satrapam generum suum, multisque virtutibus nobilem, hanc solum ob causam, quia infelix erat, capitali supplicio afficeret. Agesilaus omissis Sardibus, quæ valido præsidio defendebantur, copias suas via regia, cum hostili omnium, quacunque incedebat, clade ducebat, in caput rerum, Persiam ipsam, invasurus, tanta erat animi ipsius præsentia, ut majorum suorum virtutis hæres Barbarorum segnitiem ultrò lacesseret, atque Asiam omnem civitatis suæ imperio adjici posse, consideret. Dum Persas terret, domi hostes concitantur Thebani, Corinthii, Argivi, Acarnanes, Chalcidenses, Ambraciotæ, & pars aliqua Thracum, quibus Athenienses duce Thrasybulo arma sociant, Tithraustes Satrapa pecuniam suggerit, ut Agesilaum victorem Asiæ, si perrexisset, imperio potiturum, in isto rerum successu
A.M. impediret. Thebani veteres iras,
3555. ut viderentur Spartanos Atheniensium nomine odisse, novis prætextibus obducebant, evulgando, quod Spartani edicto publico Bœotios proscripsissent, velut receptatores exulum, & qui porrò armis opibusque suis juvissent Athenienses in restauranda urbe occupatos. Lysander ab Hellesponto profectus, in Bœotiam irrumpit, agros devastat, Haliartum oppugnat, sed ab erumpente milite cum magna strage propulsus, in fuga perimitur. Rex alter Pausanias, quod peremptorum cadavera non quidem aperto prælio, sed per inducias recuperaverat, domi, proditionis accusatus, & voluntarium exsilium amplexus obiit Tegeæ Arcadum oppido. Felicior præ illo Archidamus, prope Corinthum fœderatos atroci pugna excepit, ac millia multa victor in acie occidit. Interim Agesilaus agglomeratis passibus Asiam minorem relegendo, veniebat in Peloponnesum, cæsis ad Coroneam Argivorum delectibus. Ne populationibus agros vastaret, graviter sauciatus imperabat copiis suis, & pro vulneribus curandis abibat Delphos: tum quoque obstabat exercitus alius, quem Attica eductum Iphicrates opponebat. *Xenophon lib. 4.*

XV. Conon vincebat navali pugna ad Cnidum, classis aut mersa aut captiva facta est, rector classis Pisander ex vulnere accepto occubuit, Insulani omnes fortunam maris sequebantur ejectis Spartanorum rectoribus.

Mul-

Multum hoc profuit Athieniensium rebus, ut spoliis opimis refecti naves plures fabricare, & ad superiorum temporum potentiam haut temere aspirare possent, verum Conon patriarum rerum satagens deferebatur in aula Persica, quod vellet Jones atque Æoles ad defectionem impellere, accersitus veniebat, ut sese purgaret ac Regis favorem civitati suæ utilem conservaret. Tiribassus Joniæ præfectus tantum effecit, ut Spartani misso Antalcida Rhetore pacem rogarent, & Joniam Regis potestati addicerent. Quod impediturus Conon, evocabatur Sardes & in carcerē ducebatur, ubi mœrore confectus obiit. Accedebat calamitas alia. Thrasybulus antiquæ virtutis princeps rem feliciter gesserat hactenus in Lesbo, sed cum valida classis Spartanorum in societate Rhodiorum & Samiorum adremigabat, discedebat in Thraciam, & Byzantium recipiebat, milites ejus in stativis petulantius agentes, quàm Barbari ferre possent, obruebantur locis multis, Dux ipse concursu ad Pamphyliæ vicum Aspendum facto interficiebatur.

XVI. Iphicrates in Laconica victorem ubique sese gerebat, nam miles domesticus aut in Bœotia aut in Locris, aut alibi erat. ubique verò infelix. Corinthios perdiderunt intestinæ dissensiones. Optimates de pace ineunda suadebant palam, eis populus belli amore contradicebat, hinc ad mutuas cædes progressi, Lacedæmoniorum turmas in vicinia stantes sub Praxite duce, apud quem Bœotii exsules quidam aderant, provocaverunt, ut effracta urbe cædes adderent cædibus, opes raperent, mœnia diruerent. Rex Persiæ demum arbiter factus litium cruentarum, imprimis verò pro componendis Jonum factionibus, quæ à bellatore populo auxiliorum spe è propinquo facta, semper fovebantur, Lacedæmonios ad pacem hortabatur, ipse quoque perscriptas ab Antalcide Rhetore pacis leges ausus promulgare edicebat ista: *ut Græci Europæ omnium rerum hostiliter gestarum oblivionem sanciant, ut Græci Asiani & Cyprus Persarum imperio pareant, ut reliquæ Insulæ dominis quæque suis restituantur.* Ita victoriæ nuper adversus Persas obtentæ nullam evidentem utilitatem Græcis procuraverunt, sed Regi potenti nihil poterat denegari.

A.M. 3563. *Xenophon lib 5.*

XVII. Pax coaluit demum Regique satis fuit, Jones à societate Græcorum, cui tot annis

innexi

innexi Reges suos aut terruerant, aut timuerant, separare. Græci Regis timore assenserant de Jonibus, sociis & amicis suis libertati restituendis non pari fide usi. Mantineam Arcadiæ urbem præsidio imposito regebant Spartani, nec quamvis Græci omnes cuperent, emigrare volebant. Proinde cives vi expellunt milites peregrinos, Thebanorum protectionem invocant, qui non cunctati mittunt auxilia, quæ præ manibus erant, cæterum Spartanorum hostes aperti nondum videri volebant. At Spartani hostem, quàm infidum amicum malebant, in Bæotiam progressi Cleombrotus & Agesilaus vicos depopulabantur,
A. M. arcem Cadmeam Thebis vici-
3571. nam expugnabant. Brevi tamen reddita est arx veris dominis, Pelopidas sex viris comitatus, rustico amictu, gladios occulte ferentibus, noctis beneficio ad portas cædit vigiles horumque commilitones. Ea victoria bene usi Thebani cum exercitu valido in Peloponnesum irrumpunt, Athenienses ad armorum societatem comiter invitant, qui ad continendos imperio suo Insulanos, ne Spartanis auxilium ferrent, classem mittebant sub Chabria & Timotheo ducibus, ac prælio ad Naxum commisso victores, deinceps causis quibusdam permoti abstinebant à bello & Spartanis permittebant continentis imperium, dummodo ipsi mare obtinerent. Thebani hac vice non ausi Isthmum aggredi, incerti nimirum quid Athenienses facturi A. M.
essent, apud Leuctram castra 3579.
ponebant, sub Epaminonda & Pelopida ducibus, eo veniebant Spartanorum Reges, ac memorabili pugna victi sunt perempto Cleombroto, fugato Agesilao. Hostes pone se- *Xenophon*
cuti in Peloponnesum & ma- *lib. 6.*
ximis ubique prædis ditati revertebantur domum. Veniebat Thebas Jason Pheræus *Diodorus*
Thessaliæ Regulus, qui Græ- *Siculus*
cos ad intestina bella nimium *lib. 15.*
faciles, ut tot annis compertum fuerat, Barbaris applaudentibus, nunc demum post tot millium cædes ad concordiam sarciendam serio hortabatur, adeoque apparebat, quod Græciæ populos cum Thessalis fœdere arcto colligari vehementer expeteret, nec dubitaret tantarum virium compos cum exercitu in Asiam proficisci, & Persiæ Regem bello aggredi. Tàm salubre consilium [illegible] reverunt tamen Lacedæmonii, & novis

subsi-

x Diony-ſii, Archidamum Regem in Arcadiam ducere juſſerunt, ubi reliquias Thebanorum permixtas incolis magno prælio ſuperabat. Breve hoc gaudium erat. Epaminondas tota Peloponneſo impunè prædas agendo, Spartæ ipſi oppugnationis terrorem oſt[e]ntando, coegit omnia ſimul propinqua ac longinqua circumſpicere ſubſidia. Athenienſes petendis ſuppetiis proximi erant, regione ipſorum à superiorum temporum calamitatibus jam ſatis refecta, ſed illi proprio diſcrimine anxii (quippe Pelopidas cum Rhodiis navalem ſocietatem pactus, centum triremes viris armiſque inſtructas in Oceanum dimiſerat, ut maris imperium acquirerent) inter ferendum differendumque a[x]ilium dubitabant.

Xenophon lib. 7.

XVIII. Pheræus Theſſaliæ Regulus fraude ſatellitum interemptus, magno timore, cum Græcos amicos, quibus gravis vicinus erat, tum Perſas hoſtes, quibus terrori erat, liberavit. Succeſſit ei frater *Alexander*, vir ſævus ergà cives, in milites liberalis ut haberet, per quos potentiam ſuam ultrò correptam defenderet. Cives accerſebant Pelopidam, ut armis pelleret Tyrannum, ubi ad Pharſalum ventum eſt, acie utrinque ſtructa pugnatur, vincit Pelopidas, ſed velitari haſta percuſſus. Obiit non multò poſtquam nuncius de felice prælii eventu erigebat animos civium & ſociorum. Tyrannus venit in contemptum, & nocte quadam ab uxoris ſuæ fratribus in cubiculum admiſſis obtruncatus eſt.

XIX. Epaminondas vocabatur ab Arcadibus, ut Mantinæam urbem contrà hoſtes tueretur, qui viribus maximis Peloponneſum totam ſuo imperio continere adlaborabant, non invitis Athenienſibus, ut privatas offenſas publico ſtudio demererent. Aderat ille, nec volebant hoſtes prælii copiam facere, itaque in caſtra eo- A.M.
rum aſſultu facto, exturbabat vallis 3587.
timidos, pugnabat fortiter, vincebat ſaucius, inque caſtris animam efflabat vir militari gloria inter Græcos unus eminens, patriæ quam ſui ſtudioſior, pecuniæ ſummus contemptor, literarum meliorum ſcientiſſimus.

XX. Spartanorum vires hac clade ità proſtratæ ſunt, ut nun- A.M.
quam recollegerint illas. Theba- 3594.
ni victoriæ jure nihil non auſi, *Pauſanias*
vocabant Phocæenſes in judici- *Iuſtinus*
um, quod nuper, cum bellum ad- *lib. 8.*
verſus Lacedæmonios flagraret, excurſione facta Bœotiæ agros nulla injuria laceſſiti vaſtaſſent. Pro damnis illatis exigebant mulctam graviſſimam, quam cum ſolvere non poſſent, edictum promulgabatur, *ut incolæ terris agriſq; omnibus ejecti ſolitudinem facerent,*

rent, agri sub hasta venderentur. Perculsi illi edicto atroce, cum precibus nihil obtinere possent, & Græciæ populi alii civilibus bellis exhausti, nulla auxilia præstare vellent, proprio ausu bellum pro patria gerere compulsi, *Philomelum* ducem eligunt, & impetu
A.M. facto Delphicum templum effrin-
3595. gunt, (quod olim adversus Persas, Xerxis temporibus, viribus suis defenderant) pecuniaque ablata mercenarios è Thracia, atque aliundè gentium conscribunt. Tantus militum confluxus fuit, ut levis gloriæ ducentes, hostem domi exspectare, foris eum adorirentur. Orchomeno urbe capta evertebant columnas, quibus Amphyctionum consessus mulctam in Phocænses decretam inscripserat, ter pugnabant, victores semper, quarta vice Locrensium ex insidiis accurrentium, opera victi, ducem Philomelum captivum in manibus hostium reliquerunt. Et hunc quidem Thebani de rupe alta præcipitabant, pacem tamen etiam Phocænsibus offerebant, quia sic Locrenses cupiebant. Verum illi judicum decreto agris patriis spoliati, patrimonium suum in armis esse reputantes, perseverabant duce *Onomarcho* ad Coronæam urbem hostiliter agere, mœnibus superatis incolas occidebant, opes rapiebant. Rursum ergò ad arma decurrebant Thebani, & oportunis Thessalorum suppetiis [illegible] lio vincet[illegible] chum captivum in crucem tollebant.

Diodorus Siculus lib. 16.

XXI. Phocænses novum ducem eligebant *Phayllum*, qui adversus Locrenses velitatione obtenta Aryciam vicum eorum præsidio muniebat, ut cogerentur à Thebanorum fœdere discedere. Dum plura molitur, peste correptus exspiravit, & *Phaleco* Onomarchi filio militiæ ductum commendavit, ut necis paternæ ultor tantò ferocius incumberet perdendis hostium rebus. Novem annis Phalecus solerter gessit bellum, & Thebani de successu desperantes, ad externa auxilia conversi, Philippum Macedoniæ Regem accersebant, ut sacrilegam turbam pelleret armis. Non omnes Græciæ populi factum perindè laudabant, rati verissimè, peregrinis libertatem prodi, & dominationis consortium, quod in Persiæ Regibus semper damnaverunt, ultrò velut offerri Macedonibus. At Thebanis parebant omnia, & hoc tempore quidem socii Macedonum gaudebant, horum ope do- A.M.
mitos Phocænses, & patria eje- 3064.
ctos, belli eventum adversum habuisse, deinceps, cum Macedoniæ Regem, ut dominum, venerari nollent, exitio suo luebant. Phocænses convasatis rebus emigrarunt in Peloponnesum, ubi paulum commorati, ne incolis mo-

lestis

lecti essent, Corinthiorum naves ære conducebant, & Italiam petebant. Veniebant in loca ad Tiberim sita, non uti exules qui prece vel precio appeterent habitandi locum, sed uti hostes, populando agros, urendo vicos, quare *Camillus* Dictator in eos cum exercitu movebat, territi illi adventu Romanorum ad naves redibant. Demum in Creta admissi, Cydonium oppidum condiderunt.

Livius lib. 7.

CAPUT III.

De rebus gestis Macedonum.

Iustinus lib. 7.

I. REgnum Peloponnesi æquisitum ad posteros suos detulerat *Hercules Phœnicius*, qui longo tempore in regionibus Græciæ dominati colonias quoq; aliò emiserunt. Harum una erat sub CARANO nobili Argivo, quo duce pars Macedoniæ, ubi civitas Ædissa est, habitari cepit, regesq; habuit multos, sed finibus modicis contentos, nunc Persiæ Regum, nunc Græciæ populorum societati illigatos, quorum potentia obstabat hactenus, ne emergere possent. Sextus à Carano fuit EUROPUS, qui patrem Philippum infans admodum amisit, ergò Illyricani in Macedoniam progressi agros omninò diripiebant

A.M. 3137.

A.M. 3342.

nec potuerunt ejici, donec armis sumptis, & prælio oblato Macedones aciem struerent, Regemque in cunis præsentem venerati ità fortiter pugnarent, ut hostes prælio cæsi abirent.

II. Octavus est AMYNTAS senior, à quo per legatos suos Darius Hystaspis deditionem postulavit. Et Legatos quidem superbè nimis agentes filius Regis gladiis confecit, pronus obsequio ergà Græcos, quibus bellum indixerant Persæ. Horum felici pugna in campis Marathoniis effectum est, ut Persæ differrent ultionem, atq; interim Amyntas obiit. Successit ALEXANDER, qui cum Bubare Asiæ præfecto convenit in has leges, quod Persis adversus Græcos militantibus annonam procurare vellet, cæterum à castris Græcorum separatus, Bubari sororem matrimonio elocavit. Ejus viri affinitas Regibus Macedoniæ multum deindè profuit. Alexander enim dono à Xerxe accepit regionem amplissimam, inter Olympum & Hemum montes porrectam.

A.M. 3397.

A.M. 3447.

III. AMYNTAS junior cum Illyriis gravissima bella gessit, fida ope Thessalorum oportunè sublevatus, ne omninò periret. Quatuor filios habuit, qui ordine omnes regum obtinuerunt. *Alexandrum* veneno dato mater Eurydice sustulit. *Ptolomæum* occidit frater *Perdiccas*,

A.M. 3557.

A.M. 3581.

hunc Illyricani in conflictu peremerunt. Reliquit filium impuberem, eique proceres Tutorem
A.M. adjunxerunt PHILIPPUM Thebis
3590. evocatum, ubi annis multis obses conversatus cum Epaminonda & Pelopida summis Ducibus militiæ artes perfectè didicerat.

IV. Pupillus fato suo obiit non multò post, quam Philippus venerat Pellam, ubi Regum sedes erat. Asiæ pariter ac Europæ res bellis intestinis afflictæ, odiis consumptæ erant, militum optimorum acie cæsorum strages civitatibus vires ademerant, & Græci imprimis justitiæ, virtutis, concordiæ studia, quibus Imperium steterat, negligendo, histriones, versificatores, coquos, lenones potius quam militiæ artes sectando, occasionem præbuerunt Philippo, ut obscuram gentem, gentium aliarum dominam armorum successu efficeret. Ac bellorum quidem amore ductus, undiquaque hostes aut invenit aut effecit. Argæus frater ejus, sed è pellice natus, ætate major, degebat Athenis, hic post obitum hæredis propioris ad regnum aspirabat, conducto milite in Græcia, & Ducem addebant Athenienses civem suum, Mantiam præfectum Methonæ, quem per insidias victum Philippus gratis dimisit unà cum omnibus captivis, benivolus ergà hostes, quibus virtute par, dolo superior erat. Porro cum

Diodorus Siculus lib. 16.

Iustinus lib. 6.

Illyricanis, Pœonibus, Thessalis præliatus victor evasit. Pœonibus agros abstulit, Thessalis militiam sociam obtulit, qui populus equestri certamine alios antecellebat. Bellum sacrum, quo Græciæ populi affligebantur, ità composuit, ut Phocæensium juventus perculsa rumore advenientis Regis, emigrarent sponte. Rex pro navata opera perpetuus Judex rerum controversarum delectus, in Amphyctionum consessu votum obtinuit è decreto Thebanorum, sed Thermopylarum claustra nolebat à præsidio suo liberare. Videbant Græci, quanqam serò nimis, quantum ipsi ad potentiam vicini Regis juvandam contulissent, itaque de fœdere ineundo palam comminati Regem non adeò terruerunt, ut is etiam proxima simulac longinqua bella moveret, nec ipsis Græcorum sociis parcens. Adversus Roxalanos profectus crudeliter populabatur omnia, ut mercenario militi faveret, sed abeuntem Triballi prosecuti excipiebant prælio, in quo ità vulneratus est Philippus, ut per femur ejus equus interficeretur, cumque omnes occisum putarent, perturbato exercitu præda amissa est. Reversus inde Olynthum, Byzantiū, Potideam, Perinthum, urbes liberas & Græcis fœderatas expugnabat, stabant Græcorum copiæ in Bœotia, quas aggressus A.M.
vicit, Thebas vi effregit, principes 3622.

Iustinus lib. 8.

securi

Iustinus lib.9. securi percussit, & Græciæ universæ Ducem, nemine contradicente, sese constituit. Hæc est nobilis pugna ad Cheroneam, neque deinceps Græci à Macedonum jugo, sese unquam liberare potuerunt. Rex volebat Asiam minorem à Persis, quibus tunc præerat Arsames, vindicare, Jonum & Carum auxilia certò habiturus, â Græcis obtinuerat ducenta millia peditum, quindecim millia equitum, ingentes sanè copias, indictis Corinthi comitiis. Duodecim mille viros cum Parmenione & Attalo Ducibus, ad fines Asiæ præmittebat, ipse domi nuptias apparabat Cleopatræ filiæ suæ & Alexandri Epirotarum Regis, ludis actis cum pompa magna, sacris, profanis, Deos varios exhibebat populo, ut adorarent & sacrificiis venerarentur illos. Permistus in spectaculo cum depicta imagine Divis, honore Deorum sese affici permisit, mox tamen se hominem esse, humano casu demonstravit. Cum enim ludos
A.M. spectabat, satelles Pausanias con-
3614. fodit eum sica, unde statim mortuus concidit, Rex felicissimus. Parricida in crucem sublatus est, quem ad cædem hanc faciendam permoverat Regina Olympias, infensa marito propter inductam thoro pellicem Cleopatram, Attali sororem.

CAPUT IV.

De rebus gestis Siculorum.

I. Siciliæ Insula ex variorum populorum coloniis incrementum suum nacta, Regi & Principi non uni paruit. Celebris imprimis fuit GELON è Rhodiis sanguinem ducens, qui Gelam civitatem sapienter rexit, inde ad Syracusanorum turbas componendas evocatus cum exercitu suo, dedentibus patriciis occupavit urbem, plebejos verò armorum terrore oppressit, ut deinceps imperium obtineret consensu omnium. Pœni maximam Insulæ partem subegerant, recenti fœdere cum Persis Græcorum hostibus æternis pacti, de opprimendis Siciliæ urbibus hactenus liberis, eo tempore quando Persæ ducebant in Atticam. Adversus illos apud Himeram pugna congressus Hamilcarem Principem in acie peremit, trigintà mille viros profligavit. Qui profugerant, in tumulo consederunt, armis non victi, fame subacti dediderunt sese Geloni, & Siciliam mancipiis impleverunt, naves à tempestatibus eversæ vix nuncios cladis ejus deportaverunt in Africam. Eventu simili gavisus Xerxes cum immensis copiis Græciam invadebat, & Græci à Gelone subsidia petebant,

Iustinus lib.19. A.M. 3459. A.M. 3470. *Herodotus lib.7 Diodorus Siculus lib. 11.*

volebatque Gelon auxilio venire, sed uti militiæ Imperator, non verò ut belli socius. Quod non placebat Græcis, ut ipsi Persiæ ductu suo victæ laudem integram haberent.

A.M. 3474. *Diodorus Siculus l. d.* II. Ejus filius HIERON crudelis initio & moribus asper, à Simonide Philosopho vitæ melius instituendæ præcepta accepit, ac Principis boni laudem assecutus est. Cataneam urbem bello domuit; cives refractarios expulit, qui apud Leontinos recepti sunt, eorum verò loco novi è Peloponneso coloni deinceps habitaverunt, quos periculum improvisum obruit.

A.M. 3475. Ætna mons conceptis intrinsecus flammis tanto cum impetu flagrare igni cepit, ut ejectis longius favillis, prunis, pumicibus, urbem Catanam prorsus devastaret, agros vineasque exureret.

A.M. 3484. III. Successit frater THRASIBULUS ob sævitiam publico odio laborans, exilio mulctatus Locris in domo privata obiit. Syracusani abdicato Principatu, regimen populare Atheniensium exemplo formabant. Eo temporis decursu Pœni olim à Gelone victi, arma receperunt, duabus vicibus cum magna classe advolarunt Duces *Diodorus Siculus lib. 13.* Hannibal & Himilcon, qui Selinuntem & Himeram urbes solo æquaverunt, Agrigentum expugnaverunt, ubi bovem æneum Phalaridis nacti Carthaginem deportaverunt pro tropeo, civibus ubique occisis, pauci militum cruentas manus evaserunt, & Syracusas abierunt. Dum usque adeò A.M. 3541. totis agris turbatur, Hermocrates Syracusanus aggreditur patriam, fretus Pœnorum societate, ut se Principem efficeret, verum consilio frustratus & à civibus occisus periit.

IV. Participem consiliorum A.M. 3545. suorum habebat DIONYSIUM, militiæ ducem fortissimum, sed hic *Iustinus lib. 20* aberat domo, partemque classis regebat adversus Pœnos, ne post devictum Agrigentum ad Syracusas ipsas obsidendas pergerent. Hoc ei vitam conservavit, & quod hostilem impetum fortiter à portu divertisset, universæ classis imperium cives ei detulerunt. Sic facilè erat urbis principatum invadere, neque cives in maximo omnium metu ob vicinum nimis hostem, repugnabant admodum. Pœni intrà Motiam urbem cum *Diodorus* valido præsidio continebant sese, *Siculus* in hostem non egressuri ante- *lib. 14.* quam Himilco adesset cum majoribus copiis, qui hactenus mare navigabat rapinis intentus, ut Carthaginem spoliis ditaret. Leptines præfectus classis Siculæ volebat mare tutum à prædonibus illis efficere, sed infeliciter pugnando centum viginti naves omni armorum & militum genere instructas amittebat. Victor Himilco redit Messanam, pauci milites

conta-

contagio aliquo infecti urbem pagosque assitos pertinaci lue afflaverunt, ut intrà breve temporis curriculum multa millia virorum per æstiva distributorum morerentur. Reliquias fugavit Dionysius, captivi plurimi in servitutem dati sunt, Hispani mercenarii dimissi, exceptis illis quos prætoriæ cohorti suæ volentes adscripsit. Naves destitutæ à vectoribus & in portum attractę compensabant damnum nuper ab Himilcone illatum, atque infelix Ductor in patriam vix incolumis remeabat, confectus mœrore. Pœni rerum omnium inopes domi se continebant, interim Dionysius Insulæ totius dominium sibi acquirebat, & extrà illam progressus in Apuliam cum navibus trajiciebat, ubi Crotoniatas, Rheginēses, Messenios, Thurios deprædatus, opes magnas colligebat, à Lucanis per insidias cæsus domum refugiebat, necessitate quoque compulsus, postquam audiverat, maritimos portus à Pœnorum duce Hannone nondum liberatos, novi belli incentivum fore. Dum milites ordinat, & legionum supplementa conquirit, ut in hostem maturè satis educere posset, amicorum dolo interfectus est, miles optimus, ergà cives imperiosus magis quam blandus.

Iustinus lib. 21. V. Successit ei filius DIONYSIUS junior, initio placidus & liberalis, opibus illis quas à patre acceperat, contentus, onerum remissionem populo roganti concessit. Ab hostibus periculum aliò conversum est, postquam Hanno Imperator opes suas, quibus vires civitatis superioribus annis graviter afflictæ premebat, ad occupandam dominationem intenderet, interfecto (si fieri posset) Senatu. Habebat in aula *Platonem* Sapientiæ Doctorem celebrem, ac prosperè egit conversatione virorum bonorum cohibitus ne ad mala descisceret. Porrò Damoclis & parasitorum plurium audacia seductus, dimissis ab aula Sapientibus, ad lenonum & lurconum mores sese composuit. Quod cives perpulit, ut rebellionem cierent, autore Dione, qui Tyranni propinquus erat, in exsilium verò projectus, ne contradiceret improbis aulicorum consiliis. Exercitu apud Leontinos & Himerenses collecto ducebat Syracusas, occurrebat Dionysius & tribus præliis superatus, cum in urbe non haberet amicos, ne inter hostes periret, rebus convasatis, triremi vectus abiit Locros, susceptus ut hospes, ut profugus, Regis speciem quandam conservavit apud populos illos, splendida domo usus, opes liberaliter erogando, epulas publicas largi-

A.M. 3593.

Plutarchus in Dione.

largiendo, vulgum spe magna implevit, ut si Principem urbis eum designarent, magnum inde ad omnes emolumentum redundaret. Ac stolidi illi Tyranno assensissent, proceres verò aversati mores viri, qui per ministros suos totâ urbe stupra & sacrilegia exercebat, edicto ad eum perlato jubebant, ut urbe exiret. Maturabat ipse abitum conductis mercenariis, & navibus Locrensium in Siciliam redibat, arbitratus, quandò omnia civilibus dissidiis turbata essent, non defuturam occasionem rem benè gerendi. *Diodorus Siculus lib. 6.* Autor libertatis Dion civibus apprimè gratus erat, militibus non placebat, cæsus ergò in palacio suo, Tyranni exulis commoda ferè promovisset, ad quem milites A.M. 3605. concursu facto, in portum adduxerunt eum, tandem quoque in urbem receptus, occupavit arcem. Cives ab hoste non uno vexati, cum hinc *Icetas* Leontinus, qui Pœnorum auxiliis instructus, urbis principatum sibi petebat, instaret, illinc *Dionysius* mercenariorum opera usus veterem dignitatem repeteret, neutrius factionem approbantes, à Peloponnesiis *Plutarchus in Timoleonte* exercitum quem Timoleon Corinthius regebat, acceperunt. Ejus ductu profligabatur Icetas, capiebatur Dionysius & Corinthum advectus, ludimagistrum sese offerebat, ut si non viris, pueris tamen imperaret, Hoc saltem nomine Platonis debitor, qui eum juvenem erudiverat olim, & felix in miseria sua, quod Sapientiæ studio mansuefactus fortunam adversam animo secundo perferret. Timoleon progressus in agros Catanenses, Mamerco urbis ejus Principi adversus Pœnos succurrebat. *Diodorus Siculus lib. 16.* Icetam velitatione fractum & in captivitatem redactum, cruci suffixit, quod cum civis esset, Pœnis hostibus studeret dominandi libidine in transversum actus. Hannibalem Pœnum ad fluvium Crinissum maximo prælio vincebat, Messanam & Agrigentum in libertatem vindicabat.

VI. Rebus feliciter gestis obiit Syracusis, quas ab hostibus, à Tyrannis liberaverat. Nec tamen poterat studium ergà Tyrannos ità prorsus aboleri, postquam Dionysius Senior militum favori impensius tribuens, hoc animis eorum firmiter impresserat, ut malent habere Principem unum, quàm Prætores multos. Damantes è Prætorum numero, vir opibus pollens & manu strenuus, domi ac militiæ potens, multa cum successu agebat, morte præventus ne concordiam resarciret. Ejus viduam *Agathocles* navium præfectus summus matrimonio ducebat, *Iustinus lib. 22.* ortu ignobilis quidem (erat enim Carcini è Rhegio figuli pauperis filius) sed virtute præstans, victor Pœnorum & pyratarum. Opibus, quas à Damante acceperat,

rat, suffultus, quæ Damantes, si provixisset, acturus esse credebatur, ipse opum & consiliorum hæres perfecit, Syracusanorum proceres in domum suam ad epulas invitatos obtruncavit, ar-
A.M. 3633. cem effregit, Principem sese constituit. Neque hoc ei satis erat, ultrà provectus civitates vicinas
Diodorus Siculus lib. 19. vi, promissis, superabat, inque Pœnorum valida præsidia impetum faciebat. Hi prælio superio-
A.M. 3640. res fugientem Tyrannum ad ipsa mœnia Syracusarum persecuti, coegerunt illum, ut urbe excederet veritus ne à sicariis trucidaretur. Exercitum in naves deducit, vento secundo usus in Africa appellit, ut cum sua tueri non
Diodorus Siculus lib. 20. posset, aliena diriperet. Milites in littore stabant obsequio ergà Regem faciles, & Rex, ut virtuti necessitatem adderet, naves incendit, progressus agros urendo passim affligebat, Hannonem obvium cum trigintà millibus viris profligabat, Carthaginem obsidebat, ac Pœni arbitrati suos sibi esse iratos Deos, Saturno ducentos nobilissimos juvenes pro hostia cædebant. Bomilcar alter Pœnorum Suffes volebat hosti urbem prodere, sed vulgata re in crucem agitur. Exercitus Pœnorum, qui Syracusas urgebat, infelici casu Ducis Hamilcaris (quem Siculi nocturna eruptione ceperant & obtruncaverant) perculsus diffugit. Agathocles paciscebatur fœdus cum Ophella, quem Ptolomæus Cyrenaicæ præfecerat, copiisque novis obtentis Archagato filio suo bellum commendabat, ipse redibat in Siciliam, ut civitates, quæ Agrigentinorum consilio ad Libertatem adspirabant, invaderet. Hoc impigrè agebat, urbes expugnando, cives fugando, occidendo. Quos inter plurimi erant, cognati horum qui militabant in Africa. Et verò hi filium ejus in castris obtruncabant propè Uticam, Pœni ubique recepti excludebant Siculos. Agathocles præda ab urbibus parta refectus, classem reparabat, Tunetum occupabat. Sed post minuta prælia relicta Africa, quam retineri posse desperabat, non tam ob hostium robur quod exignum erat, quam ob militum odia, quibus in hostico solo non poterant stipendia A.M.
accuratè solvi, repetebat Sicili- 3644.
am, milites ejus ad castra Pœnorum transiverunt. Ipse domi in pace res suas administravit, neque voluit Campanis adesse, quamvis rogatus, auxiliato adversus prædatores Appulos. Se- A.M.
nex correptus morbo, dolorum 366-
magnitudine superatus, venenum bibit.

VII. Hæredes potentiæ reliquit filium Agathoclem & ne- *Iustinus*
potem Archagatum justæ ætatis *lib. 23.*
compotes, cæteri impuberes post obitum patris cum matre

Texena in Ægyptum fugerant, litemque de successione deseruerant. Quam persequebatur pariter Menon summus defuncti Regis amicus. Archagatus emissis sicariis patruum suum Agathoclem interficiebat, hunc verò Menon velut parricidam tradu cebat palam, & comprehensum à militibus in mare præcipitabat, ipse opibus profusis in milites, & à Pœnis subsidia præstolatus, urbis Principem sese gerebat. Cives insurgebant adversus Tyrannum, quem in arce propinquus ejus Icetas obtuncabat, & principatum invadebat. Pœni accurrebant in tanta rerum omnium animorumque distractione, castra ad urbis mœnia locabant, inde magnus per urbem terror invasit incolas omnes, ut Pyrrhum Regem Epiri, tunc pro Tarentinis adversum Romanos in Italia bello occupatum, auxilio evocarent, ac venit ille, Pœnos fugat, sed brevis ei statio contigit, quod ambitiosior imperium sibi acquirere, non verò libertatem populo reddere velle videretur. Rex omissis Siculis Tarentum redit, Syracusani Dictatorem eligunt HIERONEM patre nobili

Polybius lib. 1. Pausanias lib. 1.

Diodorus Siculus lib. 22.

Hieroclito, sed è pellice, natum, quem indicia plurima summæ fortunæ compotem futurum, ostenderant olim. Nam & infantem projectum apes congesto ad os melle aluerant tantisper, & militis gregarii stipendia in castris Pyrrhi adversus Pœnos merentem, aquila subitò advolans clypeoque insidens alis expansis salutavit. Rex electus benè & feliciter gessit omnia, Pœnorum amicus, qui Lilybæum obtinebant, & oportunis excursionibus vicinos agros post Regis Pyrrhi discessum vexabant. Messanam domuit, nec poterat latius evagari deinceps, cum Romani ducibus, Attilio Calatino & Appio Claudio Insulam aggressi, Pœnorum exercitus longè lateque proffligaverunt, captis omnibus urbibus, & cumprimis devicto Lilybeo, quod Pœni hactenus adversum hostiles Pyrrhi impetus, inter magnas & perpetuas clades fortiter defenderant, ac pace facta excluserunt illos. Hieroni erepta Messana, Syracusæ verò permissæ, quandò vectigal solveret.

A.M. 3677.

A.M. 3687.

Diodorus Siculus lib. 23.

❧ (o) ❧

LIBER

LIBER III.

Quo continentur res gestæ sub Monarchiâ Græcâ.

CAPUT I.

De rebus gestis Macedonum.

A.M. 3614. *Iustinus lib.* 11.

I. POstquam Philippus improvisanece sublatus erat, filius ejus ALEXANDER successit, Magnus cognomine dictus, ob constantem in bellis fortunam. Hic statim vicinas gentes, Triballos, Dardanos, Illyrios, quæ Persicam expeditionem magnis sumptibus apparatam divertere possent excitis seditionibus, legibus æquis pacavit, Græcos imprimis Corinthi in comitiis præsens, in obsequio retinuit, dubios hactenus, quando Philippus obierat, ejusque militiæ princeps Imperator Attalus simultatem fovebat adversus Regem novum, usurus Græcorum, uti putabat, in constantia ad perdendum illum. Sed hunc Regi suo fidissimus, æmulo infensus Parmenio opprimebat in castris, & Græci veterum promissorum tenaces, novis sponsionibus obligabant sese, quod vellent Persas armis, viris, pecunia, navibus liberaliter erogatis in socia cum Macedonibus militia persequi. Soli Bœotii rebelles, quod pactum inierant cum patre, exspiravisse post obitum ejus contendebant. Alexander urbē Thebas corona expugnatam diruebat, incolas sub hasta vendebat, profugos aqua & igne interdicebat. Et tamen apud illos Philippus belli artes didicerat, atque soli Thebani juverant nuper, ut Macedones Græcorum rebus sese immiscere vellent. Profugi multi Athenis incolatum obtinuerunt, Demade apud Regem urbis suæ nomine rogante, ut misericordia dignaretur afflictos. Compositis domi rebus, patrimonio inter amicos diviso, sibi spem præfatus sufficere, & Antipatro Macedoniæ prætore dicto, cū mediocribus copiis ad Hellespontū progressus est,

A.M. 3615. *Diodorus Siculus lib.* 17.

milites verò prædæ cupidos à populationibus prohibuit, *non perdenda*, asserens, *quæ possessuri venerint.* Tunc veteranas alas sub Perdicca Duce ad se recepit, & Granico amne transmisso in Phrygia castris opposuit castra, de prælio committendo anxius, quia verebatur, ne hostes clanculum desertis castris profugerent.

A.M. 3616. II. Mithradates Asiæ Satrapa directis signis ad hostes pugnabat, & vincebatur. Præmium victoriæ erat Asia minor, in qua urbes ditissimæ captæ & spoliatæ sunt. Ad Issum concurrebatur prælio altero, victi denuò Persæ victores in Asiam majorem attraxerunt. Damascus Syriæ urbs direpta est, & quoniam Darius novo exercitui colligendo aliquid temporis impendere cogebatur, absente eo apud Medos & Parthos, duæ validæ urbes ad mare magnum sitæ, mercimoniis nobiles, opibus superbæ, Tyrus & Gaza superatæ sunt. Tyrus freta Pœnorum societate, claudebat portas, non intromissura Alexandrum, qui voverat Herculi sacrificium in urbe illa peragendum. Hic verò comminatus obsidionem, ludibrio habebatur, donec ob interfectos Legatos suos, periculoso operi admoveret manum, exercitu insulæ applicato, & septimo demum mense expugnatã incendio penitus consumeret, Gaza mœnibus nudabatur. Profuit Alexandri conatibus defectio Cypriorum, à quibus naves accepit, ad Pœnos, uti quidem putabant, invadendos abiturus, quorum societate nimium confisi Tyrii difficilem urbis ejus obsidionem Alexandro effecerant, ut quæ antea mari undique cingebatur, deinceps molibus jactis in continenti esset.

Curtius lib. 3.

III. Pœnis fama tantum notus, in Palæstina res gerere perrexit. Hierosolymis admissus, urbi pepercit, Cuthæis etiam permisit ut in monte Garisim delubrum novum exstruerent. Ægyptum dedente Masethe præfecto citrà armorum experimentum occupavit, ità benivolum fortunæ affectum non semel expertus, victoriis obtinendo illa quæ præliis quærunt alii. Victoriæ monumentum condidit Alexandriam urbem in Nili confluentibus. Propè habitabant Libyes, ubi celebre erat Oraculum Jovis Hammonis, eò amicorum cohorte assumpta profectus, Jovis filius appellabatur vafro commento sacrificulorum. Voluit tamen Rex credere, nec jam capiebat fortunam suam, humanis viribus, uti censebat, majorem, Deo æqualẽ.

Iosephus lib. 11.

IV. Persæ reparaverant copias suas, & amplissimis per Mediæ campos stativis opperiebantur hostem. Veniebat celeri itinere Alexander, & facta pugnandi copia

Curtius lib. 4.

A.M. 3619. copia ad vicum Arbellam, cædit Persas. Darius in fuga purpuratorum suorum jaculis confossus exspiravit, Babylon, Susan, Persepolis, urbes regiæ & Orientis totius dominæ victori portas aperuerunt. Ad Hyrcanos, Bactrianos, Mardos, populos barbaros & bellicosos edomandos celeri itinere progressus, fugabat Bessum, Nabarsanem, Cobarem, Regis sui latrones perfidos. Et Cobares quidem supplex factus Alexandro, vitæ gratiam accepit, Nabarsanes procul fugit ad Indos, Bessus verò desertus à Bactrianis, quandò facti scelerati pœnam justam veritus, non fidebat Alexandro, proficiscebatur in Sogdianam, ubi Spitamenis amici sui fraude in vincula datus, Alexandro tradebatur. Itaque ad curvatas arbores alligatus, harum reflexu sursum versus discerpebatur in frusta. Nec pudebat eos vinci, postquam Darii Regis obitus nuncio perlatus fuerat. Regis novi obsequium cum magno animi prolubio susceperunt, & delectu virorum fortium habito diminutas legiones ejus expleverunt. Orbis dominium animo suo agitabat, nec ipse tantum feliciter pugnabat, verum à præfectis quoque gloriæ suæ incrementum nactus est. Græci de Persia victa, Dario occiso, Asiæ imperio ad Macedones devoluto, quod nunquam fore puraverant, certissimis rumoribus edocti, ne illi pars servientium essent, bellum indicebant Antipatro, Thessalos ad defectionem invitabant. Verum hi assueverant dudum Macedoniæ legibus parere, itaque conquieverunt in obsequio ergà Alexandrum, ac exemplo suo moverunt Athenienses, ut fœderi renunciarent. Spartani sub Agidis Regis ductu progrediuntur, victi prælio, in quo occubuit Agis fortiter ad ultimum vitæ halitum pro libertate urbis dimicando, ne cladi superesset, cruentam victoriam Antipatro reliquit. Pax tamen data est urbi, & secundum Amphyctionum decretum mulcta imposita ob violatam pacem. A.M. 3621.

Curtius lib. 5.

Curtius lib. 5. Justinus lib. 12.

V. Græci pugnabant singuli & vincebantur universi. Alexander obnoxius factus parasitis, qui eum venerabantur uti Deum Hammonium, à virtutibus suis admodum deflexit. Suspicionibus indulgendo primum, cum audivisset insidias vitæ suæ à quibusdam compositas, & hos criminis reos, & Philotam equitum magistrum fortissimum, ob non delatos in judicium autores, quos resciverat, supplicio affecit, hujus patrem Parmenionem, qui Mediæ præerat, immissis percussoribus, indicta causa necavit, non superbus tantum, verum crudelis quoque, crapulæ & pellicum studiosus, familiares ser-

Curtius lib. 7.

mones cum veteranis Ducibus suis, corruptos mores ejus severius reprehendentibus, nequicquam ferens, prætextus quæsivit, ut candorem animi supplicio capitis expiarent, Clitus imprimis & Callisthenes mala morte perierunt, illum Rex ipse confodit lancea, hunc carnificis manu sustulit. Neque segnior in promovendo bello, quicunque populi suprà Parthiæ deserta ad felices *Curtius lib 8.* Indorum agros usque immensis spaciis, Persiæ Regum aut subditi, aut fœderati olim, incolebant, celeri armorum procursu vincebantur. A.M. 3623. Ad fluvium Indum subsistebat tantisper, ut militem longinquis expeditionibus fessum reficeret, prætoriæ cohorti donabat clypeos argenteos, inde Argyraspides vocati sunt. Fluvio superato in deditionem accepit Regem Taxilem, atque illo comitatus perveniebat in vicini *Curtius lib. 9.* Regis Pori ditionem, qui elephantorum multitudine fretus confligebat adversus Macedones, captivus factus ab Alexandro nihil mali passus est, regnum ei conservavit victor, populosque suis armis domitos, quoniam retinere in obsequio haut poterat, captivo Regi donavit, & muneribus liberaliter ornatum dimisit.

VI. Ad Gangis ripam struxit duodecim aras marmorias, ut posteris constaret, hucusq; profectum Alexandrum cum maximis copiis, jure contendere posse adversus Liberum Patrem & Herculem, qui ante secula aliquot cum manipularibus suis è Libya & Phœnicia egressi, ad remotissimas Asiæ regiones prospero ductu penetraverant. Relegit iter per maritima Indiæ loca, & Gedrosia peragrata rediit in Persiam, Babylone commoraturus, ut provincias ordinaret. Tunc demum ausus matrimoniũ inire, Roxanam Codomanni filiam majorem copulavit sibi, minorem Drypentin Hephæstioni Aulæ-magistro adjunxit. Hic verò non diu superfuit, multo fractus jam membra labore, & vino affatim bibito languidus, obiit, antequam veniret Babylonem. Rex in urbem perrexit, ubi *Curtius lib. 19.* vitæ finem habiturum eum prædicebant Chaldæi familiarium dæmonum ope de eventis futuris prænotionem habentes. Contempsit ille, quandò fata vitari non possunt, & Regum more festas epulas, lætitiæ publicæ testimonia, quotidie instruebat, ultimum vitæ inter gaudia peractæ diẽ habuit in domo Thessali Medi, quò invitatus conviva accesserat, haustoque poculo Herculis, venenum à pocillatore Cassandro inditum, unà bibit. Torminis correptus in cubili acquievit, rogatus ut ante excessũ de futuro successore decerneret verbo, litem proceribus decidendam reliquit, annulo detracto & Perdiccæ supremo militiæ

præ-

præfecto oblato, paucis additis, *ut daretur optimo.* Divinos honores tunc sibi expetivit, cum ipsi felices rebus invicem amicè compositis essent. His gestis dictisque in medio vitæ cursu obiit Maximus Regum quicunque famam extenderunt factis.

A.M. 3627. *Iustinus lib.13.*

VII. Spartani gaudebant, Regem obiisse, filiis relictis qui infrà justam ætatem constituti, patris gloriam factis exæquare nondum poterant. Ambitionem procerum vix ipsis in concordiã mutuò redigendis sufficere, haut vanè rati, de pristina libertate multis modis hactenus diminuta conquerebantur apud vicinos suos, Athenienses, Bœotos, Thessalos, Ætolos. Et quidem Bœoti recusabant oblatas fœderis leges, quod pagos habitarent & hostium injuriis expositi essent. Cæteri pactum inierunt, Demosthene cumprimis hoc agente, qui nuper in gratiam Alexandri patria sua expulsus, cum Harpalum depeculatorem voluerat tueri, nunc turbatis rebus, & sublato Regis metu patriam recuperaverat. Græci ad Lamiam urbem positis castris, missoque Leosthene Duce Antipatrum prælio vicerunt. Proinde Leonnatus Asiæ minoris præfectus legiones firmas auxilio adduxit, nova supplementa Craterus quoque adjunxit. Interim Leosthenes oppugnando Lamiam, ubi cum præsidio inerat Antipater, percussus telo exspiravit, eique successit Antiphilus, virtute par, non etiã successu. Macedones repetito conflictu sociam Græcorum militiam ad Cranonem Thessaliæ urbem clade ingenti affecerunt. Leges victis præscripserunt, & Græcorum Legatus Phocion consensit, *ut Græciæ urbes præsidium Macedonicum admitterent, ut belli impensas redderent, ut Demosthenem ejusq; similes belli incentores perostracismum pellerent, ut colonias in desertos Thraciæ agros profecturas forte legerent, ut Cassandro præfecto obtemperarent.* Bœoti acceperunt præmium servatę fidei, ut Thebas restaurarent. Leonnatus accepto gravi vulnere non diu supervixit: Antipater tam æmulo sublato, quam copiarum accessione recreatus exemit sese obsidione & in Macedoniam concessit. Demosthenes exilio mulctatus abiit in Calabriam, & in Neptuni fano venenum bibit, vir magnus, quem Reges magni venerati semper, aut veriti etiam, fortiter mori voluit, inconstantię damnatus non semel, cum viveret in rerum omnium affluentia. Socius ejus Demades coram Antipatro deprecat9 culpã, in patria mãsit, donec literis ad amicũ datis, quas Antipater intercepit, hęc adscriberet, *res Macedonum à filo putri dependere.* Ergò urbe evocatus & testimonio convictus, quod negare haut posset, aquis demersus periit.

Diodorus Sicul, l.18.

A.M. 3628.

Plutarchus in Demosth.

VIII. Pro-

Iustinus l. d, Curtius l. d.

VIII. Proceres Aulæ & Militiæ conventu ad prætorium habito deliberabant, quid agendum esset. Perdiccas suadebat, exspectari debere tempus quo Roxana gravida pareret, ac si mascula proles esset, regiam coronam, Regis & Reginæ filio deferendã. Clearchus nolebat de incertis angi, itaque Herculem Alexandri filium Barsina Indica matre natum offerebat, ut milites ei juramentum præstarent. Ptolomæus repudiabat ambos, quandoquidem & ille qui jam natus & alter qui nasciturus erat, matrem peregrinam haberet, Regis pellices, non verò conjuges. Meleager deferebat imperium Aridæo, Regis fratri, emotæ mentis Principi, quod cæteri interpretati sunt, non quod Principis imperio subesse vellet, sed quod Principis favore abusus, quem Imperio admovisset, eum deinceps consiliis suis regere vellet. Sententiam Perdiccæ exercitus totus approbavit, ipse Roxanes Curator designatur, cæteri Duces in provincias dimissi, ut quoniam imperium mole sua maximum ab uno commodè regi non posset, à pluribus contineretur in obsequio. Craterus Macedoniæ præerat, Regni Senator maximus, Antipater premebat Græcos, non perindè, ut Barbari, parere assuetos. Sic illi, & primus inter illos Meleager obstinatus Aridæi promotor, laniena ejus, quæ secutis temporibus optimos quosque viros absumsit, initium fecit. Correpto paludamento, quod Regis loculo instratum erat, Aridæum vestit, Regem proclamat, militum cohortem ei adjungit, Perdiccam ad supplicium deposcit. Sed hunc tuebantur Duces reliqui, & facto impetu Meleagrum capiunt, gladioque feriunt, Aridæo potestatem abrogant, militum cohortem vinculis injectis Elephantorum pedibus conculcandam objiciunt.

IX. Perdiccas ducebat in Cappadociam, & gentis ejus Regem Ariarathem prælio vincebat, captum patibulo suffigebat, Eumenem amicum suum provinciæ Rectorem constituebat. Eo tempore Aridæus toto biennio magnificentissimè adornabat funus Regis, ut in Jovis Hammonii fano conderetur, ex itinere occurrebat Lagus, qui receptum ad se illud in urbe Alexandria contumulabat. Perdiccas fallaci amore despondebat sibi filiam Antipatri Nicæam, ut acceptis à socero auxiliis Lagum & Antigonum opprimeret. Mox repudiata illa propriis opibus & clientum paucorum obsequiis nimium confisus, ut auderet majora duces militiæ in potestate sua unus ipse habere volebat, ut non requisito procerum voto dare posset ac auferre quæcunque luberent.

Plutarchus Eum. Arr. lib 6.

Craterus differebat familiari colloquio ad Antipatrum & Antigonum, esse hanc certissimam ad Tyrannidem occupandam viam, tanto magis persuadebat, quod literis ad Olympiadem Regis matrem datis, sororem Regis Cleopatram pro conjugio ineundo rogavisset, itaque principiis obstandum esse rati, evocabant Perdiccam, ut causam diceret, Antigono exercitum traderet, qui Lydiæ Rector erat. Diffidebat ille quod tutus esse posset, quando exercitum à se dimitteret, apud quem sermonibus plurimis accusabat Crateri & Antipatri perfidiam, sibi potius quã Regis hæredib9 faventium, consenserunt omnes, quod vellent armis defendere Perdiccam, & cumprimis Eumenes ac Neoptolemus partem copiarum ducebãt recta in Macedoniam, ut Antipatro dejecto, Cratero occiso, aulæ Consilium melius ordinarent. Perdiccas in Ægyptum contendebat, ubi Ptolomæus Lagi res administrabat, Crateri partium studiosus, & qui dudum contra Regis defuncti hæredes oblocutus fuerat.

X. Eumenes infensi animi socium Neoptolemum castris suis ejiciebat ne in majori discrimine rerum ab illo proderetur Inde feliciter pugnabat cæso in acie Cratero. Secius multo agebat Perdiccas, qui cum restagnantis Nili aquis colluctatus, & aggeribus superandis impar, ordinum ductores multos gladio feriebat velut qui Ptolomæi gratiam occulte exambirent. Suppliciis exacerbatus Pithon magister equitum, nocte quadam aggreditur somno A.M. 3630. curisq; oppressum & obtruncat, *Iustinus lib. 14.* ipse Regum tutelam suscipit, mox tamen iterum deponit, cum Reginæ Eurydices odium adversus se concitaverat. Solutis castris, amisso Duce summo, primores accipiebant nuncium de victoria Eumenis, occiso Cratero, Antipatro fugato. Hoc movit eos, ut in concordiam redire vellent, Antigono detulerunt militiæ præfecturam, qui tantis opibus suffultus Asiæ imperium animo agitabat, neque hoc ei difficile factu erat, tunc cum Perdiccas & Craterus sublati, Ptolomæus Ægypto & Phœniciæ intentus, Antipater vix consisteret adversus domesticas turbas. Proinde Eumenem, qui solus in Asia conatib9 istis obsistere posset, omnibus viribus persecuturus in Lycaoniam abibat, hostem in castello Nora, ubi novos militum delectus ille faciebat, inclusurus. Et vero Eumenes animi magnitudine par Antigono, sumptibus ad copias parandas necessariis inferior, Perdicca spoliatus à quo liberaliter impetrare omnia sueverat, Macedonum odio petitus, quod Craterum nobilissimum

mum Senatorem in conflictu peremisset, obscurus ipse & paulo ante, militaris scriba, copias dimittit in Cappadociam, ne obsidio castelli à multitudine in penuria annonæ commodior esset hosti, & vero hostis nolebat ad castellum unum assidendo tempus extrahere, sed relictis equitum turmis sub Apollonide duce ut eminus circumfusæ prohiberent, quicquid virium ad Eumenem sublevandum confluere posset, ipse cum exercitu properabat in Pisidiam, & obtritis Alcetæ legionibus, quas ille à Perdicca fratre suo acceperat, Ducem capit ac militari consilio Damnatum morte afficit. Ita passim victoriis grassatus Asiæ meliorem partem in obsequio continebat, haut dubie Regiam potestatem affectans, cum nemo obsisteret, nam æmulus ejus Antipater nuper defunctus Macedoniam permiserat Aridæo, & Cassander cum Græcorum infido obsequio conflictabatur, Eumenes paucis legionibus subnixus levi opera debellari poterat.

XI. Ne tamen bello quæreret, quod comiter suadendo forte obtineri posset, Eumenem obsidibus datis evocabat, magnisque promissis invitabat, ut sponte ex Asia discedere vellet. Quod ille se facturum simulabat, Noramque Antigono tradebat. Reversus in Cappadociam non id agebat, ut Antigoni rebus prodesset, studebat potius ut novas turbas dando Antigonum terreret, qui Ephesi Regiam aulam instituerat, coronam sibi propediem impositurus. Roxana vidua pepererat filium Alexandrũ, & Curatorem adsciverat Polysperchontem, Satrapam nobilem, Eumenis amicum, qui edicto vulgato Antigonum perfidiæ damnatum, ut hostem, ut proditorem, armis persequendum esse contendebat, Eumeni copias, pecuniã, naves offerebat, Asiæq; præfecturam demandabat. Peucestes adducebat florem militiæ Regiæ, Argyraspidas, & Eumeni parere jussus. Antigonus desperato successu, ad Ptolomæum sese applicabat, qui nunquam Ægyptum videbatur Alexandri hæredibus reddere velle, eumque permovit ut Peucestem ab Eumenis societate diverteret, ipse pariter rumore sparso criminabatur Peucestem, & milites ejus, quod nobilis Satrapa alterius ductu sese regi pateretur, & quod milites post tot annorum stipendia, cum præmiis tot bellorum domi in pace vivere melius possent quam militiam sectando in qua hostis non esset, opibus propriis eversis, vitæ jacturam insu-

Diodorus Siculus lib. 18.

insuper facere. Contra Eumenes demonstrabat, quam gloriæ plena militia illa esset, in qua pro Regis Magni familia adversus depeculatores fortiter pugnaretur, Regisque filio conservaretur imperii dignitas. Nec repugnabat Peucestes, itaque sociatis copiis pervadebant Asiam celeritate magna usi quam Antigonus uti poterat, non uti volebat, sufflaminando, ad Pasitigrim confligebat, affectus clade magna, & ad Armeniæ fines profugus citra Gabienem substitit, victarum partium reliquias collecturus, & prælii aleam denuo subiturus, magno sane animo, cum promissis non posset hostem evertere, armis rem gesturus.

Diodorus Siculus lib. 19.

XII. Eumenes eodem ducebat, fugientis vestigiis insistens. Antigonus ultro in hostem sese obvertebat, & pugnabat. Victus nocturno prælio deseruit Asiam majorem, de minori Asia sollicitus, ne milites transirent ad castra victoris. Peucestes hyberna occupabat per Syriam & Mesopotamiam, Eumenes in Cappadociam sese recipiebat, cum primo vere iterum educturus in Asiam minorem, ut Antigonum omnino debellaret. Verum hic propiori temporis necessitate circumscriptus, hybernis omissis, lectissimas turmas cogebat, notisque viarum compendiis per deserta progressus in Syriam, multisq; eximiis peditum cohortibus nocturna irruptione obrutis, haud quaquam prospera Eumeni hyberna fecit. Peucestes longius in Persiam discesserat, milites palabundi ad Eumenem confluebant, pedites omnes, & his ad se receptis Eumenes impetum hostis sustinebat, velitationibus fortiter actis, nec volebat justo prælio dare locum, equitum suppetiis destitutus. Adveniebat demum Peucestes magna vi equitum atque elephantorum instructus, sed discors opitulator, ne vincendo alterius gloriam efferret, Eumenem deserebat, & victoriam penes hostem videre malebat quam ablatas hostis impetu opes, castrensia impedimenta, forti manu recuperare. Nec tamen cessit Eumenes, factusque captivus, non quidem virtute hostis, sed proditione militum veteranorum, inter prælia & pugnas Antigono traditur, ac brevi post in castris occiditur. Peucestes omisso certamine ad Macedones inglorius revertitur, veterani opibus mulctati, fame consumpti, suppliciis affecti, Barbarorum ensibus objecti hanc prodi-

tionis mercedem ab Antigono receperunt,ut nemo eorum opibus auctus ad patrios lares remearet, sed Orientis victores perfidia partim sua, partim aliena vincerentur. Python Mediæ prætor ambiguæ fidei eodem tempore interficitur.

XIII. Unus Polysperchon Reginæ viduæ partes fovebat, deinceps non solum cum Antigono de Asiæ imperio colluctaturus, verum etiam Cassandrum hostem expertus, qui patris Antipatri nobilitatem superbè jactabat, seque meritorum ejus hæredem favente exercitu efferebat. Antigonus Polysperchontis odio stimulatus, qui Asiam pro Rege juvene conservare studebat, auxilium promittebat Cassandro, neque minus ad erant naves subsidiariæ quas Ptolomæus è Cypro submittebat. Græcæ urbes ejiciebant Cassandri legiones, Athenis exceptis, quas cum valido præsidio obtinebat frater ejus Nicanor. Adversus hunc legiones educebat Alexander filius Polysperchontis, sed victus ad Spartanos profugit, atque illi urbem suam, quam semper armis, non mœniis defenderant, contra veterem majorum gloriam, hoc tempore mœniorum præsidio includebant. Nova calamitas accessit postquam Olympias Regina cepit liticulas alere cum Aridæo

Diodorus Siculus lib.19.

Principe, quæ sensim increverunt, ut eum neci destinaret. Cassander properabat ad liberandum Aridæum, cum firmo exercitu, nec minus fortiter Olympias, ei cum legionibus instructis occurrebat. Res citra pugnam componebatur, nam milites deserto Cassandro, in Reginæ castra abibant. Ductor paucis amicis comitatus, aufugit trepidus in Asiam, ut novos delectus Antigoni opera usus faceret. Regina crudeliter usa fortunæ successu, Aridæum in carcere strangulabat, Cassandri propinquos gladio feriebat, impotenti animo ducta magis quàm quod horum culpa tanta esset. Proinde ne qui innocentes perierant, vindice insuper carerent, exulum hortatibus effectum est, Cassander à Ptolomæo impetravit auxilium, reversusque in Macedoniam, animis omnium à Regina matre diversis ob factas nobilium virorum cædes, victor passim necessitatem injecit Reginæ, ut cum Roxana nuru & Alexandro nepote fugeret in Pydnam urbem. Pertulit obsidionem, donec fames imperaret deditionem, Regina captiva facta & neque audita, neque defensa à quoquam, sine respectu pristinæ majestatis militum gladiis objecta & occisa est. Roxana & filius ejus dimittebantur Amphipolin, captivis similes, adeoque appa-

A. M. 3633.

apparuit in istis animorum concertationibus funestis, quod Alexandri Regis hæreditatem armis cernerent, hæredum cura neglecta.

XIV. Cassander ejecto Polysperchonte, qui mox confectus mœrore decessit, Regina una cæsa, altera in custodiam deducta, Macedoniam regebat, Græciæ insimul potens Sicyoniorum beneficio oportune confirmatus, qui Alexandrum Spartanis armis instructum dolo per emerant. Sororem Alexandri Magni Thessalonicam matrimonio ducebat, cognationis regiæ obtentu ad majora audenda usurus. Exemplo movit arcanorum conscium Ptolomæum, ut alteram sororem Cleopatram, quæ Sardibus degebat, ambiret per legatos, verum rescivit Antigonus, & Principem virginem dato per ancillas veneno sustulit. Ita fœdavit res animose gestas parricidio (nam ipse quoque Philippi filius, quamvis nothus erat) aliosque seduxit ad pessima quæque facinora patranda. Cassander intentus Macedoniæ regno, veritus ne Roxanæ filius, qui jam quatuordecim annos agebat, militum favore illud corriperet, matrem cum filio interfici jussit, & clanculum sepeliri. Ac quasi parum facinoris in Regis sui matre, conjuge, filio legitimo trucidatis admisisset, porro filium ejus Herculem, jam septendecim annis natum, quem Polysperchon volebat solio imponere, pellecto ad cædem peragendam Tutore ipso, cum matre Barsina veneno sustulit, ut nemo deinde, qui pro Regis Alexandri hærede sese gereret, superesset. A.M. 3640.

XV. Antigonus procul à Macedoniæ litibus remotus, in Asia æmulos omnes, Eumenem, Pythonem, Peucestem, aut occiderat aut spoliaverat. Restabat Seleucus Nicanor Babyloniæ prætor, quem hactenus neutrarum partium in civilibus bellis, ocio suo frui non inviderat Antigonus, toleratæ sub Alexandro militiæ socium æquo animo ferens. Deinceps ratione subducta, quantis impensis constitissent superiorum temporum expeditiones, avidus pecuniæ Seleucum jubebat, ut collectas in provinciis ad Euphratem & Tigrim sitis persolutas inferret ærario militari, quod Sardibus ordinaverat. Recusabat Seleucus, & provocabat ad consensum Senatorum in aula Macedonica, quibus perinde ut alii prætores, obstrictus esset ad reddendam rationem. Dum alter alterius obsequium verbis detrectat, armis corripiendis uterque dispicit occasionem. Antigonus & filius ejus Demetrius

Iustinus lib. 15.

firmos exercitus in potestate habebant, Seleucus imparatus ab armis, de ferenda ope rogabat socios, Ptolomæum, Cassandrum, Lysimachum, cogebantur legiones in Ægypto, Cypro, Macedonia, Peloponneso, Thracia, ut communibus viribus sedes belli intra fines Asiæ contineretur. Demetrius cum Ægyptiis in Syria feliciter præliatus, longius fugere Seleucum adegit, qui apud Medos & Hyrcanos commoratus tantisper, latere maluit inter amicos quam Antigono armis occurrere. Demetrius pacata Syria, liberata à Cassandri præsidiis Caria, properabat terra marique in Græciam, Athenas captas in libertatem asserebat, dimisso in Ægyptum Demetrio Phalereo, qui Cassandri nomine res in urbe administrabat. Ob id summis honoribus à Græcis affectus, qui Cassandri imperium haut æquis animis ferebant. Inde Cyprum classe aggressus, urbium præcipuam Salaminem terribili machinarum apparatu oppugnabat, subsidio euntem Lagum pugna superabat, victoriæque cursu in Ægyptum delatus, naves ducentas hostium flammis perdebat. Tunc demum Antigonus facto ausus, quod toties animi studiis ingentibus concupiverat, Regem Asiæ publico edicto sese ferebat, & Ptolomæus, ut acceptam cladem solaretur, Regem Ægypti sese constituebat.

Plutarchus in Demetrio.

A.M. 3641.

XVI. Sequuti pronis animis Cassander, Lysimachus, Seleucus, tot Reges emerserunt, quot Præfecti regnorum, post bella civilia in vivis adhuc erant. Antigonus classe in Oceanum missa fugabat Lagum, ne Cyprum recuperaret, inde Rhodios deprædatus Regis Lagi socios, porrò in Græciam navigabat, quam nuper occupaverat Cassander cum exercitu, & Thebarum urbem rogatus ab exulibus atque horum posteris amore patriæ impulsis, restitui jusserat. Hunc brevi pugna victum Græcia tota spoliavit, & Cassander multis cladibus fessus pacem rogavit, tantum ut Macedoniam conservaret integram. Pacis leges eventu caruerunt, postquam Seleucus advenire nunciabatur cum formidandi exercitus mole, atque hic in Syriam effusus, ubi Lagus aderat cum equitatu valido, & Sidonem obsidebat, devictis ubique urbibus, pergebat in Joniam, castrisque ad Ephesum positis, ac receptis ad se Lysimachi copiis hostem opperiebatur. Antigo-

A.M. 3644.

Diodorus Siculus lib. 2.

tigonus quoque adventu novorum exercituum, quos è diversis locis Demetrius filius adduxerat, confirmatus, ad ipsa hostium suorum, Lagi, Seleuci, Lysimachi castra oppugnanda alacriter pergebat. Seleucus prior aciem struxit, & cruentissimo prælio victor Antigonus hostes in castra rejecit, sed victoriæ fructus nullus fuit, ipso in acie cæso. Seleucus clade sua felicior, quam patre suo orbus Demetrius victoriæ consortio, Asiam minorem & Phœniciam debellabat, Lagus Cyprum expugnabat, Demetrius partem exercitus ejus, qui nuper infelici casu Principis Antigoni territus, magis victorem Seleucum, quam exulem Demetrium venerabatur, navibus impositam asportabat in Peloponnesum, confisus quod urbes illæ quas duabus vicibus, una quidem Lagi, altera Cassandri & Macedonum imperio subductas virtute sua in libertatem vindicaverat opibus largiter erogatis stativa aliqua daturæ essent. Sed non curabant Græci vagos, magno ingrati animi argumento, quando civitates non tam amore & benivolentia, quam sæpius metu ductæ venerantur Principes armis potentes: itaque veniebat in Chersonesum, alimenta præbebat Lysimachus, maximè infensus quidem Antigono, sed nec amicus Seleuco, postquam is ob victoriam altius eminere cepisset.

A.M. 3649.

XVII. Seleucus totius Asiæ imperio potitus de spoliis inter Reges fœderatos ex æquo dividendis per nuncios compellabatur. Ac Lagus quidem Ciliciam, Palæstinam, Cyprum, obtinuit latæ opis præmium, Lysimacho responsum datum, ut ad desertos Thraciæ agros excolendos incolas à Græcis peteret, Cassandro promissum fuit, ut pro edomandis Græcis brevi auxilia habiturus esset. Veriti populi quidam Græciæ, ne Seleucus ista serio dixisset, protectorem libertatis accersebant Demetrium, quam ille eis primus reddiderat. Athenis dominabatur Lachares Tyrannus, eum cives pellebant, ipsi verò obsidione vexati urbem aperiebant. Itaque receptus Demetrius pro salute Græcorum magna sedulitate agebat, de bello frustra anxius, nam interim, dum Cassander præstolatur Syrorum copias, morbo correptus, obiit verminante corpore. Philippus filius ejus maximus non diu super-

A.M. 3653. *Iustinus lib. 16.*

superfuit, tabe post vertentem annum consumptus: ætate proximus Antipater furoris impletus gladio confodit matrem Thessalonicam, quæ minori fratri Alexandro favere credebatur ut militum suffragio regnum obtineret. Parricida bello impetitur à fratre profugo, quem armis suis adjuvabat Demetrius, ita vero ut sibi potius vinceret quam exu-
A. M. li. Prælio superatus Antipater ad
3658. Lysimachum Thraciæ Regem fugit, socerum suum, qui turbis civilibus districtus non poterat genero succurrere, Alexander incerto casu Larissæ periit, Demetrius regio solio potitur.

XVIII. Felix, si quiescere potuisset, verum aliter evenit. Centum mille pedites, decem mille equites educebat in Asiam, ut à Seleuco genero suo, & Lago socio ejus repeteret florentissimas provincias superiorum temporum calamitate amissas. Lysimachus Thraciæ Rex quem à latere hostem habebat, infirmior illi visus est ac ut ejus potentiam suspiceret. Quamobrem Pyrrho Epiri Regi bellicoso junctus Lysimachus invadebat Macedoniam, & Demetrius spoliatus regno, antequam de hostis irruptione perceperat, Europa deserta, ac patrimonium suum in armis esse reputans, Lydiam subactam ra-
A.M. pinis affligebat. In Cilicia prælio
3665. cæsus, raptim ductis copiis per

Plutarchus in Pyrrho.

Asiam minorem, redibat in Græciã, urbes illas Antigono filio suo commendabat, ultimum fortunæ afflictæ remedium. Acceptis enim copiis novis, quia Pyrrhum Macedonia ejicere non poterat, populabundus Thraciam emetiebatur sed in locis desertis ubi militibus nec annona suppetebat nec stipendia dari poterant, legiones consumptæ impulerunt, ut emigraret, fertilesque Asiæ campos in prædam appeteret.

XIX. Dum assueta rapiendi licentia colonos ad sumenda arma provocabant, Seleucus facile debellabat eos, qui Demetrii Regis sui, ferrum quidem, non vero aurum habentis, obsequio ducebantur verius quam regebantur. Stipendia persolvebat eis quibus deinceps militare volupe non erat, alios in præsidia dimittebat, itaque omnes à Demetrio discesserunt, & Demetrius ipse indignatus sibi nec vincere licere in tanta Seleuci potentia, nec vivere in summa rerum omnium inopia, hoc per filiam Stratonicam impetravit, ut Seleuci Regis captivus bona fide esset, donec viveret. Ita dimissus in A.M.
quoddam Babyloniæ castellum, 3666.
curis severioribus abjectis, venando, ludendo reliquum vitæ tempus exegit. Porro Seleucus & Lagus videbantur sibi deinceps neminem habituri quem timerent, itaque Regnis sponte abdica-

dicabant sese. Et quidem Seleucus persuasus ab Erasistrato medico, filium ejus maximum Antiochum insanabili morbo correptum, quando novercam suam amore arcto complecteretur, assensit impuro consilio, Regemque filium & novercæ maritum fecit, tantum retinuit Syriam ad tempus vitæ. Lagus spreto filio majore Ceranno, minorem Philadelphum solio imponebat, censibus paucis sibi reservatis. Cœterum Seleucus transibat in Macedoniam, quam Demetrio ereptam cupiebat restitui sibi Antipater filius Cassandri. Ne obtineret eam, obsistebat Pyrrhus, cujus armis potissimum effectum fuerat, ut urbes munitæ sub obsequium venissent. Lysimachus pro genero suo in integrum restituendo cum successu pugnabat, dejecto Pyrrho, nec tamen quam præ se ferebat, servabat fidem victor, & clanculum occiso genero, regnum opulentum destinabat Agathocli filio suo, Principi optimo. Hunc noverca Arsinoe Lagi filia odio prosequebatur, & delationibus perpetuis Regem senem, amoribus conjugis obnoxium, impulit, ut Principem de insidiis vitæ suæ structis falso accusatum, veneno tolleret, amicos ejus gladio feriret, filios & uxorem ad carceres damnaret, unde elapsi illi confugiebant ad Seleucum. In ejusdem aulā venerat pridem Philæterus Macedoniæ quæstor, & Lydiæ præfecturam hæreditariam pactus, pro conservanda Regis gratia Reginæ obtulerat magnos thesauros, atque censebat Seleucus, non debere Lysimachum propter ablatas opes regni conqueri, videlicet quæ Demetrii Regis olim fuissent. Lysimachus vero non has tantum, sed quoq; exules reddi sibi cupiebat, nisi bellum in votis haberet. Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, prope octuagenariorum, sed in hac ætate animos juvenili quadam audacia feroces gerebant, & cum Orbem fere soli ipsi tenerent, angustius tamen habitare sibi videbantur. Seleucus prior expediebat, & in Macedoniæ finibus occurrebat, victor occidebat Lysimachum, & victoriæ jure occupabat Macedoniam.

Iustinus lib. 17. *Strabo lib. 11* *A.M. 3669.*

XX. Solus restabat Ducum eorum qui cum Alexandro Magno Orientem pervagati, maximæ fortitudinis exempla ediderant. Superatis fortunæ casibus adversis, peremptis æmulis, Oriente in potestatem redacto, vicinis ad pacem petendam adductis, domesticorum suorum, in quos benificia plurima contulerat, fraude cæsus, victoriis densus occubuit. Habebat in aula sua Ceraunum Lagi filium majorem, quem pater ob mores de-

formes exilio mulctaverat, utque omnem reconciliationis spem præcideret, minori filio Philadelpho coronam imposuerat. Is precibus fatigabat Regem armis potentem, ut in Ægyptum duceret, Philadelphum fugaret. Fessus tot laboribus, & senio insuper afflictus Seleucus, negabat velle se militiam suscipere, in qua nullum latæ opis præmium sperari posset, tantum quod sororis suæ Lysandræ conjugium ita cupienti hospiti non denegaret, ac benigne eum in aula sua habere se velle, insuper promitteret. Sed vana in hominem improbum benficia erant. Responso p r-cepto Ceraunus multo auro, quod Arsinoe Lysimachi vidua, Cerauni soror, Seleuco ob mariti Regis cædem infensa, dabat, percussorem emit, à quo sublatus, Asiam quidem filio Antiocho regendam, Macedoniam vero Lysimachi hæredibus, permisit.

Iustinus lib. 4. XXI. Ceraunus patrato scelere abibat Lysimachiam, & exercitus partem aliquam muneribus conciliabat sibi, ut Macedoniæ Principem eum salutarent. Inde prælio victor adversus Antigonum Demetrii filium Græciæ urbes occupabat. Demum quoq; sororem suam viduam Arsinoen matrimonio ducebat, Lysimachi filios adoptabat, ea lege, quod paternas opes ipsorum bono conservare vellet, interim Curatoris nomine rempublicam administraturus. Antiochus Syrus, Philadelphus Ægyptius, Pyrrus Epirota sociam militiam paciscebantur, quod ille patris sicarium ulcisci vellet, iste exulis fratris fortunam suspectam haberet, hic vero post Lysimachi & Seleuci obitum Macedoniæ regno immineret. Omnes illos tergiversando, exorando, munera dando, intestinos tumultus concitando, aut demulsit aut elusit tempore bene multo, nec Ægyptii militia ultra minas processit, Antiochus Orientis res, sibi propiores curando inveniebat quod ageret, Pyrrhus ad bella mercenaria apud exteros gerenda conversus Macedonia tantisper abstinuit. Ceraunus tanto metu liberatus domi atrociter sæviebat, Arsinoes sororis suæ filios Lysimachum & Philippum quos interpositis capitis sui ultimis exsecrationibus adoptaverat, in gremio matris inter ipsa oscula trucidabat, matrem exilio damnabat, eo miseriorem quod cum filiis non liceret mori. Quanquam videri posset, novercalis odii adversus privignum Agathoclem exerciti olim has velut pœnas fuisse. Sed nec Cerauno inulta scelera erant. Proceres & milites ut in fide manerent, ingentibus promissis onerabat. Hæc eo tempore fere gesta sunt, quo Macedoniam ag-

gressi

A.M. 3670. gressi Celtæ sub Belgio Rege omni cladis genere nobilissimam regionem evastabant. Ceraunus poterat à Dardanis auxilia valida petere, sed respuebat illa ultro etiam oblata, probrosum fore Macedonibus dicens, qui viribus suis universum orbem debellaverant, nunc adversus incompositos Barbaros vicinorum auxilio indigere. Conflictu inferior, telo percussus exspirabat perfidam animam, caput abscissum infigebatur conto & per devictos agros cum jubilo hostium circumferebatur.

Diodorus Siculus lib.22. XXII. Belgius in desolata regione pertæsus militiam sustinere, porro abiit in Asiam minorem cum exercitus dimidia parte, nam altera pars sub Brenno Regulo in Græciam contendebat. *Sosthenes* Macedoniæ prætor congregabat milites in fuga dispersos, ac Pellam urbem defendebat, majora ausurus postquam Dardani advenerant, sed Brennus non relicto ei spacio ad vires

A.M. 3672. confirmandas, magno cum impetu stativa Macedonica invasit ac disturbavit. Sosthenes in fuga periit, ac proceres invitabant Demetrii filium *Antigonum Gonatam*, qui Græciæ tractum ali-

A.M. 3673. quem inter medios hostes conservabat, ut in Macedoniam veniret. Ægerrime ferebat Pyrrhus, quod sibi Gonatas prælatus

Iustinus lib.25. esset, ac bello ulcisci volebat injuriam. Regionem multis rapinis laceratam, ipse viribus integer, levi opera perdomuit, Gonatam expulit, qui à Thessalis opem rogabat, sed Pyrrhi hostes illi esse nolebant, itaque in Græcia, miserorum omnium communi perfugio receptum quæsivit, Argis defensurus vitam opesque relictas contra Pyrrhū, vestigiis ipsius ita prope inhærentem, ut eundem in urbe obsidenda occupatum derepente vidisset, nisi fata ruentem Pyrrhum suffaminavissent. Conveniebat eum, ex itinere *Cleonymus* Spartanus patriæ suæ iratus, quod in regno præteritus foras ire jubebatur. Et persuadebat Regi ut oppugnaret Spartam. Adeo fortiter rem gerebant Spartani, ut multas eximias legiones ejus obruerent, Ptolomæo filio, per quem prospere bella gesserat, inter alios occiso. Rex omissa Sparta contendebat Argos, ubi civium discordia exsulem Antigonum haut leviter affligebat. Nec poterat elabi in magno rerum discrimine constitutus, & vero Pyrrhus vitæ finem insperato casu invenit. Dum propemœnia inter confertissimos milites omnia dirigit, ut assultum faceret, saxo desuper projecto occiditur, Rex qui majorem fere ex bello quam ex imperio voluptatem habebat. Lysimacho, Demetrio, Antigono victorias

Plutarchus in Pyrrho Pausanias in Laconicis.

ſemper, Pœnis, Siculis, Romanis plerumque eripuerat, ſed uti ad devincendas gentes invictus prædicabatur, ita devictis celeriter carebat.

XXIII. Milites ejus Gonatæ ſeſe dedebant, pauci reverſi in Epirum *Heleno* filio regnum confirmabant, nec Gonatas curabat admodum ferociam patris in filio ulciſci, militiæ adverſus Celtas ſtudioſior, quorum Dux *Brennus* impetu in Phocæenſium agros facto, Delphicum templum non tamen ſine magno legionum ſuarum damno, quas tempeſtatum vis in montanis vexaverat, ſpoliaverat, mox itinere

A.M. 3680. arrepto verſus Macedoniam, novis tumultibus eam impleverant. Sed Gonatæ armis devicti, qui è Græcis, Triballis, Dardanis magnas copias attraxerat, convaſatis opibus ſub Leonhardo & Lothario ducibus ad populares ſuos in Aſiam fuga properabant nunquam redituri. Atque ex hoc tempore Reges Orientis, ſine mercenario Gallorum exercitu nulla geſſerunt bella, liberæque civitates eorum præſidio adverſus Regum vim proſperè ſunt uſæ. Tantus nominis Celtici terror & armorum invicta felicitas erat, ut & Reges extorrium illorum armis tuerentur majeſtatem ſuam, & populi ſua privilegia in

Juſtinus lib 26. lacertis eorum ponerent. Verum illi ipſi Regis hoſtes operam meliorem navabant, poſtquam bello inferior, quod Græciæ urbes gerebant, ab exteris ſubſidia petere cogebatur. Nam Græci libertatis à Demetrio acceptæ in illis vicinorũ Regum concertationibus tenaces, multa quidem in Gonatam, cum privato ſimilis apud eos habitabat, liberaliter erogaverant, nunc temporis, quo Regnum occupaverat, ſocium eum venerabantur, non verò ut Dominum. Atqui ille vectigalia & militares operas, uti à ſubditis, præſtari ſibi cupiebat, Athenas exercitu admoto, cæſis auxiliis quæ Spartani & Ptolomæus Ægyptius terra marique ſubmiſerant, ſuperabat, Lacedæmonem obſidione cingebat. Suaſerat Areus Rex, abſumpto commeatu, quod ſupererat roboris, ad patriæ reſervandum uſum, neque temere Athenienſium cauſa vires omnes profundendas. Interim Ætoli & Acarnanes cum Epiri Rege Heleno legiones ſuas conjungunt, Macedoniam devaſtant, ut coactus Gonatas è Græcia diſcederet ad tuenda propria. Subditi ejus favebant Græcis, in Rege ſuo potentiam nimiam peroſi, nec volebant eum juvare opibus ſuis, proinde à Triballis copias impetrabat, & Celtarum, qui in Thraciæ partibus conſederant, legiones addebat. Vicit horum ope, & Macedonia recepta, deinceps in pace vixit.

XXIV.

A.M. 3712. XXIV. Successit ei filius *Demetrius* Græcorum levitatis generosus contemptor. Ceperant illi fœdus Achaicum condere invicem, quo se mutuo obstringebant adversus hostes externos, & cumprimis Macedones, de ferenda ope & libertate conservanda. Corinthus, Megara, Epidaurus opes suas liberaliter conferebant, auxilia pollicebatur Rex Ægypti Evergetes, inde Pyræum, Munichiam, Salaminem, & Sunium à præsidiis Macedonum, corrupto eorum præfecto Diogene liberaverunt. Aristomachus Argivorum & Lysiades Arcadũ Tyranni deposita sponte potestate civitates suas adjungebant. Lacedæmonii verò quod Duces fœderis esse vellent, à cæteris repulsam tulerunt, inde ortæ sunt cum *Arato* Sicyoniorum prætore magno lites, qui sociorum copias educebat, bello pertracturus eos ad societatem fœderis ineundam. Aratus pugnabat infeliciter, neque hoc solum, quod appetebat, excidit, sed multis insuper civitatibus mulctatus, vix fœderi illi, quod ipse primus instituerat, conservando sufficiebat. Cleomenes ducebat Lacedæmoniorum exercitum, victoriis cum civiũ damno usus, opes hosti ereptas militibus largiter donabat, ut juvare vellent eum ad corripiendum urbis dominatum. Res successit, Ephoris aut occisis aut fuga pulsis Tyranno paruerunt omnia.

Iustinus lib. 28.

Plutarchus in Arato.

XXV. Demetrius filium reliquit *Philippum*, ætatis infirmæ, eique Curatorem adjunxit *Antigonum Dosontem*. Hunc convenit Aratus Sicyonius, ac certa spe facta, quod non sine magno Regni commodo turbatas Græcorum res invasurus esset, copias obtinuit, quibus recta in Laconicam promotis invadebat gentem quæ sola Philippi Alexandrique bellis & imperiũ Macedonũ & omnibus metuenda arma contempserat. Inter duos nobilissimos populos certatũ fuit summis utrinq; viribus hinc veteri gloria, illinc amata libertate ipsaque etiam salute ad fortitudinem stimulante. Victi prælio cruento Spartani nõ tam suorũ mortes quàm proprias dolebant vices, quod non omnes pro libertate patriæ cecidissent. Rex Cleomenes conscensa navi, opibus onustus, conjuge & familia comitatus in Ægyptum abibat. Doson urbem ingressus aurum pro navata opera accepit, cæterũ læsit neminẽ, gavisus plurimum, quod Tyrannus mature fugisset, exules restituit. A.M. 3721.

Iustinus l. d.

Plutarchus in Cleomene.

XXVI. Adversus Dardanos & Triballos expeditionem suscepit, cumq; prælio eos adoriretur, nutantem aciem clamoribus maximis inhibuit, ne solveretur omnino, venaque rupta sanguinis profluvium elicuit, ac obiit, melioris

fidei Curator, quàm ætate illa plures alii esse consueverant. Philippus Rex in aulam suam accersebat Aratum Sicyonium, virum spectatæ virtutis & qui Græcorum arcana consilia moderabatur hactenus, ut exterorum Regum jugo non facile succumberent, servata inter se concordia. Ejus familiari cōversatione usus, multum proficiebat, optimus Princeps futurus, si constantia perinde adfuisset. Verum Heraclides Tarentinus & similes aulæ pestes non siverunt illum bonum esse, de bellis cum magno verborum strepitu, dicentes, & Aratus pacis studiosus, non erat, ut pridem, in flagranti Regis gratia, quare, cum sciret, versum esse aulæ ingenium, petiit missionem ad populares suos rediturus, & impetravit quidem, sed ut cum missione accepta vitam simul deponeret, veneno potus, ne secreta aulæ enunciaret ad Græcos, qui non frustra metuebant sibi à Macedonum apparatibus bellicis. Interim Cleomene profugus liberaliter habitus in Evergetis aula provixit, quo defuncto nō eadē gratia fruebatur apud successorem ejus Philopatorem, carceri verò inclusus & proditionis accusat9, vino copioso obruebat custodes, seq; sociosq; tredecim vinculis solvebat, & per vicos urbis Alexandriæ discurrēdo seditiosis vocibus adversus Regē aulicæ inertiæ deditum inclamabat, obvios aulæ proceres, Regis parasitos gladio obtruncabat. Nemo audebat hortamentis ejus obtemperare, metu Regis an reverentia ejus ducti, itaque militum caterva eminus territus certæque neci destinatus, hoc cum sociis pactum subitò inivit, ut mutuis vulneribus seipsos conficerent. Græci verò clauserant Hellespontum navibus, & Abydo prope assitæ urbi cohortes à Thessalis acceptas imposuerant, ita maris dominium vindicaturi ne Macedoniæ Reges illud invaderent, hanc obsessam Philippus in magnas angustias redegit, ut cum se dedere nollet incolæ, nec Græci in tempore auxilia mittere possent, subjectis facibus urbem ipsi in flammas cōjecerint. Porrò adibat eum Demetrius Pharius, ejectus Corcyra postquam fidem Romanis datā servare noluerat, multisq; verbis exaggerabat insatiabilem Romanorum erga bella cupiditatem, qui Pœnis devictis Insulas plurimas occupaverant, totiusq; mundi opibus immineāt. Suadebat ergò ut Græcis pacem dare vellet, Pœnisq; fœd9 offerre, quorum imperator Hannibal renovabat bellum in Italia. Rex oppugnabat Athenas, ubi fortuna circumacta est. Romani dudum occasionem quærebant, ut Regem bello adoriri possent, qui dominantem in Italia Hannibalem fædere sibi junxerat. Græcorum

Margin notes: A.M. 3728 — Polybius lib. 8. Iustinus l. 29. — A.M. 3737. — Livius lib. 31.

rum precibus justis permoti *Levinum* prætorem cum exercitu abire jusserunt in Macedoniam, Ætoli & Rhodii maritimas copias ad claudendum Hellespontum destinabant, Dardani Macedoniæ fines ingressi viginti mille captivos abducebant, Attalus Rex Lydiæ offerebat Romanis amplissima subsidia. Et quanquam Scopas præfectus Cœlesyriæ missus ab Ægypti Rege Epiphane sex mille pedites, equites, nautas preci… conductos deportabat Æto…æ gentis in Syriam, non tamen decedebat quicquam sociorum viribus. Rex undique afflictus serio demum stoli…itatis condemnavit vana parasitorum

A.M. 3749. consilia, & levi prælio cæsus in *Livius lib. 33. Plutarchus in Flaminio.* Epiro, ubi *Titus Flaminius* Consul validas Romanorum legiones regebat, pacem rogabat. Eam dabant Romani, & leges addebant, ut intra regni sui fines quietus sese contineret, ut Græcorum agris opibusque abstineret, ut mille talenta quotannis penderet, ut filium suum majorem Demetrium obsidem traderet. Lubens assensit, & Demetrius Romæ à Senatorum conversatione multum profecit, demum etiam remissus est ad patrem, cum ille rogaret. Ætoli haut obscurè indignabantur, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque Regi adempta & data sibi esset in præmium belli, itaq; clanculum per nuncios agebant cum Antiocho Syriæ Rege, ut post confectam expeditionem adversus Ægyptios cũ multo majore belli mole aggredi vellet Romanos, quando hi Regem Ægypti adjuverant, ac spondebant, Græciæ populos omnes in partibus ejus futuros. Præterea incusabant Romanos doli manifesti, cum non redderent Græcis libertatem, ac potius Corinthum, Chalcidem, Demetriadem oportunas urbes, Græciæ velut compedes, validis præsidiis continerent. Ad refellendos illos malevolorum sermones, Flaminio in mandatis dabatur, ne pergeret fovere calumnias, quasi ad transferendum à Rege Philippo ad se imperiũ Romani trajecissent mare, proinde Corinthũ Achæis redderet, reliquas Græciæ urbes præconis voce in ludis Nemeis pronunciaret liberas. Græci applaudebant, veruntamẽ Acrocorinthum, Chalcidẽ & Demetriadẽ, militibus impositis conservare visum fuit, donec Antiochi metu liberati essẽt, quem in Europã adducturũ copias, nequaquam dubitabant, & fecialis jam denunciaverat.

XXVII. Pater levi, ut censebat, *Livius lib. 40.* bello defunct9, vectigalia recusabat solvere, vicinas gentes, & Ætolos imprimis, nuper hostes suos ad societatem armorum pelliciebat, ut junctis operis invidiosam Romanorum potentiam everterent. Demetrius rogatus in consilio aulico, palam respondebat,

majorem Romani populi gloriam esse ac ut sociorum armis debellari posset. Annuebant proceres multi, & Regem ad pacem servandam hortabantur, quos ille proditionis accusatos gladio feriebat, Demetrium ab aula & consiliis procul removebat, certoque secum statuebat, quando Pergami Regem Attalum militiæ novæ obnoxium crebris legationibus effecisset, bellum transferre in Italiam. Perseus minor filius applaudebat, cumque animadverteret, Demetrium patris favore spoliatum, addidit calumniarum cumulum, obsidem Romanum eum de patre occidendo consilia agitare, & pater nimis facilis ad credendũ quidvis, venenum dari curabat optimæ indolis Principi, cum apud

A.M. 3768. DidamPœoniæRectoremcœnabat. Mox fraude explorata, innocentis filii nece, haut minus quam delatoris alterius scelere torquebatur animi, ut non longo post tempore obiret.

A.M. 3771. *Iustinus lib. 3. Livius lib. 42. seq.* XXVIII. *Perseus* regnum bellique apparatus maximos à patre relictos suscipiebat quidem, verum sociæ gentes, quas pater aut muneribus datis aut promissis illigaverat partibus suis, Regis novi moribus ab omni liberalitate remotis perculsæ, renunciabant fœderi, Attalus, Dardani, Triballi. Nec tamen ille omisit belli consilia quovis modo promovere, excursionibus vexando Græcos, Dardanos ad tributa danda cogendo, Pœnos ad moliendas res novas hortando, mercatorum ex Italia profectorum opes diripiendo. Ejus odium insigne apud Romanos fecit Eumenes, commentarium ferens Romam, quod de ejus apparatibus belli omnia inquirens condiderat. Hunc Delphis per latrones inter sacra fere trucidaverat, & vero post insidias detectas, eo magis exardescebat Eumenes.

A.M. 3780. Veniebant Roma Legati questũ injurias, hos ille ocyus excedere aula jubebat, nec responsum aliud dabat. Senatusconsulto facto bellum decernitur, Romanos per se virium compotes satis, adjuvabant spe prædæ impulsi, Eumenes Pergamenus, Prusias Bithynus, Antiochus Syrus, Ptolomæus Ægyptius, Masinissa Afer. Et vero Perseus tantæ bellorum moli impar, necessitate in virtutem versa, Thraces, Celtas, Illyrianos, Cretas excivit, ut in Adriatico mari negotium facesserent Romanis. Græciæ populi non eadem sentiebant, quando alii favebant Perseo, ubi populare imperium prævalebat: alii ad Romanos inclinabant animis, scilicet ubi principes viri augere potentiam suam volebant. Optimi & prudentissimi neutram partem cupiebant potentiorem altera oppressa fieri, sed illibatis

potius

potius viribus utriusque partis, pacem ex eo manere. Cum omnia præparata atque instructa haberet Perseus, & ſuo maxime tempore, alieno hoſtibus, incipere bellum poſſet, locaque opportuna invadere, ſpe vana pacis deluſus à Marcio & Attilio Romanorum Legatis, illis ſeſe inſtruendi ſpacium dedit, ipſe multo negligentior. Eorumdem artibus effectum eſt, ut Collegio Achæorum diſcordia aliqua induceretur, ne vel ſecum concordes, vel cum Macedonibus conjungi amplius ullo conſenſu poſſent. Rex terra profectus uno prælio in Theſſalia vicit *Licinium Craſſum* Conſulem, altero ad Macedoniæ fines ſuperavit *Hoſtilium Mancinum*. Si victis inſtitiſſet, liberalibusque impenſis juviſſet ſocios, in non leve periculum adduxiſſet Romanos, quorum valde intererat, libero mari per Adriatica littora pecuniam corrogare, milites educere, auxilia petere. Attamen debilitato propria culpa ſucceſſu, ut domi conſervaret aurum, fœderatos nec ſoluto ſtipendio dimiſit, pacemque Romæ petivit legibus iis quas pater acceperat.

Livius lib 43. XXIX. Romanis commodum accidit, quod avarus tunc, cum non oportebat, incubaret auro, proinde negabant, velle ſe pacem Regi dare niſi ille ſeque ſuaque omnia Senatus populique Romani arbitrio permitteret. Grave iſtud viſum eſt Regi, adeoque ſuper Romanorum auſteritate conqueſtus, parum aberat, quin Eumenem Pergamenum et Antiochum Syrum à Romanorum fœdere diſtraheret, veruntamen Romanorum promiſſis illecti, quod latæ opis præmium non deforet, domita Macedonia, & Perſei mores averſati, quod præſenti remedio auro corrumpendo animos, cum poſſet, uti nollet, perrexerunt in Romanorum caſtris militare. Solus Gentius Illyricæ Rex adverſus Romanos in fide perſtitit, cæſus apud Scodram prælio ab Anicio prætore, & mox Cliſſæ obſeſſus deſertus à Perſeo, qui amici caſu non multum angebatur, in poteſtatem hoſtium conceſſit. Supervenit rebus iſtis *Æmylius Paulus* cum imperio ampliſſimo, & *Livius lib. 44.* novarum legionum ſupplemento inſtructus, recta via Macedoniam petivit. Rex prælium obtulit, dubio eventu, fortiter agente peditatu, nec potuit Æmylius turbare aciem, donec equitatus in fugam verſus, Romanis victoriam relinqueret. *Plutarchus in Paulo Æmylio.* Rex fuga ſecutus Pellæ ſubſtitit, & militarium culparum vindex ſeverior non paucos ordinum ductores capite mulctavit, plurimos etiam terruit, ut illi deſerto Rege hoſti proderent omnia. Rex aſſumpto Cretum ſatellitio, auri melior, quam *Livius lib. 5.*

regni, custos, evasit in Samothraciam religionis opinione munitam Insulam, ubi comprehensus & Romam adductus Triumphi gloriam præsentia sua ornavit, ac
A.M. 3782. deinceps in carcere obiit. Macedonia populi Romani provincia facta est.

CAPUT II.
De rebus gestis Syrorum.

A.M. 3669. *Iustinus lib. 27. Appianus in Syriacis.* I. Seleuco Nicanore per Ceraunum latronem occiso, Asiæ imperium occupabat filius ejus *Antiochus Soter*, vitæ tranquillæ studiosus, Stratonices novercæ suæ maritus. Ab eo defecit Nicomedes Bithyniæ præfectus, & Celtarum, qui è Macedonia profecti, sedem in Asia minori stabilem quærebant, auxiliis usus Regnum in populis illis constituit, Celtisq; Galatiam habitandam, ea lege ut Bithyniæ Regum stipendiarii perpetui essent, donavit. Posthæc Galatæ dicti, nobilem urbem Ancyram condiderunt.

A.M. 3688. II. Hujus filius *Antiochus Theos* defendit Joniam adversus Timarchum, qui Miletum vi occupaverat, inde plura ausurus, ut Regis opes maritimas accideret. Conjugio infelix, primam uxorem habebat *Laodiceam* Philadelphi Ægyptii filiam majorem, ex qua suscepit filios duos, Seleucum Callinicum & Antiochum Hieracem, ferocissimos juvenes: dimissa illa *Berenicen* sororem thoro inducebat, promisso una facto quod è priori conjugio genitos filios abdicare omnino vellet, ac Ptolomæum filium minimum Regno admovere. Pater veneno peremptus, antequam Berenices filius justam ætatem haberet, funestas lites concivit. Seleucus filius major potestatem regiam corripuit, & fugientem novercam una cum filio Daphnis obsedit, captivam factam occidit.

III. Evergetes frater Berenices, sororis necem ulturus, copias in Syriam promovit, civitatibus potitus cum primo adventu, incolis ipsis à Rege suo multorum facinorum reo, defectionem certatim velut parantibus. Reversus in Ægyptum, duorum regnorum potens, Seleuco exuli varias insidias tendebat, quibus elusis ille Oceanum navigabat, pyratica vitam inopem tolerans. Classe per tempestatem amissa, admissusq; Antiochiæ per amicos suos, repentina animorum mutatione facta Ptolomæi milites ex urbe depellit, copias mediocres cogit. Sed quasi ad ludibrium fortunæ solum natus esset, nec propter aliud opes recepisset Regni, quam ut amitteret, victus prælio, non multo quàm post naufragium comitatior, trepi-

A.M. 3704. *Iustinus l. d.*

dus Antiochiam confugit, ab Antiocho fratre suo, qui Taurinis gentibus imperabat, Evergetis gratia subnixus potius quam quod vires ejus tantæ essent, auxilia petit. Consensit ille, opemque suam condixit, non equidem juvandi fratrem, sed regnum Syriæ occupandi animo. Venit ergo Cappadociæ Regis Arimenis soceri sui, & Galatarum mercenariis turmis instructus, Seleucum ejicit, ac confisus, nihil auxilii Seleuco profugo à quoquam paratum esse, regionibus devictis securus imperabat, Galatis domum remissis qui arbitrati Seleucum cecidisse arma convertebant in Antiochum socium liberius depopulaturi Asiam, si regiam omnem stirpem interfecissent. Antiochus dato auro placabat eos, & fœdere perpetuo sibi adjungebat. Illi non patientes ocii in minorem Asiam excursiones faciebant, velut in possessionem vacantem, quando Lydiæ Reges è Philæteri posteris hactenus exercebant cruentas lites adversum Syriæ Reges. Ea namque tempestate omnia bella velut in exitium Asiæ gerebantur, uti quisque prælio superior fuerat, Asiam velut prædam occupabat. Eumenes pellebat eos Lydia, & ejusdem expeditionis procursu firmabat sibi possessionem regni. Interim Seleucus comparabat exercitum in Babylonia, profligato fratre Syriæ urbes recuperabat, & facto progressu regiones ad Taurum sitas eidem adimebat, ut trepidus ille confugeret in Ægyptum, plus fiduciæ in hoste aperto quam in fratre læso ponens. Sed Ptolomæus eum carceri inclusit, ubi septem annis asservatus demum custode auro corrupit, & evasit, à latrunculis vero occisus in Arabiæ desertis, per quæ ignoto habitu iter faciebat. Seleucus multorum præfectorum rebellione vexatus Bactrianam *Theototo*, Parthiam *Arsaci*, Lydiam & Pamphyliam *Eumeni* è Philæteri posteris Regum titulo occupandas permisit, nec unquam potuerunt gentes illæ à Syriæ Regibus ad pristinum obsequium armis reduci.

IV. Equo delapsus in venatione obiit, toto vitæ tempore infelix propter novercam occisam. Ejus filius *Seleucus Ceraunus* perinde uti pater, seditionibus præfectorum suorum agitatus, depugnavit adversus illos, in bello contra Attalum Pergami Regem occisus à mercenariis Galatis, quibus stipendia non poterat solvere. Successit ei frater *Antiochus* cognomine *Magnus* dictus, non quidem ob res fortiter gestas, sed quia cum magnis Regibus & populis confligere ausus, res à majoribus suis relictas diminuit.

A.M. 3725. *Iustinus lib 30.*

A.M. 3729. *Polybius lib 7.*

Erat nondum ſat firmatæ ætatis, itaque Hermeæ purpurati conſiliis nimium regebatur, & p r Xenetam alioſque duces, familiares ejus malè rem gerebat. Donec proditionis convictus Hermeas, homo crudelis & ambitioſus, occideretur Apameæ. Defecit ab illo Artaxias Satrapa, & Armeniæ regnum inſtituit. Sophaſenus provincias Indicas ei eripuit, Arſaces prolatis armis Hyrcaniam occupavit, in Media idem conaturus Molon præfectus à provincialibus capitur & Antiocho oblatus cruci figitur. Cæteris omiſſis, quæ recuperari non poterant, Syriæ intentus, hanc repoſcebat à Philopatore Ægyptio, recuſanti bellum indicebat. Noverat hunc luxuriæ deditum, Regiſq; mores omnem ſequi Regiam, nec amicos tantum, ſed quoque exercitus depoſitis militiæ ſtudiis, ocio ac deſidia corruptos, marcere. Expediebat prior, antequam hoſtis præſidia firmaret majoribus copiis, Seleuciam, Tyrum, Sidonem, Ptolomaidem, Samariam, urbes potentes expugnabat, Nicolaum Damaſcenæ præfectum velitatione ſuperabat, Theodotus Ætolus præfectus Cœleſyriæ, quia ſocordem Regem nulla virtuti aut fortitudini ſtatuere præmia animadverteret, indignatus contemptui eſſe res præclarè ab ſe geſtas, deficiebat ad Antiochum, militiæ amantem & virorum fortium conquiſitorem ſedulum. Hic prono victoriæ curſu delatus in Ægyptum caſtra ad Raphiam ponebat. Ne pergeret, occurrebat ei Philopator cum exercitu, & valido prælio conciſos Syros adigebat captas urbes omnes reddere.

V. Regis ſui cladem in ejuſdem majus damnum verſurus Achæus Joniæ & Myſiæ præfectus, Regem in populis illis ſeſe gerebat, quomodo præfecti alii cum ſucceſſu fecerant. Pergami Rex *Attalus* invidia motus, nec tam benè ſocio quàm ſibi ipſi cupiens, prodidit eum Regi, & Galatarum armis vexatum ſemper, ne urbibus à ſe captis Achæus de commeatu & præſidiis provideret, demum etiam prælio victum intra Sardes obſedit. Noctu elapſus mutato habitu, ſed in caſtris à Bolide milite Cretenſi agnitus Regi ſiſtitur, qui manibus pedibuſq; mulctatum in crucem egit. *Polybius lib. 8.* Deceſſerat interim Philopator, ac filium ſuum Epiphanem commendaverat teſtamento Senatui Romano, aderatq; Marcus Æmylius Lepidus Pontifex Max. qui Alexãdriæ commoratus tutorio nomine regnum pupilli adminiſtraret. Hoc novi belli occaſionẽ interpretatus Antiochus tutelam ſibi arrogabat, quia Epiphanis propinquus eſſet, principis verò etiam ætatem, procerum diſſidia

ſpecu-

Polybius lib. 16.

ſpeculatus, Romanos velut longius remotos parum curabat. Eductis itaque copiis in Pœniciam, ad Jordanis fontes pugna excepit Scopam Libani prætorem, Græcorum legionibus mercenariis inſtructum, victoque illo Ciliciam & Palæſtinam ſubigit, Lyciam præſidiis oneravit. Hieroſolymis admiſſus cives benigne habuit, templi conceſſit immunitatem, legesque patrias exercendi arbitrium, ac totum Judæorum populum ob fidem & ſanctimoniam præcipuo honore affecit. Epiphanes de patefacta armis Ægypto non vane ſollicitus, implorabat opem Senatus Romani, atque hic miſſo Legato Scipione jubebat Regem, *ut arma deponeret, res bello ablatas redderet, pacem iniret.* Antiochus de pace ineunda cum Ægyptiorum proceribus

Joſephus lib. 12. c. 13

ita conveniebat, ut Aſiæ provincias bello acquiſitas retineret, cæterum ab Ægypto & Cypro abſtineret, Romanis bellum comminatus, ad quos evertendos inſtructum eum militibus &

Juſtinus lib. 31.

opibus jactabundi prædicabant Thoas Ætoliæ Princeps, Hannibal Pœnus, Eumenes Pergamenus, illi quidem Romanis infenſi ob tanta rerum incrementa, hic vero ex compoſito agebat omnia, ut Regem in bellum protruderet, ratus acceſſurum ſibi quantumcunque virium Antiocho gravi & potenti accolæ decederet.

A.M. 3758.

VI. Rex deletam olim Thracū impetu urbem Lyſimachiam à majoribus ſuis conditam reſtaurabat, ut Seleucus filius eam regni ſedem haberet.

Livius lib. 36.

Negabat Philippus Rex, negabat Senatus urbem belli jure teneri, inſimul jubebant, ut Rex abſtineret urbibus illis, quæ vel Philippi vel Ptolomæi regum fuiſſent, omneſque Græci nominis civitates in Aſia libertate donaret.

Polybius lib. 17.

Rex mittebat partem exercitus ſui in Græciam, ut ſocios Romanorum affligeret, verum *Manius Glabrio* prætor in tempore aderat, acceptis à Philippo Macedoniæ Rege nuper ad pacis leges ineundas adacto ſubſidiis, & pugna ad Thermopylas obtenta, liberabat Græciam, fugabat Ætolos, quibus Rex montium anguſtias cuſtodiendas tradiderat, expugnabat Heracleam, defendebat Theſſaliam. Claſſem Regis à civitate ſua profugus Annibal Pœnus regebat cum imperio modico, quod extero non ſatis fideret ille, & quoque Pœnus ſalubrium quamvis conſiliorum autor, ut recta Italiam aggrederetur, non audiebatur, prævalentibus in aula illis qui ſuadebant Regi ut hoſtem expectaret domi potius quam foris laceſſeret. At non Romanis propoſitum idem erat, qui ſalvas domi res ſuas malebant eſſe, itaque Cornelius Scipio Conſul ac frater ejus Scipio Africanus profecti in Aſiam, Reges omnes

Juſtinus lib. 31. Livius lib. 37

in Asia minori castris suis adjungebant, & tunc demum videbat Antiochus, quam non exploratæ militiæ sese objiceret, veritus cum tot hostibus à fronte à tergo, à latere congredi, omnibus in id intentis, ut provinciis victo ademptis ipsi regnorum suorum limites extenderent. Ergo quamvis Rhodios, duce Polyxenida Rhodio exsule, magna clade affecerat, tamen diffisus longinqua tueri se posse, consilio pessimo deducebat præsidium ab Lysimachia maritimarum urbium præcipua, Sardesque profectus ad pacem rogandam spectabat, & Romani perinde ut victo leges eas præscribebant, tunc habiturum pacē, *cum quindecim mille talenta pro belli impensis solveret, dimidiam navium partem ad portus Italiæ mitteret, captivos sine pretio redderet, Babylonia & Syria contentus omnes in minori Asia provincias abdicaret.*

VII. Rex offensus acerbitate Senatus, qui cū hoste viribus omnibus instructo haut aliter quā cum victo ageret, promovebat copias suas in Mysiam, & apud urbem
A.M. Thyatiram structa acie, Elephan-
3760. tos & falcatos currus in Romanorum cuneos tanta vi concitabat, ut peditum cohortes in fugā ageret, equitum turmas stricto gladio compescebat Marcus Æmylius Prætor, ut sociorum Asianorum, qui Elephantos pati consueverant, fortia exempla secuti victoriam è Regis velut manibus extorquerēt. Fuit insignis pugna illa, & Rex victus, novo fortunæ experimento, ad quod eum proceres hortabantur, tentare noluit, sed pacem accepit, conveniendo in leges eas, quas ante editū conflictum repudiaverat. Joniā, Phrygiam Mysiam, Lycaoniam donatas à Romanis obtinuit Eumenes Pergamenus, qui validas copias in Romanorum castra adduxerat: Rhodii ob auxilia in mari suppeditata acceperunt Lyciā, Cariam & littorales civitates. *Florus lib. 2 c. 9. 10. 1.*

VIII. Scipio triumphavit Romæ post magnas opes in ærarium illatas. Regis hæc calamitas erat, nec melius agebant socii ejus. Ætolos debellabat, *M. Fulvius Consul*, ablatis urbibus atque Insulis, quarum aliquas dono accipiebat Philippus Macedoniæ Rex, & tributo imposito. Ejus Collega *Manlius* cædebat Galatas ad montem Olympum, captivis plurimis abductis, erepta Ancyra urbe opulenta. Pro Ariarathe Cappadociæ Rege deprecabatur Eumenes, ut post soluta centum talenta argēti in gratiam reciperetur. Nec tamen vel tantæ opes in tabulas publicas relatæ poterant Romanorum animos explere, quærebantur prætextus, ut Scipiones ambo convincerentur peculatus & in vincula ducerentur. Sed Africanus generoso contemptu

vindicabat ſeſe adverſus Tribunos plebis, mox etiã ſponte emigrabat ab urbe, & nunquam reverſurus provivebat Linterni Campanorum in prædio ſuo, ac moriens ibi volebat ſepeliri, ne patria ingrata oſſibus ejus gauderet. Aſiaticus abſolvebatur, poſtquam bonis ejus omnibus ſtudioſe excuſſis veſtigium nullum pecuniæ regiæ apparebat. Hannibal occultè monitus à Rege periculi, ne dederet eum Romanis ita cupientibus, abibat è Syria & petebat Cretam. Ibi invidioſum ſeſe ob nimias opes conſpicatus, ne clanculum occideretur veritus, ad Pruſiam Bithyniæ Regem contendebat, non futurus ei inutilis poſt quam levi bello implicitus de finibus agriſque nonnullis certabat adverſus Eumenem Regem, & propriis opibus & Romanorum ſocietate prævalidum. Hi verbo imperabant Pruſiæ, ut pacem cum vicino coleret ac Hannibalem vinctum traderet Flaminio. Nolebat ille Romanorum captivus eſſe, & quia fugam incaſſum tentabat, immortalib9 Romanorum odiis ſubducebat ſeſe, veneno bibito quod in umbone annuli multis annis circumtulerat, vitæ calamitoſæ remedium aliquandò futurum. Sepultus eſt in agris Nicomediæ. Antiochus verò damni ſolatium ipſe ſibi dicebat, *benè ſecum egiſſe populum Romanum, quod nimis ampla procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur.* Tandem cum Jovis Elymæi fanum in Babylonia ſpoliare vellet, impetu plebis occiſus eſt, Rex qui in magnis opibus variam fortunam habuit.

Strabo lib. 16.

A.M. 3764.

Appianus in Syriacis.

Patri diſſimiles admodum filii duo ſucceſſerunt ordine. Seleucus Philopator à bello abſtinuit, congerendis opibus ſtudioſus admodum, ſubditos exactionibus vexavit, templis opes abſtulit. Purpuratus ejus *Heliodorus*, rapinarum miniſter in diripiendo templo Hieroſolymitano, cæcis Geniorum pulſibus contuſus, ut de vita periclitaretur, hanc Regi ſuo gratiam retulit, ut cum aulam divitiis impleverat, daret illi venenum, conſcio fratre Regis Epiphane, qui Rex eſſe concupiebat. Ac quamvis Seleucus haberet filium Demetrium, illo prætetito Antiochus Epiphanes conſcendit ſolium Regium, commendatione ad proceres ab Eumene perlata, quem Aſiæ minoris Regem potentem vicini ſuſpiciebant. Antiochus hactenus obſes Romæ clam aberat, non ſalutato Senatu, quem tamen offendere veritus etiam, loco ſui reddidit, vel ut obſidem pacis ſervandæ, pupillum Demetrium. Confirmatis vicinis, Armeniæ & Pergami Regibus

Ioſephus lib. 12. c. 5.

A.M. 3774.

Iuſtinus lib. 34.

gibus, ne in absentia sua turbas moverent, Romanis, postquam auro placasset, Senatorum animos, fidus, cum exercitu abiit in Ægyptum, tutorem se professus Regis juvenis Philometoris, qui Cleopatræ Epiphanis sororis filius erat.

A.M. 3780. IX. Proceres ultro admittebanteum velut Regis sui propinquum, nec vetabant quo minus Pelusio imponeret præsidium, regni claustro, è quo illud commode poterat mari ac terra oppugnari. Neque aliud hac vice agebat, solum quod Legatum suum Apollonium mittebat Romam, ut excusaret modis omnibus impositum à se præsidium esse urbi non suæ, eum in finem, ut rebelles proceres in officio contineret armis, nec Regi juveni hoc fraudi esse. Attamen Romani perspiciebant animum Regis vafri, qui sub tutelæ nomine assueto Regibus colore dominationem quæreret, proceresq; jubebant, ut si cum Rege suo vellét salvi esse, peregrinos milites ejicerent. Hoc facto Antiochus offensus, crudelissimo bello adversus proceres suscepto, occupabat Syriam Comagenã, quam regionem solam in Asia tenebat Ægyptius, inde progressus in Ægypto ad Memphim castra ponebat, nullam quidem justam obsidionem aggredi ausus, sed prædatorias manus emittendo, gravissima damna inferebat, pacem insuper licitatus multo auro. Ægyptius nec aurum in promptu, nec ferrũ habebat, sed profugus Alexandria, desertus insuper à matre Cleopatra, qui minorem filium Physconem Regno admovere volebat, Regem hostem adibat. Is auxilio futurum sese pollicebatur, Regina verò invocabat Romanos socios, ut opem ferrent. Mittebantur Popilius Lænas & Cajus Hostilius, ut prius Antiochum, deinde etiam Ptolomæum adirent nunciaturi, per utrum stetisset ne bello absisteretur, eum non pro amico nec pro socio habituros esse. Dum in itinere sunt, Antiochus frustra tentabat mœnia Alexandriæ, itaq; Memphim reversus cum exercitu, custodiebat velut Ptolomæũ addito præsidio, cæterum profectus in Syriã novas copias impensasq; conquirebat. Eo absente Ptolomæus reconciliabatur matri, & Alexandriæ intromittebatur, quod Antiocho displicebat, viribus suis regnum conservatum esse Principi exprobrando, & belli sumptus reposcendo. Cumq; agi sibi gratias potius quàm referri videbat, multò acrius infestiusq; adversus duos, quàm ante adversus unum parabat bellum. Cyprum eripiebat Physconi classe educta, ac terra simul progressus, haut procul à finibus Ægypti ad Rhinocoluram castra ponebat.

Aderant Legati à Ptolomæo & grates agebant quod per eum recepisset patrium Regnum, petebantq; ut fœderis habita ratione deponeret arma. Respondebat, tunc demum se classem revocare & in Syriam reducere velle copias, quando Cyprum & Pelusium vel pignoris vel solutionis loco traderent. Neutrum obtinebat, intercedentibus Romanis. Veniebat Popilius Lænas Senator, veteri amicitia cognitus Antiocho, hic verò ad Alexandriã, ut Regem obsidionis specie terreret, consistebat, verbo jussus Ægypto decedere, nisi bellum à Romanis habere vellet, ac ne quam modico tempore cunctaretur, virgula stanti in arena Regi circumscripsit circulum, populari licentia usus Lænas, ut seriò ediceret, pacem vellet an bellum, antequam pedem loco moveret. Antiochus *faciam*, inquit, *quod censet Senatus*, cumque exercitu discessit, spoliis restitutis, & in Palæstinam deflexo itinere, ereptæ prædæ dolore, adversum subditos crudeliter egit, Judæos unius Dei cultores, idolorum cultu abstinentes hanc solum ob causam suppliciis, carceribus, exiliis punivit, quod Jovem Olympium in templo Sionitico venerari, & sacrificia in lege Mosis vetita immolare nollent. Nec deerant, qui motis in patria seditionibus, factisque cædibus, ad ejusmodi audenda animum adderent Tyranno. Eorum præcipui Jason & Menelaus sacrorum caupones, mancipes scelerum, deferebant Oniam fratrem natu maximum, ut Sacerdotio exueretur, vita opibusque mulctaretur. Cuthæi solita levitate Religionem Judæorum, qua secundis eorum rebus gloriabantur, aversati, templum suum Græcorum Jovi dedicabant, obtrusos à Rege impios ritus cupidis animis recipiebant, patria retenta, Rege annuente, qua carebant omnes quicunque impiis sacris manum admovere nollent. Exulum ductor *Judas Maccabæus* in desertis locis manum coegit è viris animo, quam armis melioribus, attamen felici impetu superavit urbem Hierosolymas, Syri à Rege impositi aufugerunt in arcem valde munitam.

Josephus lib. 12.

X. Rex in Syriam abierat triumpho acto de subditis vexatis, quem ab hoste adipisci non potuerat. Et quoniam opes à fratre sibi relictas profuderat in bella, nec tamen operæ precium fecisset, conversus ad sacrilegia, Veneris Elymææ templum in partibus Mediæ spoliare volebat, ubi Alexander Magnus in bello Persico, magnam auri summam deposuerat. Accolæ facto concursu milites ejus profligabant, & Rex ne patris exemplo in simili delicto deprehensus, periret, à Barbarorum manibus sibi cavit, refugitq; in Babyloniam, ubi nuncium

Josephus l. d.

accepit de Judæis, qui pro Religionis libertate & patriæ salute arma corripuerant, ducesque ejus Apollonium, Seronem, Lysiam magnis cladibus affecerant. Eo perculsus animi, dum novam in Palæstinam expeditionem ipsemet apparabat, vehiculo in itinere excussus, & collisis membris omnibus decessit.

A.M. XI. Successit ei filius *Eupator*
3786. brevi imperio, quo nihil magni
Iustinus gessit, tantum quod validas copias
lib 35. in Judæam adduxit, ubi gentis Princeps Maccabæus non infeliciter defendebat cives, & Regis præsidium ex arce sibi dedita ejiciebat. Sancitis induciis arcem retinebat in potestate sua Maccabæus, Regi obsequium deferebat, salva libertate animi opumque, urbis mœnia destruebantur, ne suspicio rebellionis imposterum in animos delatorum facilè irreperet. Rex domum reversus malè finivit, ejectus à *Demetrio Sotere*, cui regnum præripuerat olim Epiphanes Regum sævissimus. Roma elapsus, ubi eum obsidem vi mera, nullo jure, auxilio eorum quibus aurum dabat, hactenus distinue-
A.M. rat Epiphanes, Tripolim navi ob-
3789. tinuit, copiisque conductis Antiochiam obsedit, Eupator domi occiditur. Regno potitus cum Romanis amicitiam stabilem pactus est, Judæos verò, qui Romæ fœdus per Legatos suos quærere ausi, obtinuerant, armis pressit, neque illis succurrere voluerunt

Romani partim odio publico, quo Judæi apud gentes omnes laborabant, ducti, partim Demetrii *Iosephus*
auro expugnati, qui insuper ar- *lib.* 12.
gumentis certis ostendebat, Judæos verè subditos suos esse, velut qui in partibus Syriæ habitarent, & à Regum Ægypti obsequio exempti, Antiocho Magno fidem condixissent. Dum Nicanor exercitum jussu ejus ad diripiendas Hierosolymas apparabat, Alcimus quoque Sacerdos pravus cives suos, tantum ut Regi gratum faceret, persequeretur, nihil tamen actum est, obnitente Maccabæo. Is prælio occidebat Nicanorem, fugabat Alcimum, Sacerdotis jura & munia ad se transferebat, volente populo. Bacchides novarum copiarum ductor felicius agebat Judæis prælio victis, in quo Judam fortissimum Ducem amiserunt. Cum multò majore belli mole, instaret, armis invadebatur à Cappadociæ Rege Ariarathe propter rejectas sororis suæ nuptias, & ab hoc evocatus Philometor Ægypti Rex populis Syriæ commendabat *Alexandrum Ballam*, Epiphane patre, sed è pellicatu genitum, ut Soteri
negocium facesseret. Balla cum A.M.
exercitu profectus in Syriam, 3798.
Hebræos sibi adjungebat, magna pollicitus, si relicto Sotere, vires ejus multum imminuere vellent. Soter accitis è Babylonia copiis
justo prælio adversus Ballam con- *Iosephus*
fligebat, quo victus est inque fu- *lib.* 13.
ga

ga delatus ad loca paluſtria, ut ibi latere poſſet, ſed proditus & ſagittis confoſſus perit.

XII. Balles invidioſa fortuna regnum potentiſſimum obtinuit, totius ferè Orientis viribus ſuccinctus, ac Philometoris filiam Cleopatram matrimonio duxit. *Iuſtinus lib.* . . *Epitome Livii lib. 50.* Soteris filius *Demetrius Nicanor* clam abductus in Cretam, apud Laſthenem principem educabatur, periculis exemptus, & ſi ità fors tuliſſet, futurus necis paternæ ultor. Dum enim Balles improbis moribus uſus, vicinos Reges excurſionibus vexat, ſubditos expilationibus, nec ſocero ad meliora hortanti parebat, in odium omnium incurrit. Socer à Græcis perſuaſus, Nicanorem exſulem ad ſe evocabat, eique Cleopatram à Ballæ thoro ſeparatam adjungebat. A.M. 3804. Denuò cum exercitu ingreſſus Syriam, ad defectionem impellebat Apollonium Phœniciæ præfectum. Hic vicinos Judæos, quos noverat favere Ballæ, invadebat, & clade accepta, vix proderat quicquam Demetrii rebus. Pergebat Philometor, totiuſque oræ maritimæ potitus non procul Seleucia conflictu edito fugabat Ballam, atque is properè contendebat in Arabiam, ubi Sabdielem principem de ferenda ope compellabat, verum Arabs noctu per ſicarios eum obtruncabat. Caput mittebatur ad Philometorem, qui viſo capite generi haut diu eſt lætatus. Scilicet, in prælio graviter vulneratus, poſtquam medici oſſa cranii terebrare volebant, exſpiravit. Nicanor ſuccedebat, non melior Balla, crudelis *Iuſtinus lib. 36.* & avarus, ergà proceres & civitates multa iniquè auſus, omnes accuſabat perfidiæ in cauſa Ballæ, quem contrà patrem ejus juviſſent quondam. Solis Judæis in cauſa eadem ignoſcebat, & Jonatham horum Principem donis colebat, ergà peregrinos liberalis, exautoratis indigenis, quorum ope proſpera uſus conflixerat, ac retentis mercenariis militibus, offendebat Diodotum militię magiſtrum. Ab his Mithridates Parthorum Rex impulſus, ut Babyloniam bello invadere vellet, ità oportunè Regis fortunam concuſſit, fines carpendo, ne ſubditi interim, dum Rex in militiam profectus, domo abeſt, rebus ſuis deeſſent. Ac Regi quidem felix belli auſpicium fuit, multi populi ad eum defecerunt, non ferentes impotentem Arſacidarum dominatum, tandem verò pacis ſimulatione deceptus, in aulam Mithridatis veniebat, ubi redditis quas occupaverat, civitatibus, nec tamen dimiſſus, in Hyrcaniam relegatur militari cuſtodia circumſeptus, ne elaberetur unquam. A.M.

XIII. Syriæ regnum pro *Antiocho Pio*, Ballis filio, apprehendebat *Diodotus* quem domi 3806. ſuæ educaverat Emalcuel Arabum princeps. Pius in flore grante ſubditorum omnium gratia

Epit. Livii lib. 55. erat, mitissimus, Diodoto autore
vita regnoque mulctatus, qui eum
A.M. per medicos auro corruptos su-
3810. stulit, ipse regnum aditurus Jona-
tham Principem Judæorum simu-
lata amicitia evocabat Antiochi-
am & occidebat, Cleopatram Ni-
canoris viduam matrimonio pe-
tebat. Simon frater Jonathæ ar-
mis expugnavit Phœniciæ castel-
la, tantasque civibus suis collegit
vires, ut post Demetrium nullum
deinceps Macedonum Regem tu-
lerint. Regina fugit & Seleuciæ re-
ceptum invenit, matris fratrem
A.M. Antiochum Sedetem copiis in-
3811. struxit, ut Regi captivo fidem
suam probaret, ejusque filiis pa-
Iosephus lib. 13. ternum regnum adversus prædo-
nem conservaret. Diodotus occu-
buit Apameæ desertus ab amicis,
qui perfidiam ejus resciverant. Se-
detes compositis domi rebus, bel-
lum inferebat Simoni Principi
Judæorum, immemor auxiliorum
quibus eum juverat ille pronuper
in expeditione contrà Diodotum.
Cæsus prælio uno pacem offere-
bat, & Simon adversus hostes
aperto Marte infelix, domi suæ
interemptus fraude generi Ptolo-
mæi præfecti in Jerichunte. Ergò
Sedetes bellum pro liberando ca-
ptivo fratre indicebat Parthis, de-
lectu habito è Syris, Insulanis,
Græcis, & quoque Judæis, quo-
rum Princeps Johannes castro-
rum ejus assecla fidus non levi
cum successu pugnabat in Hyrca-
nia, à qua provincia domita co-
gnomen Hyrcani accepit. Victor
Sedetes prœlio ad Euphratem mul-
ta millia hostium occidebat, Ba-
byloniam subigebat. Parthi coa-
cti ad leges pacis ineundas, dimit- *Iustinus lib. 38.*
tebant Nicanorem, ut in Syriam
rediret, ac Sedetem è Babylonia
revocaret. Ità Nicanor de pote-
state hostium exivit liber, sed me-
mor acceptæ injuriæ, & quoque
ut lites intestinas finiret cum fra-
tre, qui in regni virtute sua con-
servati societatem admitti cupie-
bat, exercitum omnem arbitrio
ejus permisit, aurum pollicitus
insuper, & Babylonia donatum
hortabatur ad bellum promoven-
dum contrà Parthos.

XIV. Neuter diu supervixit.
Sedetes in stativis continebat mili-
tem prædis assuetũ, unde civitates
Mesopotamiæ & Elymeæ quere-
lis primum, & quia non succede-
bat, armis agendo sese liberave-
runt. Princeps noctu oppressus,
milite profligato, ne fratris exem-
plo captivitatis ludibrium sub-
iret, gladio suo incubuit. Nicanor
cædibus grassatus, quodque con-
jugem Parthicam amabat nimis,
à Regina petitus odio, civium im-
petu pellebatur, cumque paucis
servulis comitatus navigabat Ty-
rum, religione templi se defensu-
rus, navi egressus, præfecti jussu A.M.
interficiebatur. Accurrebat præ- 3822.
stigiator quidem *Ægyptius*, *Alex-* *Iustinus*
ander Zebenna, qui se ex posteris *lib. 39.*

Antichoi Epiphanis ferebat, & Physconis Ægyptiorum Regis commendatione usus profecit ut eum Syriæ populi Regem susciperent, excluso Grypo Nicanoris filio. Stolidus ille cum Antiochenorum delubra spoliat, civesque ob id conqueri ausos immissis militum cohortibus occidit, desertus à subditis, Grypum nactus hostem, in palatio obtruncatur. Phy-
A.M. scon rerum in Syria potens confir-
3826. mabat *Grypo* regnum, qui turbis funestis domi forisque implicatus, non ità multum subditis profuit. Cleopatra mater venenum, quo maritum sustulerat, dare assueta, simili fato Seleucum filium minorem vita dejecerat, Grypo offerebat. Præmonitus ille cavebat, & matrem stricto gladio adactam, ut ipsa poculum exsorberet, neci da-
A.M. bat. *Cizycenus* filius Sedetis è Ba-
3833. bylonia pulsus, ut Syriæ regionem aliquam nomine paternæ hæreditatis acciperet, à Grypo multis precibus efflagitabat, neque obtinebat. Veniebat in Ægyptum ad Reginam Cleopatram, de ferenda ope consulturus eam, an forte intercessione Reginæ (qui socrus Grypi erat) obtinere posset, quod armis extorquere haut valeret in ista militum ac auri inopia. Regina dabat ei conjugio alteram filiam suam Cleopatram à Lathuri fratris ac Ægyptiorum Regis thoro separatam, addebat aurum, de militum subsidio negabat socrui sibi expedire, ut generos ambos in mutuas cædes armaret.

XV. Cizycenus auro dato Cyproque velut dotali obtenta connivente Lathuro hactenus, (nam post breve tempus sibi repetitum veniebat) comparabat exercitum, & in Syriam reversus facilè vincebatur à Grypo, qui cum majoribus copiis occurrebat. Profugus in Ciliciam è vicinis Asiæ minoris urbibus copias novas contrahebat, denuò fortunam belli tentaturus, quandò occasio esset. Interim Cleopatra uxor ejus Antiochiæ conveniebat Grypum, ac blando colloquio expugnaverat ferè animum Regis, ut profugi Reguli misertus vellet pro redimenda pace, districtum aliquem in mediterraneis ei donare cum reditibus istis, qui sufficerent. Verum Tryphena Regina sorori infensa, quod censeret deprecationem eam non quidem misericordiæ, sed amoris esse, prohibebat viribus omnibus, ne maritus opem aliquam afflictis Cizyceni rebus ferret, & Cleopatram domi per milites cingebat, morte damnatam, cumque infelicissima mulier elapsa inde confugeret in fanum, ut se loci religione defenderet, ab ara deductam interfici curavit.

XVI. Lathurus Ægypti Rex Cypro recepta, postquam soror ejus nefaria cæde sublata fuerat, porrò missis ad Cizycenum copiis validis juvabat eum, ut pugna supe-

superior, omnem Syriam perdomaret. Grypus ab Herodiano aulæ-magistro occisus est. Tryphenam captivam supplicio extinxit Cizycenus. Ejus quatuor filii *Seleucus, Antiochus, Philippus, Demetrius*, exilio damnantur, ut deinceps unus Regni hæres, Eusebes filius Cizyceni, esset. Hinc occasio nata est ad patrandas cædes & bella conflanda. Cathæi vexabantur bello à vicinis Judæis, quorum Princeps erat Hyrcanus, vectigalis quondam Sedetis Regis, cæsi in Parthico bello. Subsidio ibat Antiochus cum exercitu, verum infeliciter pugnabat. Ergò Lathurum adibat, cum quo liticulas alebat mater Cleopatra, quod ea invita Cizycenum juvaret. Obtentis sex millibus viris populabatur Judæam, ratus se vastandis agris effecturum, ut Hyrcanus obsidionem Samariæ solveret. Exceptus insidiis spoliabatur copiis omnibus, Samaria fame domita æquabatur solo. Non multò post Grypi filius Seleucus comitatus prædatoriis Cilicum turmis diripiebat agros, Cizyceno per sicarium domi suæ occiso. Ne Syriam raperet, obsistebat *Antiochus Eusebes*, & velitatione fractum, in urbe Mopsuesta obsidebat, cives impetu facto, domum cum Principe ejusque satellitio exurebant, ne victoris iram adversus se concitarent. Belli reliquias persequebatur Antiochus, sed ipse quoque victus prælio vitam fortunasque amittebat. Restabant *Philippus* & *Demetrius*, qui ab Insulanis & Lathuro Ægypti Rege exercitum acceperunt, Damasco potiti. Ne bello insisterent porrò, Eusebis absentia effecit, quem Galadenorum Regina magna auri summa data conduxerat, ut Parthorum copiis sese opponeret. Cum his congressus, occubuit victor percussus telo, nec Parthi clade magna affecti in Syriam progredi volebant, ita Demetrius Cretensium legionibus succinctus regnum occupavit.

A.M. 3854.

A.M. 3855.

XVII. *Antiochum Dionysium* filium habebat Eusebes, qui apud Galadenos vixit tantisper. Demetrius cognomine *Eucærus* cum exercitu abiit in Palæstinam, & gentis ejus Regem Alexandrum pugna victum propè Sichemum urbem, Pisidis & Cilicibus mercenariis in acie occisis, magna affecit clade, ut deinceps montanis sese continendo, lateret multo tempore. Elatus fortunæ successu, fratrem, cujus fideli ope hactenus benè usus fuerat, criminabatur, quod regno immineret invisus socius, & cum Eusebe literarum commercia suspecta haberet. Et jam vinculis onerari debebat, verum profugit ille ad Mithridatem Regem Parthorum, à quo legionibus instructus, Syriam invasit, fratrem pugna vicit, ac captivum Parthis obtulit velut obsidem, quod

Iustinus lib.40.

quod ipse Parthorum vectigalis esse vellet. Demetrius apud Parthos obiit. Philippus hostem nactus Dionysium non poterat impedire felicem progressum ejus, adeoque Dionysius mercenariorum ex Asia minori agmine collecto expugnabat Damascum, longius etiam post interfectum Philippum, adversus Parthorum irruptionem pergendo Arabes concitavit, ut cum magnis copiis sub ductu ejus militare vellent. Vix tamen ab infidis opitulatoribus commodum stabile habebat, ad prædas agendas magis promptis quam ad conservandos Regi suo agros, ne desertarum regionum Dominus ille esset. Ac cum populatis Syrorum urbibus, spoliis onusti recedebant in patriam, insecutus prædones Antiochus, paria damna retulit, militi permittens omnia, & non procul Petra cum Aretha Rege congressus, victor occubuit. Syri palantes, Rege amisso, patriam suam repetive runt, Arethas Syriam cavam, & Damasci urbem subegit, Alexandrum Regem Hebræorum partes Syriæ invadere ausum, conflictu superavit intrà montium angustias, certasque pactus conditiones militem reduxit in Arabiam. Ità cum subditi Regum suorum perpetuis cladibus affligerentur, ac insimul vicinorum direptionibus exponerentur, à quibus spoliatis bello ipsi hactenus incrementa Regni quærere solebant: ut stabile imperium haberent deinceps, *Tigranem* Armeniæ Regem potentissimum evocabant, A.M. 3880. qui Seleucidarum hæredibus Comagenam, unde modicos census perciperent, assignabat, cæterum victis Gordiæis, Mesopotamenis, Syris, Regno ad se translato, & Damasco in Arethæ manibus relicta, in Palæstinam arma expediebat, Ptolomaidem cum exercitu quinquagintà mille hominum circumsidebat. Judæi vero quibus tunc Regina Alexandra præerat, auro dato qualemcunque libertatem in tantis Asiæ motibus conservaverunt. Syriam demum Romani occupabant, cum Tigranes à *Lucullo* victus, ut pacem haberet, A.M. 3898. victori deposcenti, illam tradebat, penes quos longo tempore permansit.

CAPUT III.
De rebus gestis Ægyptiorum.

I. PSammenitus loco ultimo apud Ægyptios successerat majoribus suis, & à Persis victus, gentem suã in horũ potestate reliquerat. A Persis translato Orientis imperio ad Macedones, belli fortunam secuti Ægyptii ultrò admiserunt *Alexandrum Macedonem*, quo de vivis sublato *Ptolomæus Lagus* opulenti regni præfecturam adiit, Syriæ partes, Libyã, Arabiã,

A.M. 3641. *Iustinus lib.16.* Cyprum unà complexus. Ancipiti successu depugnavit cum Demetrio, qui eum Syria & Cypro ejecit. Hoc verò etiam in Seleuci captivitatem redacto, pacis compos regnavit, & abdicato Ceraunο filio majore, *Philadelphum* minorem surrogavit. A.M. 3665. *Iustinus lib.17.* Philadelphus ducta sorore Arsinoe præfuit cum laude magna, doctorum virorum patronus summus, quos undique locorum evocatos Alexandriam, literas docere jussit, librosque pretiosos comparare.

Iosephus lib 12. II. In libris illis excelluit Hebræorum Testamentum, quo continentur libri Mosis & Prophetarum. Ejus populi colonias amplas Lagus deportaverat in regiones Ægypti & Libyæ, ut desertos agros percolerent, ac sermonem Græcum eis commendaverat ut Orientis commercia eò facilius tractarent. Hinc factum est, ut eodem sermone descriptos libros sacros ad usus privatos deputarent, quos Regi oblatos, loco publico reponere jussit. *Iustinus lib.26.* Ejus tamen imperium cædibus malisque intestinis non caruit. Fratres duos perduellionis convictos occidi jussit, tertium Magæum, nothum, exilio affecit, qui ultionis studio accensus Libyes ad defectionem impulit, Gallosque mercenarios accersivit, certus de condendo regno in populis illis, sed Marmaridę obstiterunt conatibus ejus. A quibus fugatus, & quoque à Gallis desertus, cum stipendia persolvere non posset, venit in Syriam, Regis Antiochi Soteris filiam Apameam conjugio rogavit, obtinuitque. Ne cum exercitu progrederetur in Ægyptum, Bithyniæ præfecti *Nicomedis* rebellione effectum est, ac Soter ob res domi turbatas, parum adjuvare poterat generum suum. Hunc verò Libyes reversum favore omni prosequebantur, & Philadelphus facta pacę ità demum consensit, ut Magæus regnaret quamdiu viveret, cæterum post obitum ejus Libya adjungeretur Ægypto, & Magæi filia Berenice nuptum daretur Evergeti.

III. *Evergetes* corrivalem habebat *Demetrium* Gonatæ Macedonum Regis fratrem, quem defuncto Magæo evocabat Apamea vidua, ut virgine ducta Regnum occuparet. Sed nec filiæ suæ mater servabat fidem, ipsa Demetrio nubebat, quod Ægyptio non placebat, sponsam dotemq; ejus suo jure postulanti, & verò bellum comminatus, Libyes movit, ut Demetrium interficerent, Apameam relegarent, sponsam legitimo sponso traderent. A.M. 3703. *Iustinus lib.17.* Evergetes cum Seleuco bella gessit, ac Syriam armis perdomitam filio suo Philopatori regendam commisit.

IV. *Philopator* de Syriæ partibus retinendis cum Antiocho Magno bellum acerrimum gessit, A.M. 3729. *Iustinus lib.30.* hostemque prælio superatum ità afflixit,

afflixit, ut eum regno toto ſpoliare potuiſſet, ſi fortunam virtute juviſſet. Verum petenti pacem Antiocho facile eam dedit, ac contentus recuperaviſſe urbes quas amiſerat, avide materiam quietis arripuit. Itaque reverſus domum, noctes in ſtupris, dies in crapulis exegit, regni negocia procurabant lenones & meretricum miniſtri. Illi per regis ſupinam negligentiam poſſidebant regales opes, tribunatus, præfecturas, nec quiſquam tandem minus in regno ſuo quam Rex ipſe poterat. Atque illi ipſi demum veneno peremptum Regem ſuſtulerunt, ut auro in prædam petito regno cladem, ſibi divitias acquirerent. Succeſſit ei
A. M. 3746. *Iuſtinus lib 31.* filius impuber *Epiphanes*, pro quo adverſus Syriæ Regem ſtabant Romani, ut pacem iniret, ac Syriæ partes ab Evergete devictas reſtitueret hoſti, quando Ægyptiorum agris abſtinere vellet Syrus.

V. Romani pacis belliq; inter Reges potentiſſimos arbitri cum Antiocho Syro bellum ſuſceperunt, & Regum vicinorum ope feliciter confecerunt, quibus opulentas provincias hoſti ablatas donabant. Ægyptii domi ac foris pacem habebant, quam diu Epiphanes præerat. Nã qui huic ſuc-
A.M. 3770. *Iuſtinus lib 34.* ceſſit *Philometor*, graviſſimum hoſtem nactus, Antiochum Epiphanem Syriæ Regem, non tam viribus ſuis quàm Romanorum auxilio ſuperior erat, & poſt multos annos ipſe cum magno exercitu in Syriam perrexit, totoque regno potitus vicit prælio Ballem, & Demetrium Nicanorem confirmavit in regni poſſeſſione, data inſimul filia ſua ut matrimonio eam ſibi copularet. Victoria non diu lætatus obiit è vulnere, quod in prælio acceperat. Ejus A.M. 3804. *Iuſtinus lib. 38.*
frater ſucceſſit, *Phyſcon* dictus, abdomine gravis, qui Cyrenen hactenus & Cyprum Inſulam ſine Regis titulo adminiſtraverat, nam Philometoris filius teneræ ætatis haut poterat rebus turbatis præeſſe, & vero Principem hunc occidi curavit Rex patruus, proceres civesque Alexandrinos ob crudelitatem iſtam liberius cõqueri auſos per emiſſos milites necavit ſpoliavitque. Nec mitius egit cum proprio filio, quẽ è Cleopatra ſororis filia genuerat, hunc enim in fruſta ſectum objecit matri. Ergo nova rebellione petitus & comprehenſus, in exilium pellebatur.

VI. *Lathurus* patri ſimilis im A.M. 3834. *Iuſtinus lib 39.*
ponebatur ſolio, matris Cleopatræ benificio, quam nobiliſſimã Reginam, venerabantur admodum proceres civesq;. Sed propter crudeles mores deſtitutus ab iis, & exilio mulctatus, profugit in Cyprum ac qualicunq; modo gentis ejus opibus ſuſtẽtatus, validã claſſem adornabat, haut

dubie cum exercitu profecturus in Ægyptum, quæ post abitum ejus perinde cum iniquis Regibus conflictata, desiderabat exulem. Regina alterum filium Alexandrum regno donaverat, pessimum adeo ut subditos rapinis exhauriret. Ne Lathurus pro- *Josephus l.13. c.20.* grederetur in Ægyptum, Hebræorum turbæ effecerunt, qui ab imperio Syrorum armis felicibus sese vindicaverant, tunc verò Principis Jannæi ductu etiam Syriæ regiones aggressi obsidebant Ptolomaidem, vastabant Gazam. Civilibus armis depugnabant invicem Syriæ Reges ut non possent auxilium ferre subditis, quamobrem evocabant Lathurum, venitque ille & prælio superior ingenti damno affecit gentem, regionis totius imperium ad se translaturus, nisi eum avertisset potior cura de adeunda Ægypto. Regina vero occurrebat ad Syriæ fines ducibus Anania & Hilkia Judæis, Ptolomaidem expugnabat, Lathurum fugabat. Cæterum reversa in Ægyptum, occidebatur à Rege filio, hunc vicissim populus ad necem deposcebat, Lathurum è Cypro accersebat. Nolebat Alexander opperiri fratris adventum, atque auro onustus fugiebat in Co Insulam, ubi decessit morbo à crapulis quotidianis orto. Lathurus mutatis moribus porrò subditos comiter habuit.

VII. Ejus filius *Auletes* sciebat *A.M. 3870.* quidem optimè fidibus, cæterum regnandi artes neque nove- *Strabo* rat, neque curabat scire. Hoc *lib. 17.* Romanis commodum accidit, qui de Insula Cypro occupanda non semel deliberaverant, Lathuri potentiam veriti, ne aggrederentur eam, nunc verò Auletis ignavia illecti, classem miserunt, & Clodio suadente, Catone rem gerente, Macronem Regis fratrem Insulæ dominum velitatione superatum adegerunt, ut venenum biberet, opes maximæ Romam advectæ & in ærarium relatæ sunt. Rex cum posset, nolebat fratri subvenire, ludis & crapulis deditus, quare eum proceres solio dejectum carceri incluserunt, ac loco ejus Regem cõstituerunt *Archelaum* *Diodorus* Ponti Principem, data in uxo- *Siculus* rem Berenice Auletis sorore. Hic *lib. 38.* vero de carcere elapsus veniebat Romam, ubi Pompeium imprimis amicum sibi effecit auro dato, maxima pollicitus insuper, quando in integrum restitui posset. Ac Pompeius non defuit, qui Senatus-consulto obtento, ut Auletes reduceretur armis *Gabinio* Syriæ præfecto mandavit, Regi adesse cum omnibus copiis, expedire classem, armis decertare. Archelaus in rebus dubiis prælio congressus occubuit, Berenicen captivam gladio feriebat immanis frater, proceres ad

sup-

supplicia rapiebantur. Gabinius auro copioso donatus legiones suas abduxit, Pompeius multis post annis, cum homines essent immemores, apud Regis ejus hæredes latæ opis mercedem flagitans, malam gratiam reportavit.

A.M. 3903. VIII. Auletes cum summo populi dolore toleratus, inter mille gaudia obiit, relicto filio *Dionysio*, quem proceres habebant in potestate sua, adeoque horum consilio seductus Pompeium supplicem interfici jussit ac insepultum abjici, postquam ille victus prælio Julium Cæsarem vestigiis fugientis inhærentem, cum tanta belli mole sustinere haut poterat. Julius victoriæ cursu delatus in Ægyptum, & Alexandriæ admissus, quia ipse Romani populi Consul erat, Regem ac proceres ad se accersebat ut de negociis regni coram responderent interrogati, ac super ortis litibus arbitrium ejus sine contradictione acciperent. Videbatur hoc facere in gratiam Cleopatræ, quæ Regis soror ac uxor, Julii conversatione liberius usa, de procerum nimia potentia conquesta, rogaverat auxilium. Proceres negabant Regem posse apud Julium dicere causam, authoritate salva, & tumultu concitato Julium urbe ejecerunt, qui Regiæ partem aliquam ignibus committendo vicinas domos & insimul celebrem Bibliothecam exurendo, hostium tela submovit, inde Pharon Insulam petebat, perque Nilum cũ vitæ periculo enatabat & copiis eductis deposcebat conflictum, victus Rex, navicula, qua vehebatur, eversa, mergebatur aquis, *Cleopatra* obtinebat regnum. Hæc illa est quæ virorum amoribus dedita Romanæ gentis Principes imprimis colebat: Julii pellex, Cassii sponsa quem pecuniis juvabat, Antonii uxor, à quo Orientis provincias dono petebat, & impetrabat. Sed Augustus bello repetebat istas, & commisso prælio ad promontorium Actium, fugavit insano amore percitum Antonium, comes fugæ Regina ad victorem animo respicere cepit, ac petulantiæ ejus pertæsus Antonius gladio sibi conscivit necem, deinde Regum tumulis illatus. Regina spreta ab Augusto victore ad mariti sepulchrum consedit, brachiumque sinistrum aspidi mordendum præbuit, cujus veneno extincta triumphi ludibria declinavit. Ægyptus in provinciam redacta est.

LIBER IV.

Quo continentur res gestæ Romanorum ab urbe condita adusque Octavii imperium.

CAPUT I.
De rebus gestis Regum.

A.M. I. 2774. *Dionys. Halyc. l 1.* POst excessum Æneæ Lavinia vidua pariebat filiũ *Sylvium*, quem populus Regem suum veneratus maternæ stirpis ratione habita, Ascanium filium Æneæ majorem è Trojana matre tutorem ei adjungebat. *Ascanius* ductu suo A.M. 2799. profligavit Hetruscos, ut Latinis pacem darent. Albam condidit incolis assumptis è gentil:b9suis, ut Sylvio, qui adoleverat, daret locum, deinceps Latinorum Pontifex Magnus, quam dignitatem posteri ejus hæreditariam acceperunt, Silviis potestatem regiam obtinentibus, longo tempore, donec Romulus novum populum regnumque in Latio conderet.

A.M. 3158. *Livius l. 1. Dionysius lib. 1. & 2.* II. *Procas Silvius* moriens *Numitori* filio majori addicebat regnum, minori *Amulio* certos reditus assignabat, unde victitaret domi suæ. Amulius pellectis ad se civium præcipuis, horum ope *Iustinus lib. 43.* occupabat solium, Numitore ad carceres detruso. Oraculum dixerat, *fore ut pariarecipere tà Numitoris posteris*, itaque sollicitus quomodo prædicti eventum interverteret, Segestum filium Numitoris inter venandum telo confodit, Rheam Silviam filiam A.M. 3169. per speciem honoris, Vestæ consecrat, ut spem sobolis adimeret. Hanc in luco vicino, ubi aquam puram hauriebat ad sacrorum usus, deprehensam miles comprimit, novo exemplo Vestalis gemellos edit, pater verò, ut Deus autor esset culpæ honestior Mars esse dicebatur. Ac mater *Florus l. 1. cap. 1.* quidem incesti damnata, secundum leges viva obruitur tumulo, pueri gemelli à Regis ministris in alveo deponuntur, ac Tiberi fluvio committuntur, ut si alveo everso mergerentur, perirent, si in alio devecti, educarentur incertæ originis. Excreverat flumen, neque ad profundiores aquas poterant accedere ministri, igitur loco, qui ante pedes erat, proximo deponebant alveum,

veum, quem deinde etiam aquas restagnantes super agris tantò longius extulerunt, ut in sicco destituti pueri, sine periculo tenerent ripam sub ficu Ruminali, ut deinde vocata est. Lupa in vicinis arbustis habebat catulos, & viarum gnara, cum aquas bibere volebat, pueros inveniebat, rumenque præbebat, ne fame illi perirent. Demum *Faustulus* armentarius lupæ vestigia secutus, ablatos domum suam asportavit, & clam omnibus *Acca Laurentia* uxori suæ educandos tradidit. Ætate provecti opes quærebant venando feras, ac porrò ad deprædandos peregrinos illecti, quod tunc temporis mari & terra licitum erat, demum vicinos aggressi, pecora abegerunt. Remi & Romuli nomina eis indiderat curator, neque soli illi venabantur, verum collecta prædonum manu, Rege conniventе, ad quem portio aliqua devolvebatur, duces eorum facti, in ipsas Regis opes involarunt, itaque Remus in vincula conjectus, ne supplicio afficeretur, à fratre subsidium rogabat. Faustulus narrabat gestas res, animumque addebat Romulo, ut prædonum manipulo comitatus palacium intraret, Regemque occideret. Remus liberatus est, Numitori honos Regius redditus, qui gratiam facti nepotibus suis relaturus, agrum do-

A.M. 3196.

navit quocunque loco vellent, pro condenda urbe. Illi ripam Tiberis incunabula sua ad ficum Ruminalem delegerunt, & delectu è ruralibus habito domos struxerunt, incolas ordinaverunt, venatores, pastores, agricolas. Auxerunt numerum vicini ex Umbria, Thuscia, mœnia posita, nomen urbis à se velut majore indi cupiebat Remus, negabat Romulus, quia plurimas opes contulerat ipse. Augurio permissa lis est uter auspicaretur & regeret, dubio iterum, cum Remus prior vidisset in Aventino monte sex vultures, Romulus posterior vultures duodecim in monte Palatino, decidit Faustulus pro Romulo, & nova urbs appellata est Roma. Bellatricem fore ominis instar erat, quoniam hoc aves sanguini ac prædis assuetæ pollicebantur.

A.M. 3198.

III. Denuò pro adducendis incolis Romulus urbis Dominus aliquid tentandum ratus, Receptum tutum proclamabat in urbe mœnibus ac vallo conclusa. Servorum, exsulum, decoctorum turba magna aderat, ac justæ civitatis titulo accipiebant leges à Romulo, sacra ab Albanis. Remus non semel hactenus à fratre superatus, adeoque exclusus ab imperio, quod sibi deberi ob ætatis prærogativam contendebat, imperii consortium aliquod meditabatur, Ro-

mulo invito, itaque causam nactus, ne esset quem deinceps timeret, Fabio Centurioni jussum dedit, ut Remum obtruncaret, postquam ille contra edictum transsiliverat propugnacula. Cædem excepit pestis, quæ novos cives catervatim necabat, itaque Sacerdotes pro expiandis Manibus Remi instituerunt solennes ferias Lemuria dictas.

IV. In tanta virorum copia de paciscundo matrimonio non levis molestia erat, vicinis abnuentibus filias suas elocare illis quorum mores vitæque genus
A.M. aversabantur. Romulus ad
3201. dolos conversus apparabat ludos Consuales Neptuno sacros, evocabat Sabinorum virgines, ut spectare vellent. Accedebant illæ ad spectandos ludos, mox finitis ludis in prædam cedebant Romanis, deducebantur domum, thoro imponebãtur, Hersiliam viraginem sibi Romulus copulabat. Peractis nuptiis superveniebant arma Ceninensium, qui Sabinorum mercenarii sub Principe *Acrone* expediebant, & vero novi mariti pro aris focisque dimicabant fortiter, captivis in urbem adductis, Acronem manu sua obtruncabat Romulus, & spolia opima Jovi Feretrio suspendebat, Victoriæ accessio fuerunt Crustumini & Antemnates do
A.M. nati civitate, vicis destructis. Sabi
3203. ni cum Rege *Tatio* validiores copias ad ipsas urbis portas deponebant, ac noctis beneficio usi mõstrante aditum virgine Tarpeja, ingressi urbẽ, cruento prælio aggressi Romanos, victores initio cõpulerunt hostes, ut fugã spectarent. Romulus Jovi Statori ædes vovit, civesq; suos ad pugnam repetendam cohortatus, Sabinorũ aciem turbare cepit, multisq; cædibus grassari, donec Hersilia Princeps fœmina assumtis reliquis accurreret, multisq; clamoribus de armis deponendis efflagitaret. Pax initur, & Sabini in civitatem recepti cum Romanis in gentẽ unam coaluerunt, Tatius & Romulus æquali imperio uni genti præfuerunt tãtisper, donec longa oblivio certamina exacta abolere visa est, tunc Romulus occasionẽ speculatus, Collegæ suo, postquam ille Saturni templũ in clivo Tarpeiæ rupis exstruxerat vitam eripuit. Sabini in itinere spoliaverant Laurentinos cives, & horum nuncios apud Tatium cõqueri ausos, cum ludibrio rejecerant. Tatius vertente anno Lau- A.M.
rentum profectus, ut sacris adesset, per sicarios interficitur, neq; 3210.
illis obscure favisse Romulus credebatur, postquam cædis absolveret eos qui Tatium securi inflicta percusserant.

V. Sabini deinceps infensi Romulo, eum modis omnibus sublatum cupiebãt. Prævalebant opibus & inter Patricios ipsi numero

plu-

plurimi excellebāt. Ita facile erat, ponere insidias Romulo, qui pactorum negligens, è Sabinis alterū Collegam assumere se velle negabat, militumq; favore nixus, patriciorum irā contemptu vindicabat. Dū more suo copias lustrabat ad Capreæ paludem, aderant Patres, & tempestas orta cū permista nebula affligebat milites, ut seorsum à Rege confugerent ad portas urbis, Rex solus ad Patres veniebat, qui subito eum invaserunt, & securibus conciderunt. Corpus aquis mersum est, populo nunciatū autore *Iulio Proculo*, quod inter fulgura in cœlum abreptus esset.

A.M. 3235

VI. Romulus Divorum numero adscriptus, & Quirinus vocatus est æterno honore affectus, qui æternum Romano Imperio spiritum ingeneraverat. Sabini popularem suum *Numam Pompilium* designaverunt loco ejus Regem, Tatii generum, qui pacem à vicinis per nuncios stipulatus, leges sacrorum diligenter curavit, non alienus à studiis magicis, quando Egeriā Nymphā nocturnis maxime congressibus in nemorosa valle consulebat. Defuncto illo Sabini volebāt è popularibus suis Regem tertiū eligere, *Marcium* Numæ propinquum, ab aliis civibus præferri meruit *Tullus Hostilius* indigena, loco obscuro natus, per omnes militiæ gradus inscendit solium, & cū Albanis bello congressus, quod præ

A.M. 3236. *Dionys. Halyc. lib. 2. Livius l. d.*

A.M. 3279. *Dionys. Halyc. lib. 3.*

dones ad supplicium dedere nollent, Principem eorum Cajum Manliū telo percussum interfecit, post quem Albani Principem alterum renunciaverunt *Metiū Suffeçium*. Hic duellum proponebat inter Curiatios Albanos & Horatios Romanos fratres omnes. Ac tres quidē Curiatii vulnerabantur, duo Horatii occidebantur, tertius horū incolumis saucios Curiatios prosternebat te lo. Erat victoria sine dubio Romanorum, nec tamen pactis stetit Metius. Ergo fœdere sibi obstrinxit Fidenates & Vejentes, eosq; ad bellum Romanis inferendum incitavit, clanculū vero excusavit apud Tullum, quod de vicinorum apparatibus nesciret, auxilia civium suorum pollicitus quoq;, cum Rex indigeret. Prælio facto Rex hostem fere victorem habebat, tunc Metius succurere jussus, recessit potius ut hostibus opportune adesset, & vero Tull9 fraude comperta, ferocius in hostē profectus, strage magna affectos proturbavit, Metium ambiguæ fidei socium, uti proditorem, quadrigis alligatum laceravit, Albam ipsam, quamvis Romæ parentē, gravem tamen atq; infestā, solo æquavit, cives Romam traduxit & patriciorū jure donavit. Porro expedivit contra Latinos, ordinariū tributū pendere nolentes, propterea quod ipsi olim Albanis quidē vectigales fuissēt, Romanis vero nūquā. At Tullus post eversā

A.M. 3268.

Livius l. d. Florus lib. 1. cap. 3.

A.M. 3304.

Albam

Albam sibi censum deberi contendit, quinquennio res gesta armis, Medulia urbs capitur & pars Latinorum subigitur.

VII. Rex morbo infectus Jovi Elicio victimas solennes nuncupabat, verum sacris non rite operatus, dæmonis iram excivit, & fluminis ictu una cum palacio deflagravit.

A.M. 3311. Dionys Halyc.lib.3. Livius l.d.

Successit *Ancus Marcius* Numæ è Pompilia filia nepos, qui bellum contra Latinos, Sabinos, Volscos, Vejentes, pro censibus solvendis feliciter gessit, multos vicos devastavit, incolis Romam abire jussis, ubi Aventinum montem habitarent Moriens filios duos commendavit *Lucumoni* aulæ magistro, exuli Græco, qui Etruriæ incola nuper ejus gentis fœminam *Tanaquillam* matrimonio duxerat, magni animi & imperiosam.

A.M. 3318.

Domi suæ pauperes adeunt Romam, venerantque prope Janiculum vecti curru, ibi advolebat aquila pileumque viri capiendo per aera circum ludebat, denique in caput viri reponebat. Accipit augurium læta mulier, cœlestium prodigiorum gnara, virumque amplexa jubet, ut magna volvat animo, Regiæ potestatis illud prædictum esse. Veniebant in urbem, & familiaritatem aulæ nactus Lucumo, vocabat se *Tarquinium Priscum* à patria conjugis, Regis vero animum adeo occupavit, ut eum filiorum suorum Tutorem designaret.

VIII. Plus cupiditas regni quam fides valebat. Ablegatis in campos pupillis, ubi educarentur, comitia indicebat, puerorum ætatem causatus, quæ regno impar sane esset gerendo, obtinebat populi consensu Regiam potestatem, nec impigre gerebat.

A.M. 3335. Dionys Halyc.lib.4. Florus lib 1.cap.

Apiolos, Latinorum partem bello superavit, opes in ærarium attulit, vicum diruit, homines addixit hastæ. Socios ulturi Ferentini copias eduxerunt, à Sabinis auxilium obtinuerunt, Crustuminos ad defectionem impulerunt. Verum Priscus omnibus illis superior, defectores gladio percussit, Ferentinos domuit ut Latium universum in potestatem Romanorum concederet, Sabinos irruptioe nocturna in Anienis ripa concisos ad petendas inducias coegit.

A.M. 3349.

Cum Hetruscis gravissimum bellum orsus est, qui exercitu misso Fidenas, coloniam Romanam, ceperunt, & ingenti præda ex agris circumjectis parta in castra sese receperunt. Rex equitum præfectum Egerium jubebat, cum alis suis exire in occursum hostis ac prohibere, ne rapinæ invalescerent, sed ille non præviso impetu oppressus Regem coegit, ut omissa mora in hostium agros transiret. Ita multiplicibus prædis actis Vejentes Etruscorum præcipuos ad sum-

summam inopiam redigebat,
Ceren obsidebat, quam periculo
exempturi cum omnibus copiis
A.M. iter ingrediebantur, & prope Fi-
3356. denas conflictu habito, victori-
am Tarquinio permittebant, Re-
gi victori se suaque omnia dede-
bant, coronam auream, solium
eburneum, togam purpuriam,
sceptrum, Triumphi solennia,
dono ferebant, ut agrorum dire-
ptionem redimerent.

A.M. IX. Sabini finitis induciis
3362. prædatorias manus emittebant
in agros Romanorum, castrisque
que ad Anienen positis bellum
Regi indicebant, à quo cir
cumfusis militum turmis ob-
sessi, ne commeatum accipere
possent, ac famis necessitate victi,
è castris abierunt armis secum
ablatis. Prædam omnem recupe
raverunt Romani, & hostes pa-
cem denuo rogaverunt, Collatia
urbe tradita. Tantarum opum
compos Rex pro ludis edendis
Circum maximum, & peculiari-
ter in honorem Jovis Capitoli-
um exstruere cepit, non etiam
perfecit. Anci filii ad maturam
ætatem perducti litem excita-
bant de interverso regno, cumq;
nihil obtinerent, subornabant
rusticos duos, qui securibus intra
vestes occultatis palacium ingre-
diebantur, & nemine satellitum
advertente, Regem forte obvi-
um trucidabant.

X. Latrones fuga evaserunt &
filii Regis Anci, ne à populo per
tumultum necarentur, exsules in
peregrinas terras discesserunt.
Priscus habebat filios *Aruntem* & A.M.
Lucium, iis præteritis Tanaquilla 3373.
Regina commendabat populo *Dionysius*
generum suum, *Servium Tullium*, *Halyc. l. 4.*
& obtinebat, ut post socerum im- *Livius l. d.*
peraret. Servius natus matre O- *Florus lib.*
crisia Corniculana, fœmina prin- *1. cap. 6*
cipe apud Latinos, sed bello ca-
pta, in palacio educatus fuerat,
videratq; Regina quod parvulo
illi in cunis dormienti flamma
lambens circum caput emicue-
rat. Acceperat omen, filiam dede-
rat adulto conjugem. Rex factus
optime gessit res omnes. Vejen-
tes prælio magno superavit: La-
tinos socios in ordinem reda-
ctos pacavit, ut in communi ci-
vitate secundum leges proprias
vivere possent: Quirinali & Vi-
minali montibus intra mœnia
conclusis Romam septicollem
effecit. Ejus filia *Tullia* nupserat
Lucio Regis Prisci filio, perversa
animi, quæq; Regina quam Re-
gis filia malebat esse, itaq; mari-
to suo ad cor revocabat, ut Regni
hæres ipse reposceret illud à soce-
ro, & cum recusaret hic, vitæ pe-
riculum insuper crearet. Obtem-
perabat Princeps arrogantiæ ple-
nus, & socero hactenus insidias
parabat non unas, demum conti-
git ut ille discessurus è Curia ge-
nerum derepente à latere habe-
ret, specie honoris, nihilq; tale ve-

ritus impulsu facto per gradus devolveretur.

XI. Rex saucius properabat domum, sed quia mori debebat, Lucius eum sequebatur, & gladio
A.M. confossum deferebat. Tullia car-
3417. pento vecta antevertebat populi assensum, & in foro proclamabat maritum Regem, sed lapidibus appetita maturabat abitum, ut palacium occuparet, carpento & equis super cadavere patris, quod in vico jacebat, ductis, adeo eam regnandi libido efferaverat. Sceleratus vicus ad posteros dictus est, æterno admissæ impietatis titulo. *Lucius Tarquinius*, uxoris culpa potius, quã sua malus, Superbus appellabatur, quod erga Patres benignus, plebejos ex alto despiceret, in quorũ amore nihil spei reliquum habebat Regni invasor. Satellitio amplo usus, militumq; gratiam promissis, donis emercatus opes exhausit, & vero ne paupertate sibi comtemptum accerseret, tunc demum proceres calumniis circumventos exsilio punivit, bona in fiscum redegit, Senatui cognitionem rerum capitalium ereptã sibi attribuit, ut pro lubitu suo mulctas irrogaret, peregrinos ante habuit indigenis, Dominus subditorum futurus, qui Reges pati consueverant. Censũ à Tullio institutum abrogavit, stipendio æquali in pauperes & divites pro militiæ onere imposito. Volscos

Dionys. Halyc. lib. 4. Livius l. d.

bello, Gabios fraude perdomuit, incolas occidit, divitias fastu & luxu inutili consumpsit, ut à victoriis fere nullus fructus in cives redundaret. Et Rex ipse inter tot opulentorum populorum direptiones egens, alios quærebat hostes pro dandis vel capiendis spoliis. Ita castris semper immoratus, ab urbe remotus, curam ejus velut eminus agebat, quod civium animos omnino à Rege avertit. Stabat ille cum exercitu ad Ardeam Rutulorum oppidum prædives, dum obsidionem fortiter sustinent incolæ, ocium fecerunt Regis filio Sexto, ut nocte aliqua de castris egressus amicorum ædes inviseret, inter hos erat Tarquinii Collatini uxor *Lucretia*, quam post epulas hilariter peractas vi stuprabat. Mulier vitium sibi invitæ oblatũ conquesta primum apud amicos & propinquos, inde cultro fodiebat cor, & mortua concidebat. Atroci facto commoti cives, duce *Iunio Bruto*, prætore urbis, è familia Anci Regis orto, conjurabant, velle se deinceps Regum imperia abdicare, & libertatem armis stabilire. Mox Regis familiam urbe pellunt, Regem exsilio perpetuo damnant, cives revocant è castris ut domum revertantur, peregrinos jubent, ut Regem secuti, quò vellent, ab urbe abstineant, Regis filio capitis supplicium denunciant, Regum

gum

gum bona diripiunt, agros eorum Marti consecrant, ut deinceps *Campus Martius* esset, id est, locus in quo Ludi publici celebrarentur, & procerum funera cremarentur.

CAPUT II.
De rebus gestis Consulum.

I. *Junius Brutus* erat Lucretiæ avunculus, vir cordatus, qui consul urbis factus est, magnus libertatis Assertor. Collegam assumsit *Tarquinium Collatinum*, Lucretiæ maritum, & contra Reges projectos ab urbe armis feliciter rem gessit. Eis clanculum favebant Titus & Tiberius filii ipsius, nec non Aquilii & Vitellii cives amplissimi, perque literas agebant cum profugis, ut nocte silente per viam subterraniam reciperentur una cum manipularibus suis, qui prolatis subito armis popularis factionis duces trucidarent. Explorabat consilia Vindicius servus, proditores in vincula ducebantur, inde flagris cæsi & securi percussi, magnum terrorem vulgabant civitate tota, postquam Brutus ipse filiorum supplicia videbat, multum repugnante Collatino ne sororis suæ filii capite plecterentur. Quem propterea Brutus, ut sceleris conscium, deferebat ad populum. Exilio mulctatus successorem accipiebat *Valerium Publicolam*, moribus Bruti congruentem, populo affabilem. Regis filius major Aruns dejectus spe illa, quod putaverat, urbem proditione occupari posse, cum exercitu adventabat ab Etruria. Brutus occurrebat cum delectis civium, & pro libertate primam ausus pugnam confligebat acerrime, hasta percussit Aruntem, atque vicissim ab illo saucio percussus telo simili, ambo exspirabant. Cadaver magnifica sepultura affectum est, luctu annuo memoria consecrata.

A.M. 3442. *Livius lib. 2. Dionys. Halyc. lib. 5.*

II. Valerius triumphavit, affusè liberalis erga populum, cui fasces submisit. Et ne regnum appetere videretur, quod proletariorum sermones ferebant, domum suam fastigiatam evertebat, vectigalia diminuebat, Legem majestatis describebat, qua occidere impune licuit eos, qui occupandi regni consilia quæcunque inivissent. Rex ad *Porsennam* Hetruriæ Principem confugerat, à quo precibus impetrabat ut Romanis inferret bellum societatẽ pactus cum genero suo *Octavio Mamilio*, qui Latinorum delectus conscripserat. Porsenna copiis eductis obsidebat urbem, Janiculum montem superabat, põtemque Sublicium aggressus recta via aperire urbem, cives occidere, exsules reducere, conabatur. *Horatius Cocles* pontem

A.M. 3444. *Livius lib. 2. Florus lib. 1. cap. 10.*

obtinebat cum turmalibus suis, & verò hi ad fugam spectabant, cum Horatius solus ingruentes hostes dimicando sustinebat, jussu dato ut pons à tergo rumperetur. Quo facto hostis depulsus est. Cocles equo armisque gravis in Tiberim prolapsus, feliciter enatabat. Nec tamen obsidio cessavit, & famis malum affligebat cives, quos viri unius factum audax liberabat. *Mutius* nobilis adolescens castra hostium, abdito intra vestem gladio ingrediebatur, certus quod Regem confodere vellet. Fortè scriba castrensis erogabat militibus stipendia in prætorio, hunc Mutius quia Regem censebat esse, fodiebat gladio. Statim vinculis injectis Regi sistitur, qui eum ignibus ustulari jubebat, ut ediceret, quo consilio fecisset cædem. Mutius invicti animi documentum præbiturus, dextram accenso propter victimas faciendas foculo injiciebat, torrebatque velut alienato à corpore sensu. Rex attonitus virum liberum dimitti jubebat, qui cædis pœnam à seipso exegisset. Mutius benificium referens, *trecenti*, dicebat, *conjuravimus juvenes Romani, ut in te hoc modo grassemur, mea prima sors fuit, cæteri suo tempore ad erunt.* Porsenna credebat, ita esse, adeoque ne capitis discrimen pro alterius gloria, suo periculo, in singulas horas iniret, pacem offerebat Romanis, & copias suas abducebat.

III. Profectus ad urbem Ariciam, tota hyeme obsidebat illam, ut potiretur opibus civium. Sed hi populos vicinos Tusculi, Cumarum, Antiarum rogabant auxilio, & pugnare ausi fugabant Hetruscos, captivi venibant sub hasta, quorum plurimi Romam abibant, & vicum Thuscum habitabant. Percepta clade Tarquinius Rex desertus ab Hetruscis, mercede conducebat Latinos, ut secum exirent in bellum. Eos *Sulpicius Camerinus* Consul mediocri prælio victos captosq; in urbem adduxit & consilio militari damnatos, quod societatem cum populo Romano olim pactam, solo odio adversus libertatis studiosos concitati, violavissent, virgis concisos primum, deinde securi percussit. Nec tamen arma deposuerunt. Rex indignatus ob supplicia de captivis exacta, novas copias triginta millia virorum, è Latinis, Sabinis, Volscis, Aruncis, conducebat, positisque ad Lacum Regillum castris, agros Romanos vastabat. Cives territi hoc dederunt suasibus *Titi Longi & Sulpicii* Consulum, *Titi Largii Flavi* Dictatoris, *Spurii Cassii* equitum magistri, ut pro libertate tàm carò licitatæ in acie mori, quàm in servitutem cogi, mallent. Fortiter pugnabant, Latini ad internecionem

A.M. 3446. *Florus l.1. cap.1.*

A.M. 3455.

nem cæsi, vicos, agros, obsides Romanis pro obtinenda pace tradebant.

A.M. 3447. IV. Magna hæc victoria fuit, & paulo post Rex obiit Cumis in domo Aristodemi Tyranni, quando hactenus omnem moverat lapidem, nullo successu. Rem foris feliciter gestam exceperunt seditiones domi coortæ. Populus impenderat sanguinem & pecuniam, insuper multi æs alienum contraxerant, ut nova regiminis forma optimis modis stabiliretur. Patricii debitores suos vocabant in judicium, & qui solvendo non erant, ad nexum poscebantur. Ergò populus compellabat Valerium Dictatorem, ut patrocinio ejus frueretur. Is de nexis referebat ad Senatum, cumque relatio sperneretur, ipse ne frustrà Dictator esset, curia egressus magistratum deponebat. Apparuit causa plebi, suam vicem indignantem Valerium Magistratu abiisse, itaque velut persoluta fide, quoniam per eum non stetisset, quin præstaretur, abeuntem domum cum favore & laudibus prosequebantur. Mox Sicinio quodam autore, trajecto Aniene & discessu facto occupabant montem sacrum, deque armis adversus Patricios capiendis palam minabantur, nisi Menenius Agrippa obstitisset, à Senatu missus ad persuadendam concordiam & æs alienum minuendum. Assensit populus, ea lege tamen, ut Tribunos plebis creare possent deinceps, quorum intercessione cum potestate aliqua adversus Senatum agere possent. Senatus permisit, ne popularis furor omnia permisceret, & quamvis Senatores aliqui ægrè ferrent, tantum è Reipublicæ dignitate largiri voluisse Magistratum, horum tamen factio compescebatur, autoribus in exsilium projectis, inter quos *Cneius Marcius* A.M.
Coriolanus, dixerat in Senatu, 3460.
plebem egestatis damnandam esse, ut agris colendis operam navare vellet, seditionibus omissis. Exul iste adjungebat se Volscis, qui eum constituebant ducem belli contrà Romanos. Venerant illi Romam, ut spectarent ludos Jovis Olympii, cumque insidiarum metu vetarentur à Senatu exire domo, prorsus ab urbe discedebant & arma capiebant. Prælio victi Romani ad urbem trepidi refugiebant, hanc quoque Marcius obsidebat, animi obstinatus perdendi cives ingratos, & propè illi ab exitio aberant, cum Veturia mater & Volumnia uxor in castra profectæ adhibitis precibus Coriolanum fregerunt, cæterum armis insuperabilem, ut solveret obsidionem. Reversus domum per tumultum obruitur lapidibus, quod urbem invisam non ad

Dionys. Halyc. lib. 5.

excidium, sicut potuerat, redegisset.

A.M 3472. *Livius l.2. Florus l.1. cap. 2.* V. Quia vero similem ei Ducem nullum haberent, bellum eventu caruit. Volsci maximo prælio victi à Consule Sicinio Sabino, exuebantur castris, occiso inter alios Accio Tullio, qui primus voto suo Coriolani supplicium indicaverat. Mox quoque Vejentes cum instructo exercitu renovabant bellum, eos privato nomine & honore aggressi patricii Fabiæ gentis, trecenti & sex viri fortissimi, duce *Fabio Cæsone* Consule, assumptis unà quatuor millibus Clientum & sociorum, ad Cremeram lacum improspero eventu pugnabant, cæsi omnes. Unus ex ea gente ob ætatem impuberem domi relictus propagavit familiam. *Titus Menenius* alter Consul, qui subsidiarias copias ducebat, perinde fugatus, castrisque exutus, hostem ponè attraxit, ut Janiculum occuparent, prædaque divites, factis induciis, abirent.

A.M. 3499. *Livius l.3.* VI. Populus novas querelas in Senatum perferebat, videlicet, judicia negligentius administrari, & favore judicum unicè niti, ubi non essent scriptæ leges. Placuit, ut viri præstantes adirent Athenas, peterentque leges à Solone descriptas, quas in patriam allatas, communi Sapientium judicio expositas, auctas, limitatas, Reipublicæ accommodarent. Posthumius, Sulpicius, Manlius à Græcis impetrabant, abrogabantur Consules tantisper, & Decemviri Appius Claudius, Titus Genulius, Veturius Crassus, Julius Julus, Posthumius Albus, Manlius Volso, Sulpicius Camerinus, Romulius Rocus, Curiatius Tergeminus, Sestius Capitolinus, eligebantur cum potestate summa, qui Leges duodecim tabulis scriptas, è curia promulgarent. Anno finito lites fecit successio novorum Decemvirorum. *Appius Claudius* decemviratu noluit decedere, sed prorogavit in annum sequentem, Collegæ ejus abdicati paruerunt, in quorum locum substituit ille alios, imperiosos & arrogantes, assumsit lictores cum fascibus, magistratum perpetuo sibi retenturus, Consulibus exclusis. Nec patribus consilium, nec plebi libertas erat reliqua, melior Senatus pars discedebat ab urbe, consilio non bono, quandoquidem pauciores, cum resistere vellent, Decemvirorum scelere interibant. Consules vero ad populum re perlata moverunt alios, ut Decemviri juberentur potestatem deponere, alios etiam Decemviri sibi obnoxios fecerant donis datis. Hinc acerrima litigia, quibus infesta arma Æquorum ac Sabinorum supervenerunt, victi Ro-

mani

mani duobus præliis, castra direpta, Tusculum devastatum.
A.M. 3503. Neque hoc satis erat. Appius quandam velut Tyrannidem meditari visus, honestam puellam *Virginiam* Icillo patricio desponsatam, odio quodam erga patrem ejus Virginium percitus, immissis lictoribus apprehendi & domum suam deductam, servilibus operis addicebat, usus prætextu quod liberto suo nata, Virginii adoptiva esset. Virginius pro filiæ suæ liberis natalibus in foro causam dicebat, cumque parum obtinere se posse apud iniquos judices videret, nec tamen filiam in servitutem dari volens, lictorum accursu territus, cultrum de lanionis taberna arreptum filiæ intorquebat, satius esse ratus, morte quàm contumelia amittere filiam suam. Virgo mortua concidebat, pater ferro, quacunque ibat, viam aperiebat, & porta egressus in castra fugiebat. Re vulgata cives pariter ac milites convulsis signis, creatisque ducibus occupabant montem sacrum, Senatus loco restitutus, Tribuni plebis electi, addita lex est, ut populum Senatumque obligaret, quod populus tributim scisceret. Decemviris abrogabant magistratum, Appio in carcerem detruso, ubi necem sibi conscivit. Horatius & Valerius Consules adversus Æquos & Sabinos profecti, hostes depulerunt.

VII. Fidenates è sociis Ro- A.M. manorum hostes facti deficie- 3515. bant ad Vejentes, quorum *Livius l. 4.* Princeps *Volumnius* viam omnē ad reconciliationem præcisurus, impulit eos, ut nuncios Roma missos, Fulcinium, Tullium, Roscium, Nautium, & discessionis causam rogantes, interficerent. Expediebant Romani sub Dictatore *Mamercio*, & signis collatis fugabant hostes. Tolumnium fortiter pugnantem adortus *Cornelius Cossus* equitum tribunus, hasta confixit, exanimo detraxit spolia Jovi Feretrio sacrata, Fidenates ad pristinum obsequium redacti sunt, autores perfidiæ supplicio affecti. Duravit hoc bellū multis annis, & quamvis induciæ sæpius intercurrerent, hæ tamen infidæ, nunc Æquos, nunc Volscos, nunc Faliscos ad socia arma pellectos, adversum Romanos concitaverunt, demum Sabinosquoq;. Eos adortus Minucius Consul, & per negligentiam circumvētus, exercitū totū cædibus promiscuis objecisset, nisi *Quintus Cincinnatus* ab aratro ad Dictaturam gerendā vocatus cū expeditis turmis celeriter accurrisset, cæsisque Volscis ad castra viam aperuisset. Liberatus à periculo tanto Consul, officio suo

suo abiit, Cincinatus triumphum
A.M. egit. De Vejentibus in Senatu a-
3556. ctum est ut totis viribus invade-
Livius l. 5. rentur. *Camillus* Dictator vali-
dam urbem decennio obsedit, &
cuniculis actis expugnavit. Sum-
ma auri & argenti ingens perlata
in ærarium, prima divitiarum
fundamenta in urbe jacta, nec
multò minoris precii fuit quod
milites ad se corripuerant. Re-
versus domum Junoni Reginæ
templum condidit in Aventino
monte, & quadrigis albis trium-
phavit, honore affectus summo,
verum Tribuni de militum spo-
liis ei litem intendebant, præte-
rea Augures decimas prædæ ju-
bebant solvi ex voto Apollini fa-
cto. Sed militum nemo reddere
aliquid volebat, patriciæ matro-
næ liberali collatione solvebant
precium voti, unde patera aurea
donabatur. Hoc non obstante,
Camillo indicebatur exsilium, &
quidem illo die, quo filium suum
eximiæ virtutis morte extinctum
lugebat & afflicto addebatur af-
flictio. Tulit injuriam æquo ani
mo, hoc tantum à Diis precatus,
*quandoquidem innocenti ipsi ali
quid supplicio simile imponeretur,
cõtingeret patriæ evẽtus iste, unde sui
desiderium existeret.* Provixit exsul
apud Ardeenses in conspectu Ve-
jorum pronuper ductu suo ever-
sorum. Non multo post Galli Se-
nones sub *Brenno* Rege, trecenta
millia virorum, ingrediebantur
Hetruriam & obsidebant Clusi-
um. Intercedebant pro sociis Ro-
mani, sed apud Barbaros nihil
obtinebant, quod movit *Fabium
Ambustum* principem Legato-
rum, ut Caduceatoris habitu de-
posito, ageret fecialem, & pro-
vincialium turmis collectis, inq;
castra hostium impetu facto, oc- A.M.
cideret multos. Inter occisos erat 3562.
Gallorum Princeps quidam, un- *Florus l. 1. cap. 1.*
de Barbari irritati, pace Etruscis
data, in Latium pergebant, & Le-
gatos sibi dedi postulabant. Re-
cusabant Romani, & partium
studio impulsi renunciabant illos
Tribunos militum consulari po-
testate, exercitum conscribe-
bant, collatisq; signis ad Alliam
fluvium succumbebant. Recta
contendebant Galli ad urbem,
incolis plurimis interfectis, cæte-
ri petebant Capitolium. Sex mẽ-
sibus obsessi, veriti ne perirent,
fame demum coacti, unicum
noverant Camillum, expertæ
fortitudinis, & per nuncios ro-
gabant, ut cum potestate Dicta-
toris adesset, quovis modo c vi-
um reliquias vindicaturus. Nec
minus cum Gallis pacem cupie-
bant facere, ac non defuit suc-
cessus. Convenerat de magna au-
ri summa, qua persoluta, motis
castris abirent, induciæ pactæ, ut
è vicinis gentibus mutuo sume-
retur. His freti Galli securius in
castris versabantur, & verò Ca-
millus mercenariis Hetruscorum
copiis

copiis inſtructus , non quidem
aurum, ſed ferrum intentabat
hoſtibus, victi fugerunt & Latio
exceſſerunt tantiſper, Volſci eo-
dem victoriæ curſu debellati.
Aurum, quod Gallis dare volue-
rant , domibus reficiendis im-
pendebatur.

A.M. VIII. Camillus urbi redditus,
3569. urbem civibus reddidit, ſemel ac
Livius l. 9. iterum Dictator in domeſticis
turbis. Manlium de ambitu con-
victum, quod largitionibus mer-
caretur civium favorẽ, ne Rem-
publicam porro turbaret, Sena-
tus-conſul o damnatum è ſaxo
Tarpejo præcipitem egit, quan-
quam ille nuper Capitolium ſer-
vaverat induſtria ſua, ne per Gal-
lorum nocturnos aſſultus cape-
retur. Parta victoria contra Gal-
los, vicinis metu ſuſpenſis, pax
longo tempore viguit, ac demũ
peſtis oborta potiſſimos cives
morte rapuit. Camillus eodem
A.M. tempore defunctus, vir princeps
3588. in omni fortuna, & pace & bello.
Dehiſcebat urbis forũ terræmo-
tu, ſpecu profundo & lato, neq;
ullis ruderum ingeſtionibus ex
pleri poterat. Canebant vates, *lo-
co illo injiciendum Diis Manibus,
quod populum Romanum vehemen-
ter adjuvaret.* Injecta ſunt moni-
lia, gemmæ, arma multiplicia, fru
A.M. ſtra omnia, donec *Marcus Cur-*
3591. *tius*, oraculi certior interpres, *nul
lum eſſe præſtantius bonum*, ajebat,
quam vitam virtutemq;. Seipſum
igitur pro patria donavit, ac equo
ornato inſidens armis indutus in
ſpecum deſiliit, protinus vorago
coiit, peſtisque deſiit.

IX. Ne quid malorum deeſſet, A.M.
novo bello ingruebant Senones 3593.
Galli & via Salaria ad tertium la- *Livius l. 7.*
pidem caſtra ponebant. Dictator
Titus Quincius citra flumen A-
nienen cum exercitu ſuo conſi-
ſtebat. Erat pons in medio, & de
occupando illo crebra prælia.
Gallus miles vaſti roboris, arma-
tus undique, demum conſiſtebat
in ponte, ad conflictum provo-
cans, quicunq; auderet è caſtris
Romanorũ congredi armis ſin-
gulis, & victus è condicto popu-
lum ſuum cladis damnaret. Diu
inter primores juvenum ſilenti-
um fuit, cum & recuſare certamẽ
puderet, & præcipuam periculi
ſortẽ petere timerent. Ergo *Man
lius* Tribunus adiit ad Dictatorẽ,
impetravitq; dimiſſionẽ. Gallus
ictu primo fruſtratus, quem Mã-
lius provide corporis agilitate de
clinabat, repetito percutere haut
poterat, in vẽtre perfoſſus. Mor-
tuo detraxit aureum torquem &
Torquati cognomẽ accepit. Gal-
li diſceſſerunt in hyberna, exactis
iis redierunt ad urbis obſidionẽ
tentandam, ſed prælio acerrimo
in conſpectu portæ Collinæ victi
à Dictatore *Servilio Hala* , fuge-
runt , non ita longe poſt tamen
redituri ad latrocinia ſolita.

X. Ergo *Furius Camillus* Dicta-

P toris

toris filius paternarum virtutum æmulus Dictator renunciatur, daturque illi negotium, ut hostes anniversarios fere, de finibus Latii expulsos procul removeat armis. Galli detrectabant prælium, & duello offerebant virum statura maximum, armis præstantem.
A.M. 3605. *Valerius* Tribunus consensu Dictatoris rogato, prodibat, ut ferro decerneret cum hoste. Conserenti manum repente corvus in galea considebat, qui rostro unguibusq; Galli certantis faciem lacerabat, unde is oculis ac animo turbatus à Valerio obtruncabatur, quem postea Corvinum appellabant. Galli ex Latio penitus abierunt & vero novi hospites è Græcia, Phoceenses bello sacro victi, è littore prohibebantur, ne prædas ab agris ad Tibe-
A.M. 3614. rim sitis peterent. Latini quamvis Senonum auxilio spoliati, horum causam tamen agere visi, agros Romanorum incursabant. Castris productis edixerant Cõsules, ne quis extra ordinem cum hoste pugnaret inconsultis ipsis. Geminius Mecius vir robustus in exercitu Latinorum provocabat Torquatum juniorem, qui stationes vigilum procul à castris curabat. Juvenis perculsus ardore gloriæ, oblitus vero edicti à patre suo, qui Consul erat, lati, ferocem Latinum adortus hasta confodiebat magno cum applausu militum. Torquatus senior accersebat filium, laudabat animi vigorem si alia occasione eum adhibuisset, cæterum objecto crimine solutæ disciplinæ castrensis, ac capitis damnatum ad lictores deducendum curabat. Ita ad palum deligatus, securi percutiebatur.

XI. Latinis pacatis diuturnum bellum apparabant sociæ gentes in Samnio & Lucania. Dictator creabatur *Papirius Cursor*, atque is magistrum equitum assumebat *Fabium Rullianum*, exercitus opperiebatur in stativis, ut progressum hostis specularentur. Forte negociorum suorum causa aberat Dictator, quo comperto hostes agendum sibi aliquid esse rati, ad castra Romanorum oppugnanda accedebant, nec Fabius cunctatus, signis collatis hostem superabat, cæsis viginti mille viris. Reversus Dictator imperia Manliana exemplo renovaturus, eventum rei bene gestæ laudabat, cœterum arguebat Rullum contumaciæ manifestæ, quod contra edictum Dictatoris pugnavisset, virgas & secures à lictoribus expediri jubebat. Territus Rullus militum fidem implorabat, à quibus desertus in custodiam dabatur, verum custodia negligenter agente, noctu evadebat, Romam profectus. Eodem veniebat

Livius l. 9. Florus l. 1. cap. 16. 17

A.M. 3618.

niebat Dictator, & juris sui tenacissimus urgebat, ut suppliciũ irrogaretur Rullo. Intercedebat populus, ejusque precibus hoc dabat, ut Rullus vita donaretur. Samnites refectis viribus per Apulos mercenarios, prorogabant bellum, adversus eos progressi Consules *Veturius Calvinus* & *Posthumius Albinus*, exitiosis odiis invicem accensi, rem perdebant, cum toto exercitu à Samnitibus ad furcas Caudinas in arctum redacti, ut neutrò pateret exitus. *Pontius Telesinus* Samnitum Regulus Gentis suæ decretum requirebat, quid cum captivis agendum esset. Ejus pater *Herennius Poncius* uno die suasit, *ut incolumes dimitterentur*, altero, *ut penitus cæderentur, ita fore, ut vel benificio magno hostes demererentur, vel jactura maxima vires horum diminuerentur.*
A.M. 3631. Neutrum fecit Regulus, sed armis spoliatos, vinculisque constrictos sub jugum misit, inde à Consulibus pacem stipulatus, obsidibus acceptis, abire jussit. Consules domi quidem recepti, verum quia deditionis ignominiosæ, & hanc secutæ pacis, autores fuerant, ne civitatem obligarent, officio moti & hostibus redditi sunt Bello pergebant Romani, & ipsi illi ad furcas pessime habiti milites cum magna alacritate præliati sub Papirio Cursore, victoriam obtinuerunt. Captivi similem ignominiam perpessi, inde dimissi, cladem nunciaverunt suis.

XII. Ne prorsus subigerentur, à Gallis & Umbris petebant suppetias, legionem, quam Scipio regebat, ad Clusium obruebant, Campaniam vastabant. Occursu facto *Quintus Fabius* & *Decius Mussus* Consules signa contulerunt infelici auspicio, victoria enim ad hostes inclinabat, cæsa legione ad internecionem. Decius requisito Pontifice *Marco Livio*, piaculum sese luendis exercitus periculis offerebat. Ergo hastæ innixus verba solennia recitavit, & Diis Manibus sacer, concitato equo in medios hostes illatus, stragem late fecit, demum plurimis telis obrutus, patriæ salutem, sibi mortem procuravit. Fabius in dextero cornu primum cunctator, inde fatigatis hostibus audacior, concitatis vehementer legionibus adversam aciem in fugam compulit. Cæsa eo die hostium viginti quinque millia, octo millia capta sunt. Hac victoria ad Clusium obtenta, fracti quidem Samnites, nec tamen per-

Livius lib. 10.

A.M. 3655.

domiti, non desinebant Romanorum socios vexare. Adeo ne infeliciter quidem defensæ libertatis tædebat, & vinci, quam non tentare victoriam malebant miseri. *Attilius* Consul pro sociis dimicabat, nunc victus, nunc victor. *Papirius Cursor* una pugna feliciter exacta viginti mille cecidit, oppida multa expugnavit. Ad reliquias evertendas missus *Fabius Gurges*, hosti victoriam concessit, quamobrem Senatus-consulto damnatus, infamiæ notam incurrisset, qui viribus integer ab hoste toties victo sese vinci passus erat, nisi pater ejus *Fabius Maximus* coram Senatu precibus obtinuisset, ut filio adjungeretur Imperator bellicus. Restaurata pugna, in filii gratiam ita fortiter rem gerebat pater, ut cæsis hostibus, Pontio Regulo capto, filius insignem triumphum ageret.

Epitome Livii l. 1.

XIII. Gravi pugna victis Samnitibus, eorumq; *Regulo Pontio*, qui ad furcas Caudinas deditioni factæ gravem injuriam addiderat, securi percusso, urbem afflixit pestilentia magna tribus annis, cumque portentosimilis esset clades, in libris Sibyllinis quæsitum est, *quinam finis aut quod remedium ejus mali à Diis daretur?* Responsum factū est, *ut Æsculapius accerseretur ab Epidauro.* Legati veniebant eò, quibus anguis è delubro Æsculapii obvius, & in navem sponte ingressus, Numinis instar advectus Romam, fugavit pestem, ac templum ei positum est in ripa Tiberis.

A. M. 3659.

XIV. Samnites ultimo impetu evertebat *Manius Curius*, vicis agrisq; omnibus captis, urbe destructa, incolis sub hasta venditis, plurimi exsilio damnati in Apuliam concesserunt, & Lucanis autores fuerunt, ut Romanorum surgentem potentiā quovis modo reprimerent. Eodem tempore Gallis permisti, obsidebant Thurios, sed profligati à *Fabricio* Consule, dato auro pacē redemerunt. Tarentini inter Apulos præcipui novis motibus eos infestarunt, direptis navibus, quas Valerius prætor in portu appulerat, fretus veteri societate, nec enim sciebat, esse hostes, & Samnitum res perditas serò demum restaurare velle. Posthumius Legatus de causa quæsiturus cum ludibrio rejicitur, & Tarentini Samnitum profugorum, Gallorumq; mercenariorum ope sublevati, ne subitò à Romanis invaderētur, ad majorem belli molem conciendam evocabant Pyrrhum Regem Epiri clarissimum, aderatq; ille navibus ab Antigonō Græciæ Duce petitis, militibus à Ceranno Macedoniæ Rege, non tàm ut afflictos liberaret, potius hoc agebat, ut sensim devictis populis multis Italiæ, Siciliam, Africam uno imperio ipse contineret. Primo

A. M. 3660.

A. M. 3668.

Epit. Livii lib. 12. 13.

A. M. 3669.

Florus l. 1. cap. 18. Plutarchus in Pyrrho.

con-

conflictu in Campania ad Lirim fluvium victor, Levinum Consulem pepulit, cæsis octo millibus, captis millibus duobus, nec enim Romani cum Elephantis pugnare noverant, & Thessali equites armorum peritia excellebant. Eventum pugnæ secuta est multarum urbium defectio. Rex adunatis copiis suis & sociorum pergebat urbem versus, Latii vicos omnes ferro devastabat. Ne sub mœnibus ipsis castra poneret, Romanorum celeritate præventus est, qui Fabricium Consulem jubebant cum exer-
A.M. citu magno in Apuliam ducere,
3672. & Tarentinos oppugnare. Secutus eodem Rex cruento prælio ad Asculum vicum dimicabat, nox diremit pugnantes, & Romani in fugam versi castra impedimentaque omnia victori permiserunt.

XV. Eo bello magna Fabricii integritas eluxit. Nam & oblatam sibi à Rege imperii partem & pecuniam generosè repudiavit, & medicum Regis vitam precio impiè licitantem, vinculis oneratum ad supplicium ab ipso exigendum justissimè remisit. Rex saucius, & veritus ita sæpè vincere, majorem gloriam ejus victoriæ quàm lætitiam habebat. Factis induciis, quas haut gravatè Romani amplectebantur post tot millium virorum jacturam, discessit in Siciliam, evocatus à Syracusanis, ut Pœnos ab urbis obsidione depelleret. Feliciter ibi multa gessit, Erycinam urbem vi, Panormum deditione cepit, Lilybæum obsidione pressit. Et *Iustinus*
jam de navibus comparandis, ut *lib. 23*
Pœnos in Africa invaderet, co- *Epit. Livii*
gitabat, cum Pœni aperto prælio *lib. 14.*
aggressi hostem magna clade accepta ad naves confugerunt, victoriæ fructum non percepit Rex, postquam favorem civitatum superba conversatione diminueret. Videbatur sanè imperium, quod in Pœnis reprehendebant Siculi, ad se pertrahere velle, itaque odio magis quàm armis ejectus, diripuit Messanæ agros, & fugienti similis rediit in Apuliam, ubi res sociorum in absentia ejus damnum ceperant, urbibus multis subactis. Ergò profectus in Samnites, noctu Manium Curium ad Beneventum A.M.
assequitur. Collatis signis pri- 3675.
mam Regis aciem, in qua Elefanti consistebant, turbabat Curius, & bestiæ in fugam actæ perfregerunt ordines, militibus conculcatis, ut Romani victoriam raperent, viginti millibus cæsis. Rex abiit Tarentum, & relicto in urbe præsidio, quod Milo Dux regebat, enavigavit in Macedoniam, petitum supplemen-
ta. Ibi novo implicatus bello A.M.
cum Antigono Rege, & saxo oc- 3677.
cisus, nunquam rediit in Apuliam. Post obitum ejus Tarentini

respectabant Pœnos, sed Milo arcem Romanis tradebat, neque hi curabant admodum, Pœnos ob id jure suo indignari posse, alieni cupidissimos, ut exempla in Sicilia vicina ostendebant.

Florus l. 1. c. 19. 20. 21 XVI. Tarentinis victis in reliquas Apuliæ urbes non magno labore dominium acquirebant Romani, freto Siculo proximi, ut in Pænorum gestas & gerendas res propius inspicere possent. Ac Pœni quidem perpetuis adversus Insulanos victoriis usi, occupaverant Siciliam, Sardiniam, A.M. Corsicam, verum florentissimas 3713. res eorum gravissimo bello terra *Polybius lib. 1. Appianus in Punicis.* marique, cæsis exercitibus, classe demersa sub Consule Duillio, copiis in Africam missis sub Attilio Regulo, ita affligebant Romani, ut apertis ferè portis Carthaginem urbem caperent. Pœni ad externa auxilia conversi, Xantippum Ducem accersebant Spartâ cum firmis legionibus, & felici prælio victum Regulum capiebant, Siciliam sub Carthalone & Adherbale Ducibus tuebantur, non sine multa Romanorum cæde, qui ab Africa profecti in Siciliæ portus confugiebant, ubi Attilius Calatinus & Servilius Cæpio rem gerebant inter successus ancipites. Carthalon evertebat Agrigentum urbem, & naves ingenti præda onustas deducebat in patriam. Attilius expugnabat Panormum, & Cæpionem jubebat naves admovere Lilybeo munitissimo propugnaculo. Tempestatibus afflicta classis nihil proficiebat, & verò Pœni satis esse arbitrati, mutuis cladibus attrivisse vires, captivum Regulum dimittebant uti Caduceatorem, juramento obligatum, quod aut pacem firmam procurare apud cives suos vellet, aut sponte ad vincula reverti. Cum pacis negocium frustrà ageretur, rediit ad hostes & fidem datam eis servavit exemplo insolito, quando libertatem quocunque modo obtentam permutabat cum molesta captivitate, & paulò post in crucem actus non sine magnis cruciatibus occidebatur ab hoste perfido. Ad Drepanum coiverant Romanorum naves sub Publio Claudio prætore, justæ reliquiæ earum quæ non procul Lilybeo naufragium fecerant, Pœni advecti expugnabant centum naves, interfectis duodecim mille viris, ut coacti Romani imperium maris hostibus permitterent. Amilcar Locros, Brutios aliaque Italiæ maritima loca devastabat. Hæc tantisper acta sunt, donec Luctarius Consul eductis navibus trecentis ultimo eoque prospero conatu ad Ægates Insulas confligeret, Lilybeum expugnaret, omnesque hostium vires maritimas profligaret. Pœni victi pacem rogaverunt, Insulisque

traditis deinceps à mari interno abstinuerunt. Nec minus in Adriatico mari adversus prædones Liburnos feliciter decertabant, qui mercatores Latium habitantes spoliabant, Græcis in-
A.M. super molesti Corcyram vexa-
3722. bant. Quintus Fulvius Consul
Polybius lib 2. adducta classe liberabat Corcyram, inde Apolloniam urbem expugnabat, Teutam Reginam Dalmatiæ pellebat, gentisque proceres Romam deductos feriebat securi. Pacem petebat Regina, & duris legibus obtinebat, *ut quotannis solveret tributum, ut paucas in mediterraneis urbes imperio modico regeret, ut à mari prorsus abstineret.* Parebat
Florus lib. 2. cap. 4. 5. illa, & tunc primum Græci virtutem bellicam Romanorum admirati fœdus eis obtulerunt, pro defendenda securitate maritima & conservandis mercimoniis adversus piratas. His ita gestis è diversa parte ingruebant Norici, Gallis Senonibus juncti, & per Hetruriam celeri itinere
Epit. Livii lib. 20. progressi, ad fines Romanorum duce Ariovisto consistebant, prætorem cum sex millibus viris occidebant. Romani copias novas instruebant sub Flaminio & Attilio Consulibus, quo percepto Norici relegebant iter, & castris ad Mediolanum positis, hostem atroci prælio exceperunt. Victi, duce amisso, quadraginta millibus cæsis, intra Mediolanum conclusi alii, quos fuga servaverat, non tamen expleverunt victoris iram, adeoque Flaminius ulturus collegæ sui necem (is in acie peremptus erat) obsedit Mediolanum toto anno. Interim Galli duce *Viridomaro* exercitum triginta millium virorum colligebant, ut periculo urbem eximerent. Nec Romanis deerat animus pro obsidione feliciter exigenda quævis experiundi, itaque Consules Marcellum & Scipionem cum militum supplemento in castra mittebant. Galli capessebant pugnam, & Marcellus alacriter congressus, cum videret, Principem auratis armis insignem milites suos verbis factisque ad fortitudinem cohortari, recta in illum procurrit & Jovi Feretrio spolia opima vovit. Nec fugit Viridomarus, sed acerrimè dimicans tandem hasta configitur.
Interim exercitus quoque con- A.M.
fligebant dubio successu, ac fuis- 3728.
set sine dubio Gallorum victo- *Polybius*
ria, nisi Principis interitu per- *l. d.*
culsi ordines solvissent. Fugerunt, & Mediolanum Romanis deditum est.

XVII. Pœni ab interno ma- *Appianus*
ri prohibiti occultis consiliis *in Punicis.*
Sardos & Corsos impellebant ad rebellionem, verum in

tanta

tanta Romanorum potentia facile perdomiti & in servitutem redacti venalibus mancipiis impleveruntItaliam. Pœni insuper militiæ suæ adscripserunt, quicunq; ad eos confugiebãt. Transiverant illi navibus in Hispaniniam, & Carthagena urbe condita, amplissimas regiones duce *Hasdrubale* debellabant. Eo per satellitem occiso (qui veteris domini sui ab Hasdrubale interfecti Manibus victimam illam destinaverat) exercitus Rector Hãnibal designabatur, annorum viginti quinque juvenis, non tam penuria seniorum, quam odio Romanorum, quo imbutum eum à pueritia sciebant: erat nãque ante Deorum aras juramento inauguratus dudum à patre Hamilcare, *quod vellet Romanorum hostis vivere ac mori*. Pergebat ille bello in Hispania, & non invidebant Romani successibus Pœnorum, quando socios eorum non affligerent. Saguntini fœdus pacti fuerant cum Romanis, postquam hi feliciter confecto bello Punico primo, inter alias pacis leges Hamilcari imperaverant, *ne socios alterutri læderent*. Hannibal aggressus Saguntinos, valida obsidione pressit eos, ut quoniam auxilia nemo ferret, nec tamen illi (quanquam novem mensibus famem, machinas, ferrum, diræ mortis imaginem fortiter toleraverant) Pœnorum dominio subesse vellent,

Polybius lib. 3.

A.M. 3731.

Livius lib. 2 seq. Silius Italicus l. 1. seq. Florus l. 2. cap. 6.

ignibus admotis sponte deflagrarent. Negabat Hannibal, quod ea res ad Romanos attineret, *neque enim Saguntinos fuisse horum socios eo tempore quo Hamilcar pacem iniverat*. Romani vero sociorum nomine comprehendi affirmabant, non eos solum qui tunc temporis in societate essent, verum illos etiam qui deinceps peterent societatem. Hinc crudele bellum exstitit, quo Hannibal multis præliis victor late vastavit Italiam. Primo itinere superabat Alpes cum gravis armaturæ exercitu, & damnis ingentibus per montium stationes incommodas acceptis, viginti mille pedites, sex mille equites, triginta Elephantos in plana deducebat, Ligurumque manipulis ære conductis permiscebat. Ad Ticinum occurrebat ei Scipio Consul validi equitatus rector & collatis signis vincebatur. Perinde vincebatur peditatus, cumquo ad Trebium consistebat Sempronius Gracchus, aut quod hic Scipionem vellet periculo objicere, aut quod à Scipione accelerato nimium itinere præverteretur, Transibat Apenninum, Liguribus contra eum nihil quidem tentantibus, & positis ad Lacum Trasumenum castris excipiebat Flaminium Consulem magno prælio. Tunc quoque vincebat, melior præliis obti-

A.M. 3734.

obtinendis quam persequenda victoria. Ergò Fabius Maximus Dictator novas copias instruẽdo prohibebat eum, ne rectà peteret Romam, ubi metus præsentium opprimebat spem futurorum. Ne confligeret, summis viribus cavebat, hostes verò ponè se per invios saltus trahendo & per manipulos dimicando affligebat Cunctator nomine salutari dictus, ut Pœni ad vires recolligendas in Campaniam discederent. Et successit in regione opulenta, eòdemque sequebantur Romanorũ copiæ, quib. præerant Terentius Varro & Paulus Æmylius Consules. Pugnabatur ad Cannas vicum Apuliæ magna cum strage Romanorum. Æmylius incumbebat ferro, Varro evasit fuga neque desperavit meliores aliquandò fore patriæ res tot damnis affectas. Pœni ubere gleba delectati ad Latiũ sterile non usque adeò properantes, omnẽ benè gerendarũ rerũ occasionem neglexerunt. Suadebat Hanno Suffes nobilissimus, ut pace facta cũ Romanis, conditiones priori bello admissæ per contraria pacta dissolverentur, verũ Asdrubal Barcha resistebat ei ac bellum judicabat promoveri debere cum excidio urbis Romæ. Hęc tamen majori virtute quã viribus defendebat sese, ac domi quidẽ Scipio faciebat militũ delectus, foris prælia batur Marcellus, deletisq; ad Nolã validis hostiũ legionibus abibat in Siciliam, ut Syracusarum Principes Gelonem ac Hieronymum fidei violatæ reos debellaret. Triennio obsessam urbem expugnabat, opibus militem velut præmiis tolerati laboris exornabat, & præsidio imposito revertebatur in Italiam. Hic non aliam magis fidam urbem quam Capuam habebant Pœni, nobilẽ ac potentem. Exercitũ admovebant Fulvius Flaccus & Appius Claudius Consules, datoq; à Pœnis spacio circũvallandi, mox victores portas arietibus pulsabant. Annibal urgendos proprio periculo Romanos arbitratus, Romam ipsam obsidionis specie tentabat, positis castris ad tertium lapidem. Fulvius cum parte exercitus legebat vestigia ejus, unde civibus addebatur animus, ut extrà mœnia progressi à fronte, à tergo, à latere arma hostibus ostẽtarent, terrorisque completum fugarent. Redibat in castra sua Fulvius, & Capua dedebatur, proceres securibus percussi, incolæ ad pagos relegati perfidiæ crimen satis atrociter luebant. Annibal in vicinis agris stativa ponebat, mutatis subinde locis, quandò modicas s. cũ habebat copias majores ab Hispania opperiebatur. Eas difficili itinere adducebat frater ejus Hasdrubal, interim perpetuis velitationibus acta res per Campaniam & Apuliam, neutris multum utiles, Romanis verò etiam damnosi erant, postquam Marcellus nocturna hostium irruptione occi-

debatur. Longè maximo damno affecti sunt Pœni, quorum exercitus novus octoginta mille virorum adventabat in Hetruriā, & quamprimum optabat cum Hannibale jungi. Hic non ausus è castris suis benè munitis egredi, explorando magis iter commilitonū suorum, quam lacertos movendo adversus hostes occupabat studium, melior miles tunc cum pauca experimenta fecerat, quam cum tantas victorias hostibus à clade sua terribilius consurgentibus extorserat. Neque n. advertebat, Claudium Neronem Consulē exire castris sibi oppositis hactenus, atq; is sex dierum itinere confecto alterius Consulis Livii Salinatoris, qui Apennini claustra inter omnia hostilia tuebatur, copias sociabat, seque Pœnis haut procul ab urbe Placentia objiciebat, Duce perempto cædebat exercitum. Cruentum fuit hoc prælium, omnemq; Pœnorum successum in Italia prorsus enervavit. Tantum quod Magon Hamilcaris filius ex minore Balearidum Insula cum sedecim mille viris profectus, naves in Liguria appellebat, & Genuam repentino incursu obruebat. Sed hunc per Insubriam prædas avidius insectantem ex intervallo mulctabant coloni, ut exercitu amisso, ipse telo percussus, domum reversurus in itinere obiverit. Solus Anibal extremo Italiæ angulo sese ità immuniverat, ut non posset armis ejici, donec Romani cum exercitu in Africam transirent, duce Scipione, & fortiter adeò rem gererent, ut vicinis Regibus, qui Pœ- *Polybius lib. 26.*
norum magnam potentiam oderant, in fœdus assumptis, prælio vincerent Hasdrubalem, alterum ducem Pœnorum. Pœnis auxilio veniebat Syphaces Rex Numidiæ superioris, infensus Masanissæ inferioris Numidiæ Regi, quod cum Romanis fœdus iniverat. Acto prælio succumbebat, factus ipse captivus & nave deductus Romam, uxorem ejus Sophonisbam Amilcaris Pœni filiam thoro suo imponebat Masanissa, quandò illa mariti sui ex captivitate reditum non vana desperabat, sed cum Scipioni factum displiceret, veneno potam uxorem extinguebat Utica, Hippon. ac civitates plures deditionem faciebant. Deliberabant, qua via ipsam Carthaginem oppugnarent, unde coactus Hanni- A.M.
bal deserta Italia contendebat in 3753.
Africam, præliique non adeò cupidus, de pace facienda compellabat Scipionem. Leges dictæ sunt, verum quia duriores visæ, non receptæ à Pœnis, & Hannibal prælio decertare jussus, ad Zamam vicum struebat aciem. Scipio vincebat cæsis viginti *Livius lib.*
millibus inde pacis leges condi- 30.
cebantur, *ut toto mari discederent,*

naves

naves triginta ad littus suumdefendendum haberent, Hispania excederent, Numidiæ Reges in pace relinquerent, socios quocunque modo appellatos nō lacesserent, quingenta mille pondo argenti solverent, captivos & perfugas redderent. Acquievrunt Pœni, armisque depositis pax sancita est.

Polybius lib. 16. XVIII. Cum Pœnis egerat Philippus Macedoniæ Rex, ut bello vellent insistere, opemque laturum sese promiserat. Verum serius accessit ille, nec tam Pœnis opem, quam sibi regnoque suo cladem procuravit, victus prælio
A.M. 3753. magno in Tessalia, & ne regno spoliaretur, quod Græci omninò cupiebant, maxima auri summa pacem redemit. Annibal domi suæ parum acceptus, multorum quoq; injuriæ obnoxius vocabat in judicium quæstores, ut pecuniarum hactenus insumptarum codicillos justos proferrent. Horum potentia superatus & civitate ejectus veniebat ad Regem Syriæ Antiochum, à quo bellum adversus Romanos parabatur atq; ille tunc Ephesi commorabatur.
A.M. 3761. Iustinus lib 31. Livius lib. 33. & seqq. Flor. l 2. cap. 8. Philippus verò societate cū Romanis pacta, Antiochum Magnū Syriæ Regem oppugnavit, à quo ereptas meliores Asiæ regiones dono accepit Eumenes Pergami Rex fidus in Romanorum castris miles. Et Philippo quidem proderat, servasse datam Romanis fidem, quam filius ejus Perseus nulla accepta injuria abjecit. Ergò Romani cum exercitu mittebant Æmylium Paulum Consulem, qui memorabili pugna victum Regem, & captivum per duxit Romā, ubi in carcere obiit. A.M. 3782. Livius l. 4. seqq.

XIX. Pœni capiebant lites cum *Masanissa* Numidiæ Rege, & verò in bellum protrusi maximam agri partem hosti ereptam non videbantur reddere velle, nisi compensarent sumptus. Romani pro socio Rege per legatos suos agebant Carthagine, unde Gisgo Amilcaris filius indignabundus concitabat populum, & de necandis Legatis perversè concionatus, nisi ultrò abiissent bellum tertium cum interitu patriæ movit. Veniebant Roma L. Marcius, & M. Manlius Consules, spe pacis injecta volebant sibi tradi classem, arma, copias. Pœni dabant ista quę præ manibus erant, arbitrati, eò facilius coalituram pacem. Deinceps jubebantur destructa urbe solum mutare, & remotissimo à littore maris loco novam condere. Negabant, se ità facturos, quandò si patria evertenda esset, illa potius hostium manibus dirueretur. Scipio Consul Africam petiit, locis omnibus primo adventu potitus, uno prælio adversus Hasdrubalem superior, obsedit Carthaginem, & flammis injectis evertit, postquam steterat à prima origine septingentis trigintà octo annis. Appianus, Epitoma Livii lib. 48. 49. A.M. 3804.

Iustinus lib. 34. Pausanias in Achaicis.

XX. Eodem tempore destruxerunt armis Collegium Achæorũ, quod Græcorum populi invicem constituerant, & Spartanis invitis obtrudere volebant. Critolaus princeps urebat agros Spartanorum, nec volebat domum abire, quamvis ità cuperent Romani, missis Legatis. Quin feròculus ille copreas subornabat, ut Legatos Corinthi præsentes contumeliis afficerent. Veniebat

Epitoma Livii lib. 51. 52.

Metellus cum exercitu, qui tempore illo Macedoniam curabat, & in Elide pugnabat adversus Critolaum, victor fugabat hostes, & Critolaus in fuga paludibus mersus obibat. Succedebat cum imperio Diæus, vir ingenii militaris & infidi. Hunc quoque Consul Lucius Mummius acie victum ut sibi necem consciscere tipse adigebat. Mummius expugnabat Corinthum, urbe direpta & exusta, quæ caput fœderis erat, Græcos ad summam paupertatem redigebat, viros occidebat, fœminas & pueros sub corona vendebat.

A.M. 3805 Duæ opulentæ civitates uno anno à Romanis eversæ sunt. Porrò in Hispania res turbabat *Viriatus*, prædonum ductor, sed qui populis facilè persuasit, ut libertatem præferendo exterorum servituti, armis sese tuerentur Lusitanorũ opibus sublevatus, bello tentabat præsidia Romanorum, Rutilium

Appianus in Hispanicis. Epit. Livii l. 53.

Consulem pugna superior occidebat, Vinnanum, Plaucium, Nigidium fugebat. Rursum à Fabio Serviliano Consule inter saltus & resqua deprehensus, ac clade magna affectus, desertus à suis, qui cum fortuna mutabant animos, de pace roganda nuncios mittebat Ditalconem & Minurum. Hos precio corrumpebat *Servilius Cepio* Consul, ut Principem noctu cæsum è medio tollerent. Perfidi illi facinus patrabant, & sublato hoste *Decius Iunius* Consul perdomabat armis Lusitaniam. Tantum quod Segedenses morosius obsisterent, nullas pacis leges accepturi. Ergò vi expugnata urbe eorum, incendio vastabantur, incolæ pulsi ad Numantinos confugiebant.

Florus l. 2. c. 17.

A.M. 3810.

XXI. *Numantini* exsulum causam apud Romanos agebant, reddi illis urbem agrosque petebant, sed repulsam passi, & hanc quidem belli causam justam esse arbitrati, invadebant præsidia Romanorum. *Mancinius* Consul signis collatis improsperè certabat pugnæ adversæ dedicionem funestam & turpe fœdus superaddebat. Numantini verò etjam contenti fœdere & armorum spoliis, cum ad internecionem sævire possent, Consulem totumque exercitum dimittebant. Senatus factam pacem, velut Reipublicæ ignominiosam repudiabat, Consulemque fœde-

Appianus l.d. Vellei. lib. 2.

A.M. 3813.

Florus lib. 2. cap. 18.

ris

ris autorem, manibus post tergum revinctum, armisque spoliatum per lictores ad Numantiæ portas deportatum, ab urbe sua relegabat. Ergò Numantini de bello gerendo solliciti fœdus inibant cũ Gallecis, adversus quos
A.M. 3814. *Decius Iunius* Hispanicæ militiæ
Epit. Livii lib. 56. peritus, difficili prælio certavit ac vicit, magno cum damno sociorum. Consul Scipio (qui Carthaginem everterat) exercitum colligebat, & conflictu superatos Numantinos intrà mœnia compellebat; vallo undique acto.
Epit Livii lib. 57. Durabat obsidio integro anno, mensibus tribus. Fame pressi tentabant eruptiones, ut vallo dejecto pellerent Romanos, verum hi fortiter rejectis illis, cum nec fugere nec vincere liceret, despe-
A.M. 3817. ratis ubique rebus, Theagenis principis consilio obsecuti, viri mutuis cædibus perierunt, mulieres & infantes incendio consumpti, in cineribus urbis sepulchra sua habuerunt.

Florus l. 3. cap. 19. XXII. Siciliam pervagabantur servi, à modicis initiis eò virium provecti, ut justo bello edomandi essent. Servorum ductor erat *Eunus* Syrus, ac persuaserat ille cœteris, quod cœlesti numine agitatus haberet promissum de bono rerum successu, adeoq; servi impatientes laborum, effractis ergastulis, ad eum concursu facto, terribiles erant dominis suis. Centum mille viri divisis turmis, quicquid vicorum agrorumque erat, devastabant, neque illos admodum verebantur Romani, quod militiæ rudes omnes, pauci etiam onerati armis essent. Verum audacia crevit eundo, nec poterant impetum eorum sustinere prætores, Manilius, Lentulus, Hipsæus, fusi & castris exuti. Ergò Consulum ductu res geri cepit. Fulvius Flaccus, Lucius Piso, Publius Rutilius ordine tribus præliis congressi victos eos, obsessos, distentos fame & morbis enervatos coegerunt, ut multi cædibus mutuis perirent, alii in cruces agerentur, plurimi in Italiam transirent.

XXIII. *Attalus* Rex Asiæ defunctus vita Romano populo donaverat regnum suum, legata quædam servaverat *Aristonico* notho, quibus non contentus ille, regnum apprehendebat, & militibus collectis Romanos prohibere volebat, ne ditissimam hereditatem adirent, sed nec Romani injustum esse censebant, quandò regnum oblatum acciperent, in quo exornando olim ipsi multum operæ liberaliter impenderant, Syris eripiendo regiones opulentas easque Eumeni dando, socio suo, qui populis illis imperaverat. Mittebant Consulem *Licinium Crassum*, ut pelleret invasorem. Consul prædæ quam belli studiosior, velitatione superatus & captus in vin- *Iustinus lib. 36. Epit. Livii lib. 59. Florus l. 2. cap. 2.*

cula ducebatur, non multò post ab irato milite occisus quem consulari baculo percusserat.
A.M. 3821. Sparsas legiones colligebat *Marcus Perpenna*, & prælio victum Aristonicum in urbe Stratonica, quò confugerat, obsidebat. Deditus & Romam perductus in carcere strangulabatur.

Vellejus lib.2. XXIV. Opes Attali ingentes in ærarium illatæ sunt, unde exemptas eas cupiebat, & proletariis civibus, quorum ingens multitudo Romæ erat, omnium rerũ egenis, donari petebat *Tiberius Gracchus*, ferebat insuper leges agrarias, ut illi qui aurum non vellent, desolatos in Hispania agros, ubi Numantia steterat, acciperent. Patricii negabant hac munificentia opus esse, cumque Gracchus pertinax consilii ad turbas dandas occasionem aucuparetur, decreto Senatus occidebatur. *Plutarchus in Gracchis, Florus lib. 3.c. 4.15. Appianus lib.1 bell. civil*

Salustius. Florus l.3. cap.1. XXV. *Masanissa* Rex Numidiæ successorem habuerat *Micipsam* filium, qui post eversam Carthaginem occupaverat agros vicinos, unde accessio regni luculenta facta est, itaque moriens divisis provinciis inter filios suos *Adherbalem & Hiempsalem*, Reges ambos pronunciabat, Regulum adjungebat *Iugurtham*, suum è fratre nepotem, sed nothum, ut eò melior concordia esset, ac Jugurtha imprimis gratus pro liberalibus impensis à patruo suo factis, Regibus cognatis obsequii gratiam præstaret. Verum immemor ille benificii accepti, universo regno imminebat, proinde sicarios immittebat Hiempsali, armis pellebat Adherbalem. Is profectus Romam de ferenda ope compellabat Senatum, & obtinebat vię comitem, Lucium Opimium qui coram de lite cognoscat, & componat pro arbitrio. Hunc auro dato Jugurtha impulit, ut eum cędis absolveret, & patrimonii ab Hiempsale relicti portionem ditionibus ejus adderet. Nec repugnabat Adherbal, tantum ut Jugurthæ cupiditatem expleret. Attamen infidus competitor, ut solus omnia possideret, cum exercitu invadebat Numidiam, & Cirtha potitus interficiebat Adherbalem. Ubi hoc Romæ auditum est, cum exercitu adveniebant *Calphurnius Bestia* & *Marcus Scaurus*, potuissetque capi Jugurtha, verum hic solitis artibus usus, auro conciliabat sibi utrumq; ut discederent è regno velut re benè gesta Quamobrẽ Senatus-consulto evocabatur, ut causam diceret Romæ, neq; veritus est venire, confisus nimium amicis suis, quos in urbe paraverat muneribus aut datis aut promissis. Senatus accuratè inquirendo in Regis facinora, qui duos Reges neci dederat, regna horum corripuerat, Legatos corruperat, factiones in urbe concitaverat

A.M. 3835.

A.M. 3839.

taverat, de vinculis injiciendis haut obscurè pronunciabat. Fugiebat ille clanculum, & reversus in Africam, bello petebatur à *Metello* Consule. Præliis multis fractus & regno pulsus abibat in Mauritaniam, ubi præerat Rex *Bocchus* socer ejus. Demum verò *Cajus Marius* Consul bellum confecit, per Quæstorem suum Lucium Syllam nuncio ad Bocchum Regem perlato, ut Jugurtham dederet, ac Bocchus, ne alienæ cladis accessio fieret, paruit. Jugurtha captivus Romam adductus, in carcere per lictores injecto laqueo periit.

A.M. 3842.

A.M. 3845.

Appianus Vellejus lib. 2.

XXVI. Dum Numidia bello premitur, Germaniæ populi multi & imprimis Balthicarum regionum indigenæ, exercitum validum educebant, sterilitate natalis soli, & periculosis eluvionibus, ut ajebant, impulsi ad emigrandum. De Gallia, Italia, Hispania, regionibus fertilissimis frequenti sermone jactabant, minus eò considerantes, quod ibidem locorum plurimi incolæ essent, ut hi colendis agris sufficerent nec peregrinos accolas cupere, proinde Romam nunciis dimissis, rogabant ut vellent agros largiri, quos Coloniæ jure habitare possent. Responsum est, subditos Imperii Romani fines angustos habitare, & de Legibus agrariis non semel atroces lites agitavisse, unde ergò suppeterent immensi agri pro millibus multis? Repulsi igitur, quod precibus impetrare nequiverant, armis quærebant. *Helvetii* pars Svevorum, à quibus lingua & moribus parum discrepabant, pergebant in Galliam, occurrebant ex itinere Cassius Longinus, Lucius Piso, Aurelius Scaurus, & infeliciter pugnabant omnes. Maximam cladem sustinebat Servilius Cæpio, qui prælio congressus ad Rhodanum, octogintà mille viros amittebat. Reversus in urbem, & convictus quod culpa sua procuravisset hosti victoriam, à Norbano Tribuno plebis rogatio perlata est de Cæpione in vincula ducendo & publicandis bonis ejus. Erat enim insigniter dives, postquam ante annos aliquot Tholosanum delubrum expilaverat, ubi reposita erat præda è Delphico templo ablata tunc temporis, cum Galli devastabant Græciam.

Florus l. 3. cap. 3. Epitoma Livii lib. 67. 68.

XXVII. Tanta Helvetiorum & Cimbrorum in victoria obtinenda virtus erat, in persequenda negligentiores, Galliæ agros insidendo & spolia legendo, omnem rei benè gerendæ occasionem perdiderunt. Marius Consul reparabat copias, hostes non ausus provocare hactenus, quando castris junctis Alpium claustra asservabant. Postquã verò divisis viribus alii in campestrẽ Galliã contenderent sub ductu Helvetiorum alii cum Cimbris ad Noricas Alpes conversi Italiam peterent, animũ

Plutarchus in Mario.

adde-

addebant Mario, ut castris depositis ad Aquas Sextias fortiter sese hosti objiceret. Pugnatum est acriter, victor Marius centũ quinquagintà mille viros partim occidit, partim fugavit, Teutobocchum Regem cepit, insolitæ proceritatis virum. Quicunque de Helvetiorum exercitu fuga evadere poterant, ad Cimbros profecti, nunciata clade, haut tamen eis ademerunt animos, quin media hyeme superatis Alpium jugis, victo Quinto Catulo, descenderent in Italiam, & Romæ obsidionem minarentur. Ad Vercellas obviam cum exercitu valido procedebat Marius, accitoque Q. Catulo, ut melioris pugnæ experimento solaretur acceptam pronuper calamitatem, hostem provocabat die sereno & ob æstum intensum non valde grato, eoque victo, liberabat Italiam. Centum sexagintà mille capti. Uxores eorum defensæ tantisper carragine, aut mutuis vulneribus conciderunt, aut suspensæ è curribus perierunt, ne vivæ in hostium manus devenirent.

A.M. 1848.

XXVIII. Gentes Italicę, Marsi, Peligni, Vestini, Marrucini, Umbri, Picentes, Lucani precibus in urbem perlatis, rogabant ut obtinerent jus civitatis, pro qua conservanda & augenda vitam opesque suas impendissent. Spem fecerant Tribuni, *Marcus Fulvius* & *Livius Drusus*, fore ut precibus eorum deferretur, verum Senatus recusavit, Philippo Consule verba faciente. Hunc Drusus obtorto collo è tribunali abstraxit, ipse vicissim cum è Senatu domum sese reciperet, per turbam culrello percussus est, ut intrà paucas horas obiret. Itaque conjurabant Popedio Duce, & bellum adversus Romanos concitabant, occisis Legatis eorum Servio & Fontejo, qui apud Asculanos de componendo bello agebant. Prælio non uno victi Romani, Consulem Rutilium in acie cæsum amiserunt. Proinde singuli Duces singulas gentes aggressi, distraxerunt rebellium vires & præsidia nudaverunt. *Marius* devicit Marsos, *Lucius Cæsar* Picentes, *Cato* Umbros *Gabinius* Lucanos, *Sylla* denique profligavit Samnites. Asculum commune gentium sociarum receptaculum injectis ignibus, civibus occisis, bonis direptis evertit *Pompejus*, ut tot exercituum Manib. litaretur. Romani victis afflictisq; civitatem dare maluerunt, quam integris, itaq; decretũ fecerũt Pompejus, Marius, Sylla, ut jus civitatis haberent, quicunque arma vel non ceperant vel deposuerant maturius.

Appianus lib. 1. bellor. civi. Velleius lib. 2.

A.M. 3860.

Florus c. 18. Epitoma Livii l. 71. & seqq.

XXIX Ejus belli occasione usus *Mithridates* Rex Ponti, opibus & armis validus, Asiam minorem & Græciam totam omni bellorum clade evastabat, mare navibus instructis percursabat, Rhodũ obsidebat, Nicomedem Bithy-

Iustinus lib. 38. Appianus Epitoma Livii lib. 76. 7.

Bithyniæ & Ariobarsanẽ Cappadociæ Reges profligabat, Romanorũ præsidia ejiciebat. Eum nuper convenerat Marius ab urbe sua profectus, ut Cappadociæ res aliquas ordinaret, suaseratque ut aut majorem Romana potentiam strueret, aut tacitus imperata faceret. Nec satis Regi erat, cum armatis fortiter agere, porro crudeliter egit adversus inermes, literisque missis per Asiam jussit die uno, quem præfinivérat, Romanæ gentis ac societatis quoscunque negociatores, ubi ubi degerent, occidere, bona publicare, cadavera projicere. Laniena ista perempti octoginta mille viri, necessitatem injiciebant Romanis, ut Regem barbaræ atrocitatis reum justo bello invaderent. Ducem exercitus votis contrariis designabant, populus *Marium* petebat, *Syllam* præferebat Senatus, qui tunc exercitum ordinabat in Nolæ agris, ubi Samnitum rebellium quædam reliquiæ in armis persistebant. Et prævaluit Senatus, ductum suscepit Sylla, quod Marium adeo commovit, ut Sulpicii Tribuni ope abusus, maximam seditionem excitaret, fugatis ab urbe vel interfectis fautoribus Syllæ. Hic nondum adiverat Asiam, & omisso tantisper Rege, cui jam parebant omnia, ut superiorum temporum successibus nihil videretur armis adjicere posse, regreditur versus urbem, eamq; intrat, effracta porta Esquilina, ubi lapidibus à populo urgebatur, & vix compresso tumultu, vicinas domos incendi jussit, ne quis eum ulterius persequeretur, urbe potitus Marium & Sulpicium, nominibus ad ferales tabulas adscriptis, damnabat. Sulpicium in fuga obtruncabant milites à servo proditum, & huic quidem proditionis mercedem dabat Sylla, pileum libertatis signum, verum de saxo Tarpejo præcipitem deinceps agebat ob non servatam domino fidem. Marius sexto Consulatu defunctus, annis septuaginta natus, Pater patriæ toties populi vocibus, ob devictos Cimbros, proclamatus, extorris ab urbe, virtute sua conservata, ne periret ab iis, qui eum in fuga persequebantur, procurrebat in paludes Minturnæ vicinas, limo immersus oculis tantummodo & naso eminentib9, agnitus tamen perducebatur in carcerem, ac servo publico, ortu Cimbro, quẽ olim captivum habuerat, ad pœnam tradebatur. Servus carcerem ingressus, ut Marium gladio feriret, flammantibus oculis ejus perdẽsas tenebras conterrit9, insimul vocibus geniorum, *tu improbe necabis Marium!* in fugam conversus, vivum illum dimisit.

Florus l. 3. cap. 5.

Florus l. 3. cap. 2.

Vellejus lib. 2.

A.M. 3862.

XXX. Interim Mithridates celeri ductu omnes Ægei maris Insulas subjugaverat, Pyræo naves subduxerat, ut Græciæ captæ sese

immunire posset Sylla Consulem renunciabat Cinnam, inimicum Marii, uti hactenus præ se ferebat, verum post Syllæ abitum reconciliatus exuli, nihil non conabatur, ut Mariũ reduceret. Regis exercitum in Græcia regebat Archelaus, quem cruento prælio victũ coegit Sylla, ut deserta Græcia profugeret in Colchidem, ubi Rex colligendæ pecuniæ studiosius incumbebat. Phoceos libertate donatos agris dudũ amissis,
A.M. postquã Philippus Macedo eos
3864. expulerat, restituit victor. Alter copiarũ Ponticarũ præfectus *Dorilaus* ad Orchomenũ cæsus, Regis successũ prorsus afflixit, neq; dubitabat Rex pacem rogare, à Parthis bellũ exoriturũ veritus, qui per nuncios amicitiã Romanorum expetebant. Pacem impetrabat ab arrogante victore, & lex una dicebatur, ne extra regnum patrium efferret arma.

Vell. lib. 2. Epitoma Livii lib. 78. 79. 80. 81. seq.

XXXI. Sylla gestiebat redire in Italiam, ubi Cinna turbas dabat referendo ad populũ de restituendis quos Senatus hostes, autore Sylla judicaverat. Eũ urbe pulsũ alter Consul *Octavius* persequebatur armis, & vero Cinnam juvabant gentes Italicæ, quibus per omnes Romanas tribus divisis fretus ille Marium è desertis Pœnorũ agris, quos hactenus una cũ filio suo miserrimus habitaverat, evocabat, aderantq; illã clade & exsilio suo majores, inq; spẽ magnam erigebantur, fore ut Roma effracta, Dominiũ urbis corripere possent. Pergebant cum exercitu, & prælio dubio sub ipsis mœnibus confligebant adversus Pompejum, qui ita se dubium, mediumq; partibus præbebat, ut temporibus insidiaretur. Et quia non ignave tantũ sed & perfide multa in urbe gerebantur, Sertorio autore intrabant. Mox sui quisq; periculi etiam merces factus, nec quicquã innocens habitus, qui locuples esset. Octavius capite mulctabatur, Syllæ dom9 solo æquabatur, uxor & filii ejus exilio damnabantur. Nec diu supervixit Marius, vir in bello hostib9, in ocio civibus infestissimus, qui armatus in meliori ætate patriam servaverat cæsis hostibus, senex patriã evertebat, civib9 plurimis interfect s. Obiit errans mente, successorẽ nactus *Papiriũ Carbonem*, absq; comitiorum suffragiis renunciatum Consulẽ, quod Senatus iniquiori animo tulit, adeoq; Syllæ adventum omnibus modis promovendo, à Cinna dissensum testabantur. Hic tamẽ animum capiebat per mare navigandi cum exercitu suo, ut Syllæ aditum intercluderet. Dum moliebatur, nec tamẽ placeret omnibus, conjurabant milites & apud Anconam eum lapidibus obruebant, Carbo in gratiam Senatus hoc egit, ut vertente anno Consulatum sponte deponeret. Quẽ deinceps gesserunt *Cornelius Scipio & Norbanus Flaccus* popula- A.M.
ris factionis, uti Marius & Cin- 3867.

na fuerant. Hi cum exercitu ducentorum millium proficiscebantur Brundusium, aderatque una Sertorius vir præstans, qui suadebat, ut Syllam statim invaderent, lassas ab itineris molestia copias habentem, verum cunctati illi demum etiam facti discordes, permoverunt Syllam, ut castra eorum ad Capuam oppugnaret, Scipio deditioné fecit, exilioque affectus Massiliæ obiit, Norbanꝰ pugnavit, sed victꝰ profugit Rhodũ & gladio incubuit.

XXXII. Reliquiæ victarum partium excurrebant Romam, Consulesque designabant Cajum Marium juniorem & Carbonem. Et Marius quidem animo patri non successu par, nobiles viros multos, quos Syllæ favere suspicio erat, interficiebat, porro eductis copiis ad Sacrum portum in agro Romano victus, milites omnes spemque consilium & auxilium omne perdebat. Victoriam persequendo Sylla, obsidebat Præneste, oppidum munitum. Quod occupaverat Marius, & per occultos nuncios auxilio vocabat Samnitium Regulum, *Pontium Telesinum*. Accelerabat ille iter, & cum Sylla congressus initio victor profligabat Romanos, sed repetito prælio victus & in acie peremptus, ad ipsas urbis portas occubuit, amicique res admodum afflixit, qui Præneste relicturus viam per cuniculos tentabat, repulsus ab hoste, & superbi victoris aspectum nõ ferens, domum rediit servoq; imperavit, ut gladio peremptũ dominũ tantis malis eriperet. Prænestini à *Publio Chethego* extra oppidũ educti occidebantur omnes cadaveribus abjectis, duodecim mille homines, quod Mario dedissent receptũ. Carbo evasit in Siciliã, ubi eum comprehensum Pompejus, industrius Syllæ assectator, capite damnavit.

Epitoma Livii l. 86. 87. 88.

A.M. 3568.

XXXIII. Sylla cognomen Felicis assumsit, quod quidẽ justissime usurpavisset, si eundẽ vincendi & vivendi finem habuisset. Victor crudelis ingressꝰ urbẽ, laniena cepta nobilissimos quosvis trucidavit, veluti qui Mario favissent, plurimis insontibus citra discrimẽ occisis, uti solet fieri quãdo accusatio preciũ habet, viris, fœminis, pueris. Ut tandẽ exclamaret populus, *cũ quibus deinceps victuri sumus, si in bello armati, in pace inermes occiduntur?* Centũ mille cives sociosque populi Romani necavit, potiorũ nominibus in ferales tabulas relatis ut tãti facinoris memoria ad posteros exstaret. Mariũ seniorẽ tumulo refosso lacerari in frusta & exuri curavit, abjectis in fluentũ cineribus, ipse vero primus è Patriciis Corneliis igni cremari voluit post obitum suũ, ne ab alio exspectaret, alteri quod fecerat. Dictaturam gessit annis tribus, & Tribunos plebis omni potestate exuit. Proscripsit Sertorium, qui Hispaniam regebat consilio &

Appianus l. de bell. civili.

Epitoma Livii lib. 89. 90.

periculo suo, Domitium ejus æqualem in Africa potentem ductu Pompeii evertit. Metu oppressos cunctos distinuit hactenus, ne actis ejus rescindendis admoverent manus, & privatam vitam denique amplexus, Puteolis verminante corpore decessit.

A.M. 3872.

Velleius lib. 2. Plutarchus in Sertorio. Appianus de bello Hispanico.

XXXIV. *Sertorius* commovebat vicinos populos, ut Romanorũ præsidia invaderent. Eum Gallia dejectum, ubi auxilia quærebat, Pompeius magna cum industria persequebatur, verum major fides erat apud Hispanos, à quibus non uno prælio victus Pompeius, in castra accersivit Metellum. Par ambobus Sertorius pertulit obsidionem in urbe Calagurio, non levioribus suis, quàm Romanorum damnis. Hi tamen priores excesserunt loco, & Metellus quidem Bæticam, Pompeius verò Galliam petiit. Cumq; armis superari haut posset, amicorum suorum dolo obtruncabatur inter epulas. Latronum præcipuus *Marcus Perpenna* velitatione captus à Pompeio & in crucem actus, perfidiæ mercedem ab hoste accepit.

A.M. 3879.

Florus lib. 3 cap. 22.

XXXV. Eum sibi commilitonem optaverat *Mithridates* Rex, novo bello adoriturus Romanos, quos præterea Lanistæ & Pyratæ vexabant. Lanistarum summus *Spartacus* Capua egressus cum manipularibus suis prædas agebat in Campania, servorumq; confluxu, qui dura servitia apud heros suos pati nolebant auctus, exercitum validum comparabat, in Vesuvio monte castra locabat. Consules *Gellius* & *Lentulus* pugnando infeliciter, armis opibusq; egenam turbam instruxerunt, ut illi de Roma oppugnãda consultarent. Dum in castris non satis munitis agebant, & ludicris conflictibus more solito ocium discutiebant, eminus obsidebat eos *Licinius Crassus* Prætor, ut rerum omnium penuria laborarent. Egressos tumultuariis pugnis adeò atterebat, ut Spartaco cæso, armis abjectis, fugerent in Brutios, navesque peterent, quibus in Oceanum provecti, miscerent sese piratis. Evaserunt pauci, quia naves in portubus raræ erant, plurimi gladiis perempti sunt.

Epitoma Livii lib. 95. 96. 97

Florus lib. 3 cap. 20. Appianus lib. 1 de bello civili.

A.M. 3880.

XXXVI. Piratæ è Cilicia & Pamphylia, valde commodis portubus, profecti à Rege acceperant naves, milites, arma, lucri participe. Maria omnia pervagati adusq; fretum Gaditanum, intercipiebant commercia, adjungebant se illis Cretes ab antiquo fures. Debellavit eos Pompeius, vitam opesq, donavit suppliciter rogantibus, naves eripuit, & in mediterraneis habitare jussit, ubi agros colerent. Metellus prætor Cretam subegit, liberæque ad id tempus Insulæ pro Minois legibus Romanas imposuit. Rex belli causam obtendebat, quod Nicomedes

Appianus, Epitoma Livii lib. 98 99 100.

A.M. 3884.

A.M. 3888.

Florus lib. 3 cap. 7.

medes Bithyniæ Rex moriẽs populo Romano legaverat regnum testamento, secus quàm olim cõvenerat postquam belli jure ipse occupaverat illud, & pacis legib9 adact9 restituerat vero Domino. Ergò post obitum Regis, quia hæredes non habebat, regnum ad se pertinere Mithridates ratus, præsidia urbibus imponebat, Tigrani genero suo donabat Cappadociã & Paphlagoniam eo plures hostes conciturus Romanis. Consul Aurelius Cotta & Proconsul Lucullus profecti in Asiam, terra mariq; adversus Regem pugnabant. Ac Cotta quidem victus à Rege ad Chalcedonẽ, classe amissa fugit. Rex copias suas admovebat Cizyco totius Asiæ propugnaculo, quæ urbs remorata est victorem, donec Lucullus accederet. Rex castris sublatis parabat abitum, & Byzantii stativa deponebat, sed Lucullus propero ductu assecutus eum, decem millib9 occisis, Bithyniam recuperabat. Denuo victor ad Granicum, & Asia minori, quæ Regi naves aurumq; copiose suppeditabat, dejectum hostem cogebat fugere in Ciliciam. Ibi pestis depopulabat exercitum, nec poterat in tempore succurrere classis valida è Ponto, impedita procellis, demũ quoque eversa, viginti millibus viris demersis, centum viginti navib9 fractis. Rex tanto damno affect9, & patrio regno profugus Lucullum à tergo sequentem habebat.

Plutarchus in Lucullo.

Hujus copiæ vicinorum omniũ liberali ope sustentatæ, felices Orientis agros emetiebantur Iberi, Albani, Caspii, miserati fortunam Regis, semper animo magni, legiones aliquas tradebant, quas ad Sinopen profligabat Lucullus, & laureatas literas, uti mos erat victoribus, Romam ad Senatum mittebat. Consules tunc tẽporis erãt Marcus Crassus & Cn. Pompeius, ille divitiis, hic etiam honoribus insolens, uterque popularis auræ sectator, reddebat Tribunis potestatem à Sylla enervatam. Rex generum habebat Tigranẽ Armeniæ & Syriæ Regem, qui veritus amittere Sinopen Regiam, ubi soceri opes omnes reconditæ erant, cum magno exercitu properabat, ut obsidionem averteret. Verũ adveniebat ille re peracta, Sinopen expugnabat Lucullus, præda magna potitus, & Tigranes recẽti præda onustos aggressus, cladem memorabilem accepit, quæ omnem Regis hujus superiorum temporum fortunam in Parthia & Syria prosperrimã, uno momento evertit. Lucullus deditione cepit Tigranocertã amplissimam urbem, quam Rex felicitatis suæ hactenus integræ monumentum nuper condiderat, deductis & Græcanicarum urbium in Syria & Paphlagonia dirutarum incolis.

XXXVII. Hic Lucullum con- *Appianus.*

venit Antiochus, Eusebis Regis Syriæ filius, exsul in tanta potentia Armeniorum petiitque ut beneficiario jure sibi restitueretur Syria, quandoquidem Tigranes prorogaturus bellum copias undique deduxerat. Nondum tamen Lucullo persuasit, qui propioribus intentus, Regum fugientium vestigiis inhærebat. Mithridates post occisas domi uxores & sorores suas, ne in potestatem hostium venirent, cum duabus legionibus equitum abibat in Tauricam, ignarus quod filius suus Machares ejus regionis præfectus, crudelitatem patris Regis veritus, Luculli amicitiam rogaverat. Proinde rejectus in vicinam Colchidem evagabatur, corrogatis unde posset militibus. Tigranes petiit Armeniam majorem, ac Lucullo permisit in vicinis oppidis hyberna metari. Vere ineunte equidem Lucullus copias ultrà ducere gestiebat, sed quo minus conficeret bellum, militum seditiones obstiterunt, nolentium, ut ajebant in remotissimas terras abduci. Res tota ex composito acta est, authoribus illis qui Lucullo invidebant tantam gloriam, ut Rector unius exercitus, duobus Regibus fortitudine par, fortuna superior, Orientis devicti famam propagaret ad posteros. Ergo Lucul- *Diodorus Siculus lib. 36. 37.* lo missio data est, & ductus militaris oblatus Pompeio, qui novis legionibus conscribendis aliquid temporis impendendo, Mithridatis res adeo stabilivit, ut ille in istis motibus hostium præsidia omnia Ponto ejiceret, Macharem filium Romanorum socium capite mulctaret, suffecto in locum ejus filio altero Pharnace, perinde læsæ erga patrem fidei reum futurum, ut appareat Regi magno in maxima fortuna non minimam successus impediti causam fuisse, domesticorum venalem fidem. Ne Tigranes idem faceret in Armenia, filii rebellio impedivit, patrem belli mole oppressum parte regni spoliare volentis, quamobrem Parthorum copias educebat. Dum filius exterorum ope subnixus pugnat, vincit pater fido auxilio subditorum refectus, & Pompeius Manilia lege constitutus exercituum Imperator, à Julio Cæsare, & M. Tullio Cicerone commendatus in pleno Senatu, cum magna potestate veniebat in Asiã, Parthorum Regi Phrahati offerebat fœdus, & ponte navibus facto superabat Euphratem, cumque Mithridate præliatus victoriam obtinebat. Profugit ille denuo in Iberiam, solitum rebus desperatis asylum, & secutus Pompeius laborioso itinere per saltus & paludes, victoriis perpetuis domuit gentes infestas ad mare Caspium vicis innumeris habitantes.

XXXVIII.

XXXVIII. Latibulis illis pulsus Mithridates adibat Tigranē, qui Regia sua Artaxata profugus, omnia tradebat Pompeio, neque poterat socerum vel armis vel pace liberare ab hostibus. Ipse enim à Romanis insimul ac Parthis oppressus, veniebat supplex in castra Pompeii, rogans pacem. Hujus authoritas magni fuit apud Parthos, ut jubente ipso Regis filium vinculis innexum traderent, & Tigrani pax data est hac lege, ut Mithridatem desereret, ut contentus Armenia majore & Mesopotamia populo Romano Ciliciam, Syriam, Phœniciam traderet, ut filio præteritorum veniam impertiret, eique minorem Armeniam Principis titulo regendam permitteret, velut Romani populi socio Assensit Rex, & Pompeius condidit urbem Nicopolin, flexoque agmine ad Euphratis ripas, in provinciæ formam redegit Syriam, Gordiæos & Sophenos populos donavit Ariobarsani Cappadociæ Regi, Galatiam Dejotaro, Paphlagoniam Attalo, Colchos Aristarcho, omnesque illos Romani populi beneficiarios esse jussit. Antiochus hæres Syriæ, uti nuper Lucullum, ita nunc Pompeium multis precibus compellabat, exciditque postulatis suis, quia stolidum esset, alienæ victoriæ fructum arripiendo, commoda intervertere iis quorum interesset, pro armorum usura percipere emolumentum. Insuper Regulum haut sufficere tuendæ Syriæ, cujus majores opulentissimam regionem civilibus bellis exhausissent, neque defuturos imposterum Arabiæ & Judææ Principes rebus suis, turbando Syriam, quando illa Regibus denuò committeretur. *Iustinus lib 40.*

XXXIX. Ne tamen cum inopia conflictando ad turbas dandas impelleretur, Comagenam obtinebat, Romani populi socius dictus. Mithridates vero omni auxilio spoliatus in Pontum revertebatur, opibus virisq; mulctatā. Attamē volebat incolas porro belli molestiis premere, jussos ut Regē per vias horridas in Italiam vellent sequi & hostes domi suæ invadere. Proceres recusabant, quibus supplicium minitando, animos omnium irritabat, ut cū filio ejus *Pharnace* Tauricanorū Principe conjurarent, de Rege in vincula dando. Proinde Rex in fugam versus, ne caperetur, sed in itinere præpeditus, castellum vicinum subibat, oppugnatusq; filii armis, venenū bibebat, nec tamē mori poterat, quia corpus suum à teneris adversus toxica muniverat antidotis. Itaq; gladio incumbebat, pavidā manū adjuvāte Gallo milite. Pompeius cōperta Regis nece, & pace facta cū Pharnace, milites evocabat Ponto, rebusque in Syria constitutis, Damasco *Appianus*

ejicie-

ejiciebat Arabes, Palæſtinam ingreſſus, expugnabat Hieroſolymas.
A.M. 3889. Demum in urbem reverſus triumphum unum ſaltem de tot bellis, ſumma animi moderatione uſus agebat, Magni cognomine inſuper donatus, templum Minervæ condebat è ſpoliis devictarum gentium.

XL. Exercitum dimiſerat Brunduſii, ne civibus terrori magis quam venerationi eſſet. Vagabantur per urbem quæſtiones in capita eorum, Julio Cæſare authore, qui Syllæ crudelitatem juverant olim, & delatorum nomine pecuniam ex ærario acceperant.
Saluſtius, Plutarchus in Cicerone Florus l. 4. cap. 1. Appianus lib. 2. belli civilis Hos inter *Catilina* Africæ Proconſul reus factus, pecunia corrupit judicium, hoc tempore damnatorum numero adſcriptus, mox tamen auſus Conſulatum petere, ſed tulit repulſam, Cicerone ſuadente, qui vir nobiliſſimæ novitatis & ob ingenii præſtantiam dicendi artifex in curia multum poterat faventiſſimo populo. Catilina ultionis ſtudio incenſus agitabat conſilia de evertenda urbe, ærario diripiendo, Senatu occidendo, Cicerone per ſicarios tollendo. Ergo adjungebat ſibi Q. Curium hominem ob ſua ſcelera egenum & à Senatu per Cenſores motum, Lentulum & Cethegum prætores, ac juvenum ferocium catervam, qui hauſto de patera ſanguine pueri necati fidem mutuam jurarunt. Fulvia ſcortum reſcivit negotium ex Curio, & Ciceroni indicavit, à quo perlata res ad Senatum, & Senatus decretum fecit, *viderent Conſules ne Reſpublica quid detrimenti caperet.* Diſpoſitis in urbe præſidiis, ne quid mali noctu eveniret, adhibitaque ſevera inquiſitione ſontes capiebantur, Lentulus imprimis, qui tela, faces, arma in ædibus plurimis depoſita magno cum ſtudio tuebatur, donec Catilina adveniret cum exercitu majori. Hic in Etruriam diſceſſerat, ubi Manlius Legatus ejus diribitorio ad Feſulas indicto, manum mercenariam colligebat. Interim Lentulus & ſocii ejus in carcerem detruſi, per carnifices ſtrangulabantur, autore in ſenatu Catone. At Catilina infeſtis ſignis patriam petens, ab Antonii Proconſulis Legato Petreio invadebatur prælio apud Piſtoriam urbem, & in acie cæſus quem ſpiritum ſupplicio debuerat, prælio improſpero dabat turbisq; funeſtis finē imponebat.

CAPUT III.

De rebus geſtis Triumvirorum.

I. *POmpeius* rebus omnibus feliciter confectis, æmulos nactus eſt Catonem & Lucullum, *Appianus l. d. Velleius lib. 2.* viros magnæ in Republica au-

thori-

thoritatis & priscæ integritatis,
ipse vero etiam cum *Iulio Cæsare*
& *Marco Crasso* arctissimum fœ-
dus ineundo atque plebi assen-
tando, Senatum non levi terro-
re perculsum movebat, ut quo-
cunque modo Triumviros illos
in mutua odia propellere cona-
rentur. Cæsar post Lusitanos de-
victos gerebat Consulatum, ut-
que populo placeret, legem fere-
bat de agris publicis in usum ci-
vium egenorum donandis. Ca-
to integræ virtutis Senator, qui
nuper etiam affinitatem Pom-
peii, filiam ejus ambientis, repu-
diaverat, & Consul alter Marcus
Bibulus repugnabant admodum
A.M sed prævalebat Cæsar, hoc vicis-
3891. sim à populo consecutus benefi-
cium, ut non rogato prius Sena-
tu Galliam Proconsul admini-
straret quinquennio. Cicero
ægrè ferebat, Cæsaris potentiam
populi studio quotidiè augeri, *in
quo multos Marios latere*, dixerat
olim Sylla. Huic Cæsar iræ suæ
dominus palam exhibebat hono-
res, clanculum verò opponebat
Clodium Tribunum plebis, qui
A.M. veteres offensas coram populo
3892. exaggerans, decreto facto eum
pellebat ex urbe domumque ejus
solo æquabat, ara Libertatis in
ruderibus posita. Vivebat exsul in
Macedonia, sed non longè post
curante Pompeio, patriæ, Digni-
tati, bonisq; suis omnibus à Sena-
tu restitutus, Cæsari ex animo
nunquam remisit. Hic in Gallia
feliciter dimicabat adversus mul- *Cæsar lib.1*
tiplices hostes. Primo quidem
cum Helvetiis Rheni accolis, qui
ponte super Rhodanum constra-
to provinciam ingrediebantur,
octoginta mille viri, ut habita-
rent fertilissimos agros. Rescisso
ponte, difficili pugna in castris
eos aggrediebatur Cæsar, & qua-
draginta millibus occisis, reli-
quos in fugam conjecit.

II. Germaniæ Rex *Ariovistus* *Florus l.3.*
trajecto Rheno invaserat Bur *cap.10.*
gundiam, Heduis ejectis, qui Ro-
mæ per Legatos suos obtinebant
societatem, & Julio negocium
datum, componendi lites, qua
posset via. Ergo Julius ad causam
dicendam evocabat Regem, sed
Rex oppido negabat, *sibi opus esse
Cæsare: si Cæsar egeat sui, fas esse ut
se, Regem, adeat: nec velle agros bel-
lo acquisitos reddere, quandoquidem
Romani Alpium incolæ non debeant
Germaniæ rebus sese interponere.*
Julius responso illo perculsus ad
capienda arma spectabat, neque
Regis alia sententia erat, qui cum
maximis copiis Burgundiam ver-
sus tendebat. Et Julius quidem
studebat, ut pares numero copias
Regi opponeret, tanto certiori
eventu pugnaturus, quod aliàs
hostium vires non frustrà vere-
retur. Germani populationibus
dediti, catervatim exibant è ca-
stris, seducti vero ab Alrunis &
sceleratis Planetariis nolebant

justo prælio decernere, antequam novilunium esset. Eo percepto Julius Vesontione profectus cum legionibus firmis, improvisò noctu superveniebat, & Regem superstitiosis divinationibus confisum toto ad Rhenum tractu profligabat. Rex saucius naviculam ad Rhenum nactus, fugiebat Basileam, brevi post è vulnerum dolore mortuus.

Cæsar l. 2. III. Belgæ vicinorum calamitatibus admoniti, pro libertate sua tuenda, cum exercitu magno in Galliam irrumpebant, castris positis in Rhemorum agris. Præda onustos aggrediebatur Julius, & vincebat, Flandrorum imprimis captivorum ingens turba fuit, quos pro mancipiis vendidit. *Cæsar l. 3.* His rebus peractis in Italiam proficiscebatur, Galbamque Tribunum suum mittebat cum parte copiarum. ut Sedunos Alpium juga incolentes perdomaret. Res successit, & Julius commoratus Lucæ invitabat eò Pompeium & Crassum, denuo amicitiam stabilem pactus cum utroque rerum in urbe potente. Dum aberat, Galli turbas dabant, & Britannorum auxilia petebant. Perpendens ille, *quod libertatis studium natura insitum homini facile plures commovere ad arma sumenda posset*, antequam gentium robur coiret, in Galliam subitò redibat, Aquitanos, Rhemos, Treviros præsidiis confirmabat, Sequanos & Pictavos navali conflictu vincebat, Leodienses multa cum cæde subigebat. Horum auxiliares Suevi devastatis Coloniensium agris in Hercynios saltus confugerunt, Cæsaremq; vestigia ipsorum legentem, ut prædam recuperaret, eluserunt, cum nullibi comparebant qui vincerentur.

IV. Ergo in Galliam regressus, *Cæsar l. 4.* expeditionem suscepit adversus Britannos, classeq; instructa aperuit portũ commodum, ubi exercitũ appelleret. Britannos metus afflaverat, adeoq; repentina illa animorum consternatio pro victoria erat Datis obsidibus pacem fecerunt, ne victor longius ad Caledonios & Ivernos pergeret, quamvis cuperet, procellæ effecerunt, à quib. mersa pars illa classis, quæ equitatum vehebat. Trevirorũ factio quoq; insurgebat apud Gallos, quamobrẽ omissis longinquis revolabat in provinciã. ut proxima quæq; in officio contineret. Dum in Gallia res A.M. turbatas componit, deficiunt Bri- 3897. tanni. proinde reversus eo, militeq; per littora dimisso, maritima loca omnia pervagabatur victor ad fines Caledoniæ usq;, ubi *Cingatorigem* Regulum cepit. Ejus *Cæsar lib. 5 & 6.* absentia perpulit Galliæ Principes *Ambiorigem* & Induciomarũ, ut collecto sexaginta millium exercitu, Romanorum potentiam in regionibus ad Rhenum sitis iconarentur evertere. Itaq; cæsis

Tri-

Tribunis plurimis, Fabio, Tullio, Roscio, Titurio, Cotta, majores successus animo agitabant, cum Julius in Caletano portu advectus, integras legiones miscebat laceratis, & prælio acto victor occidebat plurimos, fugabat reliquos. Induciomarus altero etiã prælio cæsus à Labieno Rheni præfecto, occubuit. Ambioriges munitis locis in Arduenna defẽdit se tantisper, donec à Westfalis impetraret suppetias. Horum dispersas Cæsaris legiones ad Mosam carpebat, sed velitatione fractus propè Neomagum recessit in Cliviam. Insequebatur Cæsar, firmumque ex compactis trabibus pontem Rheno imponebat, ut in Allemanniã progrederetur. Sed cum audivisset, Suevos instruere copias maximas, ponte revulso, in Gallias rediit, & Westphalorum fide admodum delectatꝰ, multas ex illa gente conscriptas turmas legionibus suis adjunxit. Galli rebellionem novissimam ceperant sub *Vercingetorige* Arvernorum Principe, & dum Cæsar ultrà Rhenum bella gerebat, statariis pugnis adversus Cæsaris tribunos in Narbonensibus agris conflixerant, victores semper. Cæsar in Galliam reversus justo prælio superabat hostes, & pacem tunc demum firmam condicebat eis quando Principẽ aut vivum aut mortuũ in manus suas traderent. Vivus ille se dedebat victori, à quo deductus Romam, post triumphi solennia incarcere strãgulabatur. Gallia viris opibusque exhausta deinceps quievit.

Cæsar l 7.

A.M. 3898.

V. *Marcus Crassus* proconsulatum Syriæ adiit, quam provinciã opulentam regebat hactenus *Aulus Gabinius*, patrono in urbe & curia usus Pompeio. Is maximam auri summam acceperat à Ptolomæo Rege Ægypti, nec tamẽ aliquid retulerat in publicas rationes, ut meritò Reipublicæ nomine Cicero eum in jus vocaret. Decreto facto in exilium pellebatur. Crassus ex itinere ingressus Hierosolymas, omnes delubri Sionitici opes abstulit, non contentus, quod magna earum portio, velut donarium, à Sacerdote Eleasaro, offerretur ultrò, ut parceretur reliquis. Onustus sacrilegii noxa, & quoque à civibus suis ob rapacitatem odio petitus, ad minuendam avaritiæ famam, bello impendere voluit sumptus, periculoso illi & citra justam causam Parthorum Regi Orodi indicto. Spoliabat agros Mesopotamiæ, & Legatos à Rege missos, ut belli causas rogarent, ac fœderis cum Pompeio initi commonefacerent eum, superbè rejiciebat, *Seleuciæ, quæ erat præcipua Parthorum civitas, rationes redditurus*, uti ajebat. Ad Carras pervenerat, ubi sese fortiter objiciebant Parthi. Filius Crassi duce-

Appianus Diodorus Siculus lib. 39.

Iosephus l. 14 c. 12.

Diodorus Siculus lib. 40.

bat primam aciem, & cum viæ ignarus intra horrida tesqua cum legionibus gravis armaturæ laborabat, ab hoste circumventus occiditur. Pater stabat in propinquo cum toto exercitu, quem illico timor invadebat non levis, cupiebantq; iter relegere in Armeniam, ut Artabassi Regis amici opera suffulti tanto validius in hostem nova expeditione sese obverterent. Quo percepto Surena Parthorum Ductor equitibus præmissis itinera commoda intercipiebat, & à fronte simul lateribusque Romanos adortus, eminus intortis spiculis conficiebat. Sero nimis de pace ineunda cogitabat Crassus, ipse Regis colloquium postulabat, sed non impetrabat, perfide interfectus ab illis, quos bello injusto vexaverat. Duodecim legiones ad internecionem cæsæ sunt, Crassi caput desectum & conto infixum in Regis aulam ferebatur, jubebatque ille ut aurum liquefactum in os ejus per avaritiæ ludibrium infunderetur.

Florus l. 3. cap. 1.

VI. Hic erat exitus ditissimi Romanorum Optimatis, duæ legiones cum *Legino Cassio* evaserunt Euphrate trajecto, in Syriam. Parthi victoria, qualis vix unquam genti alicui adversus Romanos contigerat, elati, Syriam cursim depopulabantur, inque Palæstinam delati capiebant Hierosolymas motu intestino afflictas, *Antiochum Eusebem* Comagenæ Regem ditione sua exuebant. Verum Cassius è vicinis præsidiis milites omnes evocabat, ac palantes Barbaros aggressus equestri prælio apud Antiochiam, Osaco duce in acie cæso, vincebat, cœteris fuga elapsis.

Iustinus lib. 4.

A.M. 3899.

VII. Per urbem funestæ lites vulgabantur ambitus causa. Milo, Hypsæus, Scipio petebant Consulatum, sed non obtinebant, & Pompejus cum litibus illis vix alius posset mederi, autore Catone gerebat Consulatum solus, exemplo insolito prorsus, & qui parum abesset à Dictatore, si populi arbitrio unice potuisset res tanta perfici. Verum Senatus jam nimis potentem virum in libera urbe, non ferens, de Collega assumendo admonebat eum, & parebat ille, Scipionem socerum suum, ambitus reum, in quinque menses residuos Collegam accipiebat. Anno finito Consules deligebantur Sulpicius Rufus & Claudius Marcellus, hostes Cæsaris, quem præterea *Cato Uticensis* adversus potentes semper obliquus, quibus poterat modis, criminabatur in Senatu. Legem ferebant, *ut Cæsar quam primum exercitum dimittat, provincia discedat, ad urbem redeat, rationem reddat, si recuset, patriæ hostis declaretur.* Pro Cæsare stabant

Vellejus lib. 2.
Plutarchus in Pompeio

bant Tribuni plebis, Marcus Antonius & Curio, quorum intercessiones frustra erant. Pompejus ipse non videbatur laudare Catonis rigorem, ac potius in senatu proponebat, ut Cæsar ob res pro patria fideliter gestas, honore, non injuria, afficeretur, solenniter evocatus provinciam alteri deferret, Consulatum in urbe gereret, ad rationes reddendas non cogeretur. Prævaluerunt inimica Romæ fata, & Pompejus in Hispaniam cum exercitu instructo discedere jussus, ne rebus in urbe gerendis proximus esset, moras tamen domi nectebat: Julius vero negabat, se ad urbem rediturum, ubi inimicos multos haberet, amicum neminem. Ergo Senatus totus decretum faciebat, *ut dent operam Consules, Prætores, Tribuni plebis, quique Proconsules sunt ad urbem, ne Respublica quid detrimenti capiat.* Provincia Galliæ Lucio Domitio assignabatur, delectus per universam Italiam agebantur, Pompejo militaris ductus offerebatur, Cæsari imperium abrogabatur. Solus Labienus in exercitu Cæsaris, qui res maximas adversus Gallos feliciter gesserat, profugiebat ad urbem, & vero Cæsar in fidem suam adigebat Duces reliquos. Ita firmo cum exercitu progressus in Italiam, occupabat Umbriam, Picenum, Etruriam & Domitium æmulum

Florus l. 4. cap. 2. Epitome Livii l. 109. seqq.

A.M. 3900.

Lucanus lib. 1. Cæsar. lib. 1. Suetonius.

suum, qui Corfinium tenebat cum præsidio, capiebat. Urbe deserta Pompejus, Consules, Optimates petiverant Brundusium Apuliæ, quam muniverant, inde navigaverant in Epirum. Contendebat eodem Julius, ut Pompejum, si posset, intra fines Italiæ retineret, cum hoc frustra esset, Brundusium expugnabat, militesque suos imponebat, ne Pompejus, cum vellet, rebus nõdum satis à Julio constitutis in Italiam regredi posset.

VIII. Julius ingressus Romã, coram Senatu populoque recitabat causas, à quibus inductus arma secum ferret, cæterum æquas pacis leges novissime offerebat, si Pompejus & Consules approbarent, *ut impensas in militiam factas ære publico dissolverent Tribuni*, & cum hi recusarent, postquam Consules secum asportaverant claves, ne militum animos promptos inopia corrumperet, ærarium perfregit, ac pecuniam abstulit, Siciliam & Sardiniam populi Romani horrea missis Tribunis, Valerio & Curione, occupavit, ut frustra deinceps conaretur Pompejus urbem prohibita annona vexare, quod consilium animo ejus altius insederat. Cæterum in Hispania sub signis habebat robustas legiones, eo profecturus Cæsar, urbis curam demandabat Marco Lepido, Italiã Marcus Antonius

Lucanus lib. 2.

Lucanus lib. 1. Cæsar lib. 2.

us cum præsidiis omnibus regebat. Qui cum imperio præerant exercitibus Hispanicis, ad Ilerdam urbem seque militesque omnes Cæsari dedebant. Afranius, Varro, Petrejus: & Cæsar ad conservandam rei bene gestæ memoriam, in Pyrenæis montibus Victoriæ aram statuebat. Captivis præter arma nihil eripuit, opes vitã, civitatẽ eis conservavit: unde populi favorem erga se augendo, reversus in urbem Dictator creatus est, comitiorum habendorum causa.

Lucanus lib. 4 IX. Legati ejus haut pari successu militaverunt. Dolabella & Antonius maris præfecti in littore Corcyræo vincebantur, Antonio capto. Curion in Africa potens rerum tantisper, non semel fugabat Varum Pompeji tribunum, demum prælio magno victus & occisus est, subsidia adducente Juba Numidiæ Rege, Pompeji amico. Ergo Julius, præsentia sua correcturus, quæ cunque *Cæsar l. 3.* illi in prospere egerant, Brundusium abit, & septẽ legionibus veteranorum assumptis, nihil veritus asperitatem hyemis, ventorum procellas, fluctuum instabiles pulsus, mare ingreditur, priorque ipse cum speculatorio lembo, nauta uno comitatus, ad littus oppositum contendit. Sequebantur eum milites alacriter, & hybernis in Epiro detentis, ne confligerent cum hoste, edicto vetuit Cæsar, qui nondum pacis leges repudiaturus esse videbatur, si Pompejo istæ placerent. Hunc Dyrrachii conveniebat per Vibullum Russum Legatum suum, & de pace ineunda serio compellabat, verum nunc temporis etiam frustra erat, adeoque castris castra prope sociando, aciem ostentando, urbes socias diripiendo, provocabat hostem ad prælium, sed velita us infeliciter *Lucanus lib. 5. & 6* nongentos milites clade accepta amisit, cæterum victoriæ loco duxit, exercitum totum victoris arbitrio subduxisse, & Pompejus victoriam negligenter satis persequendo, interventu noctis properabat redire ad castra sua. Eo tantum die se potuisse superari, dicebat Cæsar, qui annonæ penuria coactus, discedebat in Thessaliam. Ibi viribus restauratis, militem, non ut antea famelicum, sed bene pastum, & certissima spe prædæ erectum, novo prælio obtulit, Pompejo in campis Pharsalicis ferociter urgente, loco fini endæ libertati Romanæ fatali. Pompeii acies habebat quadraginta mille pedites, octo mille equites, auxilia Orientis, nobilitatem omnem, Senatores plurimos, Prætorios, Consulares, & qui populorum magnorum victores jam fuerant. Cæsar ducebat triginta mille pedites, bis mille equites, reliquorum instar

unus ipse erat. Ergo in prima acie eductis Germanorum legionibus, magno cum impetu lacessebat hostes. Equitatum ejus fortiter excipiebat Pompejus, ac repellebat, sed commodum per hastatos succurrebat Cæsar, & Germanicas turmas loco restituebat. Hoc fuit victoriæ initium, adeoque pedites destituti ab equitum præsidio,
A.M. 3902. fugam capessiverunt, qua eadem involutus Pompejus, cæsis quindecim mille viris, totidem & plures captivos in potestatem Cæsaris tradidit, qui passis palmis & armis projectis salutem rogabant. Dabat illam Cæsar, quia cives erant, & laudabat, quod in benefactorem Pompejum impii non fuerant.

X. Cicero ob adversam valetudinem non interfuerat prælio, adeoque confecto illo proceres quidam novis copiis describendis intenti, venientem ad confinia Græciæ Ciceronem hortabantur, ut Imperator esse vellet. Quod tamen recusabat, neque fractos putabat Cæsaris vires sustinere posse, itaque in magno periculo versatus, & à Pompeii filio velut proditor increpatus, ne per tumultum occideretur, nave petebat Brundusium, ubi Julium adfuturum esse publicus rumor ferebat. Pompejus abjiciebat in fuga paludamentum ne agnosceretur, & Larissam veniebat, inde pavidus navigabat Mitylenen, ubi uxor ejus Cornelia commorabatur, divertebatque apud Cratippum Philosophum, ut de fortunæ successu queri posset animo anxio, *quando quidem in causa meliori victum sese* constanter affirmabat. Parum aberat quin Deorum providentiam negaret haut male quidem, si Dei providentiam non simul eversum ivisset. Philosophus ipsi in dubia re, hoc unum certum respondebat, *fato obnoxias esse Rerumpublicarum mutationes*, Labienus, Domicius, Lentulus fugæ comites suadebant, ut Afros & Hispanos adiret, novis copiis parandis abunde suffecturos, quia provinciales multos in promptu haberent, & fide antecellerent omnibus, & maris potentes Cæsarem non una via premere possent. At ille, erroneo, ut eventus docuit, consilio præferebat Ægyptum, infidam semper gentem. Credebat, Regem Dionysium memorem benificiorum veterum fore, cujus pater Auletes subditorum concursu pulsus in exilium quondam, unius Pompeii studio restitutus fuerat; misso Gabibinio Syriæ præfecto, ut armis rem gereret adversum rebelles. Profectus nave, haut procul Alexandria jaciebat anchoram, inde cymba expediebat

Lucanus lib. 7. & 8.

nuncios ad Regem, qui indicarent de adventu ſuo. Rex puer ducebatur nervis alienis, & verò proceres aulæ conſpirabant in necem advenæ magno conſenſu, quorum conſilio in lintre exiguo nullis ornamentis apparato adremigabant Septimius & Achillas, duo centuriones, & Pompeio noti ex bello in Syria geſto, appellebantque ad triremem, Regis nomine hortati Pompeium, ut in lintrem Nilo ticam tranſire vellet. Hic valedicebat conjugi ac filiis, non ſine gemitu horum, libertus Philippus ſequebatur eum, vix digreſſi erant ad teli jactum, legebatque orationem Græcam, quâ Regem affari poſſet, ſed conſpectu ejus nunquam gaviſus, exſpiravit vulnere, quod ei tergotenus inflixit Septimius, defunctum repetitis ictibus fodiebat Achillas, capite demum abſciſſo, cadavere abjecto, ne mortuus, ut aulico joco dicebant, morderet.

Lucanus lib 9.& 10 XI. Reliquias vili rogo exuſtas libertus ejus in ripa Nili componebat, caput annulumque ſervabat in adventum Cæſaris, qui terra marique victor triduo poſt in Ægyptum tranſivit, copiis modicis ſtipatus, ut videretur potius ad faciendam pacem, quàm ad inferenda arma veniſſe. Nec porro armis opus erat, ſed *Cæſar l.4.* lacrymis rigando pallidum os Viri ejus, quem generum ſibi adſciverat olim, communis ſortis luculentum teſtimonium perhibuit. Bello deinceps nec opinato implicatus cum Rege, victor non ſine periculo Alexandriam expugnabat, ignibuſque ſubjectam meliori parte vaſtabat. Rex merſus Nilo periit, ſoror eademque uxor ejus Cleopatra obtinuit regnum, Arſinoe junior accepit Cyprum, largiente Julio uti ſuum peculium, quod tamen inter Civitatis opes erat adſcriptum nuper, Catone rem gerente. Pompeio cæſo inſurgebant certatim *Dion lib. 42. ſeq.* velut Reges Aſiæ, Africæque rapturi & ipſi ex alieno, ubi aliquid eſſet, turbiſque funeſtis commodo ſuo uſuri. Pharnaces Tauricæ Rex patri ſuo ereptas urbes in Ponto & Syria occupabat, Domitium Cæſaris legatum in Bithyniæ finibus profligabat, ne ultrà progrediendo Syriæ agros vexaret, obſtitit Mithridates Cappadociæ Princeps, ad quē celeri itinere profectus Cæſar, jungendo *A.M. 3903.* legiones ſuas, hoſtem prælio uno ſuperabat, regnoque mulctabat, quod Mithridates dono accepit. Juba Numidiæ Rex profugos victarum partiū duces, Labienū, Afranium, Petreium, Scipionem, Catonē, Syllanum, domi ſuæ liberaliter habebat, arma & milites undiq; gentium cōſcriptos tradebat eis, deniq; in Hiſpaniam alii, alii in Siciliam tranſire navibus

cona-

Cæsar l. 5. conabantur. Tantò alacrior eis occurrebat Cæsar, vincere assuetus, paucisque legionibus in Africam præmissis, ad Leptim vincebat Labienum. Verum Scipionis cum majore exercitu advenientis timore prohibitus, ne rectà contenderet in Numidiam, castra vallabat ad Thapsum. Hic receptis ad se novis è Sicilia & Getulia copiis, atroci prælio cum Juba congressus, omnes illos Duces profligabat. Scipio in Hispaniam per mare fugiturus, ne à speculatoriis navibus, quæ pro Cæsare in freto Gaditano excubabant, interciperetur, desiliit in aquas periitque. Juba Rex desertus à subditis, qui se suaque omnia victori Julio tradebant, gladio incubuit. Petrejus, Afranius, Syllanus occisi. Cato meditatus aliqua de immortalitate animæ, secundum Platonis traditiones pugione sibi vulnus intulit, & quanquam Julius eum Uticæ spirantem adhuc inveniret, deque obligando vulnere sollicitus compellaret, sprevit tamen ista vitæ tædio nimis perculsus, quia victorem hostem tolerare non poterat.

A.M. 3904.

XII. Numidia in provinciam redacta, Julius nave transiit in Sardiniam, inde Romam venit maximosque honores Populi suffragio obtinuit, Consul quartum factus sine Collega, Dictator perpetuus, Censor, triumphavit de Germanis, Ægyptiis, Tauricanis, Afris. Correxit fastos per Sosigenem Mathematicum, intercalari mense abolito, substituit diem intercalarem unum post quatuor annos, ut annus cum Solis cursu propius conveniret. Inter hæc pacis gloriæque opera novo bello turbatum est. Labienus ex Africa profugus receperat sese in Hispaniam, ubi Cnejus & Sextus Pompeii filii magnas copias habebant, deque Italia invadenda consultabant. *Cæsar l. 6.* Noverat Julius, difficilem sibi pugnam futuram in locis Urbi propinquis, multorum animis ergà Pompejum optimè affectis, quanquam hactenus Populi timore non auderent improbare palam, quæ agebantur. Itaque mittebat Quintum Pedium & Fabium Maximum Legatos suos, ut hostes remorando, interim cum ipse necessaria omnia Romæ constitueret, ab ingressu in Italiam prohiberent. Ad Mundam stabant illi, deque Julii itinere edocti, muniebant castra sua. Julius impatiens moræ castra invadebat eo loco, A.M. 3905. quem defendebat Labienus, sed cum ulterius instaret, signis motis in eum tanto cum impetu depugnabant Hispani, ut equitatum in fugam agerent. Desperabat ferè Julius, circumspiciendo unde necem sibi inferre posset, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem juvenum veniret, tunc verò peditatus fortiter dimicando hostium impetum fregit, sibi

& equitibus in pugnam reversis ad victoriam obtinendam sufficiens. Cnejus in fuga obtruncabatur, Sextus in Asiam fuga perveniebat, Labienus eodem fugiebat Parthicæque militiæ nomen dabat, viginti mille captivi facti sunt, decem mille occisi. Corduba & Hispalis victori Julio obsequium præstiterunt.

Plutarchus in Cæsare. XIII. Hic Romæ triumphavit, & Quinto Fabio Maximo Consulatum donavit, periculorum in bello Hispanico participi. Triumphum criminabantur inimici ejus, quo non quidem spolia hostium, sed exuviæ civium ostentarentur. Populus verò extollebat festis vocibus, Patrem Patriæ, Sacrosanctum, Imperatorem appellando, capiendo & reddendo donaria in spectaculis & largitionibus frumentariis, statuam ejus eburneam inter priscos Reges ponendo, sellam in Curia inaurando. Regebat populum & ad hæc talia facienda impellebat Marcus Antonius Consul, ringente Senatu. Quem porrò non levi odio in se concitabat Julius, postquam mores volebat mutare, insolentior quam consueverat esse, proceres, venientes nullo honore dignatus Tribunos plebis abrogavit, Dictator pro arbitrio gessit omnia. Levioris fortè ominis crimina, sed quæ tamen ei necem accelerabant. Statuis Junii Bruti adscriptum est, *utinam viveres?* Dictum ei sæpius ab amicis, ut præsidio corpus muniret, ac habita quæstione adversus conspirationis autores, quos fama publica deferebat, salutis suæ curam gereret, sed ista contemnebat, *vitam perosus quæ tam anxie custodienda esset.* De bello cū Parthis pro Asiæ limitib. conservandis suscipiendo, in Curia Pompejana ad Senatum relaturus, occidebatur, pugiones suas ei intentantibus, Marco & Decio Brutis, Cassio Servilio, Trebonio, Domitio, Tallio Cimbro. Viginti quatuor in tanto latronum concursu excepit ictus, caput involvens toga, ut ne quidem gemitus audiretur vitæ desiderio. Quatuor annis imperaverat, virtutibus maximis ornatus, indignè peremptus ab illis quos multis benificiis affecerat, inopina morte, *quam commodissimam* semper dixerat, obiit. Toto die illo, qui cædem ejus vidit, Sol pallore miro lucē suā obscuravit.

XIV. Latrones agmine facto petebant Capitolium, & pro Libertate decreta faciebāt, quando- A.M.
quidem Marcus Antonius & Le- 3906.
pidus partium Cæsarianarum si- *Dion Cass.*
gniferi hoc acturos sese publicis *sius lib. 5.*
rumoribus vulgaverant, ut Cæsa- *seqq. Ap-*
ris hæres unicus Octavius ad si- *pianus l. 3.*
milem potentiam populi favore *Svetonius*
usus, recenti adhuc Cæsaris me- *lib. 2.*
moriæ, perveniret. Erat Octavius Cæsaris ex sorore Julia nepos, patre genitus Octavio Senatore Romano, summa cura in spem futu-

ram

ram ab Avunculo educatus, quo peremto discesserat Apolonia, ut ingressus Urbem de Testamento cognosceret apud Vestales deposito. Scriptus hæres ex asse, & insuper à veteranis plurimis, quibus superiorum temporum bella non minimum profuerant, Cæsar appellatus, bilem movebat Senatoribus. Horum mandato Antonius in judicium vocatus est, Cicerone actore. Sed maluit ille ab urbe fugere, quam incertis populi suffragiis adversus Senatum contendere, eoque magis spem salutis in fuga ponebat, quia cum Octavio lites ancipiti eventu agitabat super interversis nonnullis Testamento descriptis bonis magni precii.

Florus lib. 4. cap 4. Livius lib. 117. 118. 119.

Antonius conveniebat Brutum Galliæ Cisalpinæ præfectum, ut sibi auxilio esset contrà Senatum. Frustrà hoc persuadere conatus viro hosti, è vicinis locis abducebat quascunque poterat copias, belloque premebat Brutum Mutinæ urbis mœnibus fortiter sese defendentem. Aderant subsidia, Hircio & Pansa ducibus, eosque comitatus Octavius, ut persequeretur virum summo loco habitum olim à Cæsare, ad Bononiam castra locabant, divisis spaciis, nam diversis quoque viis ad Mutinam liberandam pergere volebant. Antonius expedita manu equitum instructus noctu movebat in occursum Pansæ, vulnerat ducem, milites obtruncat. Hircius victori Antonio maturè sese objiciebat, fusisque copiis ejus, non cunctatus, in Mutinæ conspectum exercitu adducto, prælium repetebat, vincebat, sed vulneribus gravis obibat, Octavio superstite (nam & Pansa Bononiæ decesserat) tantum, magno cum gaudio exercitus, à quo Imperator appellatus est. Brutum incolumem dimisit, pugnæ spectatorem è mœnibus, & hac vice quidem non cogitavit de ulciscendis Manibus innocenter occisi Cæsaris.

A.M. 3907.

Antonius emensis fuga Alpibus divertebat ad Lepidum Proconsulem Galliæ, & felicior ei erat fuga, quam Octavio victoria sua, nam Lepidus operam omnem obtulit illi adversus Senatum, Octavius verò pro liberata Italia Triumphum acturus repulsam tulit à Senatu, utque ludibria augerent, Bruto victoriam adscribebant, hunc unum servatæ Italiæ adversus Antonii factionem, liberatæ urbis à crudeli dominatu Julii, felicissimum autorem publicis privatisque declamationibus collaudabant, Sexto Pompejo maris imperium, Bruto Macedoniam, Cassio Orientem demandabant, Lepidum patriæ hostem declarabant, Octavium tollendum esse insimul decernebant.

XV. Cicero potens domi forisq; instabat apud Senatũ, ut Octavio æquiores sese præberent. Sed nec ille animo semper approbabat,

Cicero in Philippicis. quæ sermonibus ad populum recitatis suadebat, nec jam locus relictus erat precibus. Quin Octavius puer uti per ludibrium à morosis Senibus appellabatur, omnes ipsos magnitudine animi vincendo, largitionibus expugnaverat populum, & adactis in verba sua legionibus, hoc impetraverat, ut nomine ejus ausus Romam proficisci Cornelius Centurio, rejecto in curia sagulo, gladium tangeret, dicens, *hic extorquebit invitis quod sponte facere non vultis.* Ità Consulatum adeptus, Pedium Collegam renunciabat, acerrimum Julianæ factionis protectorem. Edictum promulgabatur de quæstione habenda in eos, qui Julii necem quovis modo procuraverant, ex his Trebonius, Domitius, Tullius Cimber, Decius Brutus in urbe comprehensi & interfecti sunt. Marcus Brutus & Cassius obibant provincias, & colligebant exercitum. In his rerum motibus amicitiam renovabant Octavius, Lepidus, Antonius ac Triumviratum constituebant, quod unum perdidit Ciceronem, ut ab implacabili hoste suo Antonio inter proscriptos relatus, repugnante quamvis Octavio, occideretur à Popilio Lænate Picenæ regionis præfecto. Substiterat ille Cajetæ, inde navi profecturus in Macedoniam, quam cum magno exercitu obtinebat Brutus, alter libertatis Romanæ vindex, sed rejectus adversis tempestatibus mori debuit in patria, caput præcisum in urbem allatum est, truncus vili sepulchro in Zacintho contumulatum. Hunc vitæ exitum habuit Oratorum Princeps.

Appianus lib. 4. Florus lib. 4. cap. 6. Epitoma Livii lib. 119.

XVI. Munacius Plancus Consulatum adipiscebatur, provectus summo studio Octavii, qui eum inter amicos præcipuos habebat. Cassius & Pompejus Oceanum victoriis perdomabant, cæsis prælio Rhodiis, postquam hi pro Octavii successu confirmando multa hactenus occeperant, à Græcis hoc etiam meruit ut in urbe Athenarum eis ponerentur statuæ æreæ, veluti publicæ libertatis Assertoribus. Inde relicto ad freti Siculi custodiam Pompejo, & Bruto è Lycia revocato, maturabat Cassius iter in Macedoniam, ubi cum parte exercitus advenerat Antonius, & Philippos obsidebat. Octavium non levis morbus affligebat, quo insuper habito proficiscebatur cum legionibus suis, à pugna non abfuturus, ne victoriæ obtentę fructum Antonius solus perciperet, aut etiam viribus inferior superaretur. Pugnatum est eventu dubio. Brutus equitatu instructus profligabat aciem primam, quam regebat Octavius, sed Cassius, qui peditatum ducebat, profligatus ab Antonio, capiebat fugam. Parem initio cladem error fecit eventu imparem. Nam victus Cassius, Brutum quoque

A.M. 3908. Dion l. 47.

Epitoma Livii lib. 120. 121. 122. 123. 124. Florus l. 4. cap. 7.

que fortuna simili usum per exploratores suos fallò edoctus, desperato successu, pugionem quo Cæsarem confoderat, pectori subdidit. Ejus nece audita Brutus animo nequaquam concidit, sed unus duobus Imperatoribus egregiè restitit. Laborabant hostium copiæ rerum omnium inopia, & exploratum habebat Brutus victoriam, si bellum duceret, verum Proceres reliqui intempestivo fervore usi legiones renitente eo producebant, & confligebant sinistro auspicio. Clade accepta Brutus in vicinis nemorum latebris substitit, amicos fortè præstolatus, verum illis omnibus caruit miser, adeoque *Virtutem nomen inane, fortunæ servam*, ultimis vocibus conquestus, & ab insequentium hostium manibus exempturus sese, adjuvante Stratone liberto, pugioni incubuit, neque post eum aliquis ad libertatem oculos sustulit.

XVII. Magna proscriptorum exulumque cædes hoc prælio facta est, multi fugerunt in Siciliam, ubi Pompejus rerum potitus, classe magna vexabat Italiæ portus omnes, annonam cumprimis diripiendo, unde fames Romæ orta est, populusque jubebat Triumviros, ut vellent pacem facere cum Pompejo, si recusarent, cædes & incendia minabatur. Data est pax honestis legibus, *ut Pompejus ab ærario bona omnia paterna recipe-ret, ut Siciliæ, Sardiniæ, Achaiæ, Bithyniæ præfecturam obtineret, ut ipse, & quicunque apud eum essent, proscripti, factorum omnium veniam haberent.* Creditum est, à Lepido incitatum populum, ut contentiosis modis pro auferenda proscriptionis tabula flagitaret, ac certum est, Lepidum non obscurè animum à Collegis suis aversum habuisse, postquam illi victoriæ adversus Brutum obtentæ gloriam sibi imprimis arrogarent, Lepido excluso, quanquam hic non minus præsens, quam illi, fortiter rem gesserat in campis Philippicis. Sed nec ipsi Octavio satis favebat Antonius, procerum gratiæ studioso magis ac quidem putabat Antonius, convenire cum præsenti rerum statu. Ne manifesto odio peterent sese, operam dabat Octavia uxor Antonii, soror Octavii, & concordiæ servandæ medium adhibitum, ut Antonius in Orientem profectus Parthos bello distineret, Octavius in Occidente res gereret. Ità Lepidus in ordinem redactus & supplex Octavio factus, bonis omnibus spoliabatur, legiones ejus exauctorabantur. Pompejus novas injurias veteribus offensis addebat, seditiones in urbe alendo, quamobrem Octavius domi occupatus in condendo Veneris Genitricis templo, quod nuper in Pharsalia voverat, nec non altero quod Marti Ultori dedicaverat, cum

Dion l. 48. Appianus lib. 5.

A.M. 3910.

Epitome Livii lib. 127. 128. 129. Florus l. 4. c. 8.

A.M. 3914.

classe mittebat Agrippam, ut hostem debellaret. Conflictu habito ad Veliæ promontorium vicit equidem Agrippa, sed postquam exercitum terrà ducebat, à majoribus Pompeii copiis superatus, vires hostium sustinebat tantisper in multis calamitatibus, donec subsidia accelerarет Octavius. Sicilia ejectus Pompejus fugiebat Corcyram, inde Syriam petebat, ut Parthorum auxilia compararet, deprehensum in itinere captivum fecit Titius Antonii Legatus & occidit.

A.M. 3915.

Dion l 29.

XVIII. Interim Antonius armis exercebat Parthos, qui Labieno Romano Duce usi in Syriam factis excursionibus, Apameam & Tyrum expugnabant, prædasque è Palestina agebant, Antigono Hasmonæo invitante eos, qui ferre nolebat Herodem Procuratorem à Romanis constitutum. Et quanquam Ventidius Bassus ingruentes Barbaros velitatione non una feliciter acta pepulisset, occiso Pacoro Regis Parthorum filio, juvene strenuo, Labieno capto, Palestinam vindicavisset, non tamen hoc satis visum Antonio ad demerendam Triumphati Orientis gloriam, proinde Legatum suum Canidium Crassum mittebat in Iberiam, qui gentis ejus Regem Pharnabassum prælio vincebat: ipse copias omnes adducebat in Mediam, locisque montosis constrictus, & Eufratis trajecto difficili remoratus, hoste nusquam viso, otiosis stativis æstatem consumsit, & verò post expugnatam Samosatam urbem milites ejus indignati, sibi nec vivere nec vincere licere in magna annonæ penuria, seditiosis vocibus extorserunt ab Imperatore, ut regressus in Armeniam, ab amico Romanis Rege Artavasdo peteret hyberna. Nec denegabat illa Rex, usurus Romanorum fida, uti putabat, ope adversus Parthos jam nimium in Oriente potentes. Dum novi hospites liberalitate Regis fruuntur, è socio repentè hostis factus Antonius, Regem in vincula ducebat, Artaxatam diripiebat, regnum occupabat & Cleopatræ Ægypti Reginæ donabat, Syria & Cypro insuper additis, prætextu usus, quod à Regina illa magnam auri summam ad exsolvendos belli sumptus fecerat, reverà quod dotalibus tantis despondere sibi Reginam vellet ejusque matrimonio sese parem facere. Romæ per nuncios petere ausus, ut rata haberent quæcunque in gratiam Reginæ sponsæ egisset, repulsam accepit. Quam iniquo animo tulit cumprimis, postquam Reipublicæ hostis à Senatu declarabatur, & Octavio belli adversus eum gerendi summa demandabatur. Hunc sibi ex amico fecerat inimicum irreconciliabilem, Octavia repudio dimissa, & novo cum Regina matrimo-

Iustinus lib. 42. Florus lib. 4. c. 9. 10.

A.M. 3916.

A.M. 3918. *Dion l. 49. Florus l. 4. cap. 11.*

trimonio inito, procus melior quam miles. Regina validam classem educebat, non solum Antonio marito laturo opem, sed ut insimul Asiæ imperium acquireret. Cœterum erant in partibus Antonii omnes populi Asiæ & Græciæ, nec classe tantum, sed quoque exercitu terrestri per Macedoniæ agros distributo, prima occasione volebat in Italiam transire. Octavius ab Europæis adjutus classem non minus formidabilem opponebat hosti, cumq; per Legatos suos in Græcia feliciter pugnavisset, ipse demum
A.M. 3919. ad Epiri promontorium Actium memorabili prælio devictum Antonium, fugientis in Ægyptum Reginæ vestigia sequi coegit.

XIX. Copiæ terrestres per Macedoniam regebantur a Canidio Crasso Antonii Legato, eas deditione accipiebat victor Octavius, paucis equitum alis exceptis, quas Crassus præcipiti fuga secum
Dion lib. 50. & 51. deportabat Memphin. Antonius pro restaurando bello quærebat subsidia per Asiam, sed non impetrabat, tantum quod paucæ è Syria naves mercenariæ adessent, vano solatio. Octavius in Ægyptum advectus & illas & alias naves omnes ignibus immissis destruebat, terra felicior Antonius equestri conflictu vincebat, victoriæ fructu carebat, quandò Pelusium tradebat Regina, credebatque illa, demulceri verbis muneribusque posse Octavii animum, ut Antonii nece ultionis studium expleret ac Reginæ pacem daret. Antonius cogitabat de fuga capienda in Hispaniam, cumque non pateret viâ ullâ exitus, ferro pectus fodiebat, inque sinu Reginæ demens amore impari vitam finiebat. A.M. 3920. Regina deinceps victoris arbitrio stare jussa, regno spoliata, vitam ultrò deposuit, aspidis veneno infecta, ut Triumphi ludibria vitaret.

Epitome Livii lib. 130. 131. 132. 133.

LIBER

LIBER V.

Quo continentur res gestæ Cæsarum Romanorum ab Octavio adusque Constantinum Magnum.

CAPUT I.

De rebus gestis Octavii & Cæsarum sequentium.

Suetonius lib 2. Dion lib. 52. seq. Florus lib. 4. cap. 12. I. OCtavius redacta in provinciam Ægypto, quæ sola ex omnibus Alexandri Magni regnis hactenus viris opibusque florentissima restabat, & Triumpho acto, Principatum urbis abdicare à se & Senatui potestatem è prisco more gerendam restituere volebat; verum intercedebat Senatus nomine Mæcenas, plurimisque rationibus demonstrabat Rempublicam salvam esse haud posse, nisi unus autoritate pollens contentiosos plurium animos coerceret, ne publicam salutem concuterent. Pacis opus eximium erat, quod Senatores pedarios & novitios loco movebat, curiæ onera. Milites donis, populum remissione æris alieni, proceres immensis largitionibus conciliabat sibi, & AUGUSTI cognomen, à Munacio Planco inventum accipiebat Imperator Sacrosanctus, Deorum cultu in terris dignus, quos cœlorum potentes facinorum gloria æquasset. Cantabros, asperam gentem, pyratica nobilem, domabat bello, totamq; Hispaniam acquirebat Imperio Romano, urbe Emerita condita, quo coloniam militum deducebat. Pacatis longè lateque populis Jani templum clausit summo cum Orbis gaudio, applaudentibus Diis, quorum omnium honorem celebrabat uno opere Agrippa, & Pantheon exstruebat.

A.M. 3921.

A.M. 3925.

II. Fama excitati Scythæ, Garamantes, Indi, missis Legatis amicitiam ejus petiverunt. Rex Parthorum Prahates reddidit Armeniam, quam occupaverat pridem ab Antonio lacessitus segni bello, & militaria signa restituit. Cum Germanis sæpè feliciter, aliquandò improsperè conflixit. Saxones & Thuringi Rheno adsitas provincias aggressi prædas agebant. Occurrebat eis *Marcus Lollius* Galliæ

A.M. 3930.

A.M. 3934.

Vellej l. 2.

Galliæ Proconsul, hostesque incomposito agmine vadentes prælio superabat, duodecim millibus occisis. Francus Sicambrorum Princeps pro defendendis fugitivorum reliquiis instruebat copias, & victorem nec opinato adortus, cum clade proturbabat Romanos, Lollio perempto. Sed tamen à Galliæ finibus abstinebat, Drusum in propinquo victoriis perpetuis celebrem veritus, ne ille mediæ illatus Germaniæ atrocius bellum deinceps concitaret. Scilicet Drusus Liviæ filius Rhetiam & Noricum perdomuerat, Lyco fluvio præsidio imposito, unde cepit Augusta Vindelicorum. De Lollii casu pernuncios cognovit, adeoque celeri itinere profectus in Belgicam, subigebat Frisiam & Transisalaniam, Sicambros devastabat. Inde Germaniam ingressus Lupiam transibat, Cattos Angrivariosque, nec non ingentem Hercyniæ tractũ, Visurgim tenus, perdomabat difficilibus quanquam præliis, sed ab Albis trajectu prohibebant eũ Suevi, tunc temporis Balthicarũ regionum incolæ, dumq; ad Rhenum itinere converso parabat reditum, Aurinia quædam vates in transitu jubebat eum, ut de rebus convasandis & vitæ exitu
A.M. propius instante cogitaret. De-
3941. lapsus equo, crure fracto, obiit Moguntiæ, ex victoriis Germanici cognomen adeptus.

III. Expeditionum comitem habuerat fratrem Tiberium, qui Liburnos, Austrios, Bavaros devastaverat insuper, cæterum Rheni, Visurgis, Albis dominatũ post Drusi obitum feliciter asserebat, Dion lib. 54. 55.
castellis exstructis, ubi deponeret præsidia, & dediticiorum multitudine (centum millia è Saxoni- A.M.
bus ac Balthicis gentibus cumprimis erant) oneratus, per Belgicã 3943.
eos distribuebat, ut colerẽt agros. Erat tunc temporis Allemannorum & Marcomannorum Rex Maroboduus Ariovisti cognatus qui è vicina Pannonia frequentibus Romanorum incursionibus lacessitus de bello inferendo cõsultabat, ut Herciniæ incolis, subditis suis, pacem tutam præstaret. Collocabat eo fine Bohemorum cohortes aliquas ad fluvium Isaram, ut Norico Romanos concluderet, exercitum collegerat septuaginta millium virorum, Pannonios & Liburnos ad rebellionem permoverat, deque invadenda Italia palam comminatus, Tiberio Germaniæ Præfecto necessitatem injiciebat educendi copias ex omnibus provinciis. Partem earum ducebat Sentius Saturninus, quem tamen Liburni profligabant. Hos cum novis ex Italia submissis legionibus Germanicus premebat, antequam Marcomanni auxilio venirẽt. Erat ille Drusi filius, captoque Rhetimo gentis metropoli,

terrore magno implevit omnes, ut Batone quem hactenus militiæ Ducem habuerant, pacis internuncio deinceps uterentur, nec denegabat eam Tiberius, neutris
A.C. 10. detrimentosam. Maroboduus frustrà conatus multa, desertus à sociis Gutonibus, Sidinis, Semnonibus, Suevorumq; gẽtibus promiscuis, victus prælio regiones suas direptui exposuit, ad Bojohemiæ saltus profugus factus, ne omninò periret.

Velleius l.2 Dion l.56. IV. Bato civitatis Romanæ jus accepit velut præmium maturatæ pacis. Eandem ab Octavio impetraverat *Arminius* Cheruscorũ Regulus ob toleratam hactenus in castris Romanis militiam: sed quam domum reversus abdicabat. Germaniæ præfecturam administrabat *Quintilius Var*ꝰ, olim proconsul Syriæ, ad pacis artes & questus faciundos aptior, quàm ad ferenda arma. Vectigalia describebat, ut populo, qui se nondum victi mensura æstimare noverat, imponerẽtur, leges novas ferebat, juris processum ordinabat, comitia Advocatis onerabat, nec tamen, quò census magni insumerẽtur, constabat satis, adeoque conjuratione innexi populi omnes ad Visurgim & Albim habitantes, Arminio militarem ductum offerebant, quo ille usus prosperè, Romanos per intervalla adortus, nec indicto bello præsidia omnia expugnabat, triduoque cæsis hinc inde hostibus neci dabat quinquaginta mille pedites, viginti mille equites. Strages maxima facta est in saltu Duisburgensi. Varus sibi mortem A.C.
conscivit gladio, ejusq; caput de- 11.
sectum in Bohemiam missum est ad Maroboduum, solatio futurũ illi super infelice cum Tiberio pugna. Pauci beneficio noctis cum Lucio Asprenate evaserunt.

V. Tiberius reparabat legiones, obstiturus ne in Galliam penetrarent Germani, hi verò etiã spoliis opimis contenti domi se continebant. Octavius profectus A.C.
in Campaniam, ut res Illyricanas 14.
pro anno sequẽti ordinaret, Nolæ obiit, continua sobrietate ad plenissimã senectutem provectꝰ, Romæ sepultꝰ in Mausoleo quod in via Flaminia condiderat. Princeps sine exemplo magnus, qui unius imperium populari temperavit regimine, ut in Regno citrà servitutẽ vixerint subditi, virtutibus nobilis, rebus gestis inclytus. Successit ei *Claudius Tiberius Nero* filiꝰ adoptivꝰ è Livia, qui Germanico Drusi filio demãdavit res gerẽdas in provinciis Rhenanis. Arminiꝰ omissis Romanis arma cõvertebat in socios eorum, qui popularibus suis opem ferre adversus communem hostem nolebãt. *Suetonius lib. 3. Dion lib. 57. Tacitus lib. 1. Annal.* Erat inter eos *Maroboduus*, infensus fortunæ Principis juvenis, quã ipse in multò majoribꝰ opibꝰ adversã habuerat, tunc cũ Tiberius Pannoniã domabat. Hunc præ- A.C.
lio altero devictũ Arminius parte 17.

agro-

agrorum mulctabat. Gratum fuit
Tiberio nuncium de Germano-
rum inteſtinis litibus, & quanquã
Maroboduus Romanorum ſo-
cietate niteretur, parũ tamen hoc
juvit eum, nec ab Arminio ſolum
vexabatur, ſed quoque Gotualdæ
Suevorum Principis impetu eje-
ctus regno, conſenuit Ravennis,
poſtquã Tiberius promiſſã opem
diſtulerat: Gotvalda per amicos,
quos auro ſibi comparaverat, Ti-
berii favorem ambiit, ſubditorũ
perdidit, quorum precibus ad-
ductus Arminius Germania eum
pepulit ipſe verò Arminius hoſtiũ
victor, vicinorum terror poſt tot
A.C. virtutis incomparabilis ſpecimi-
19. na edita dolo propinquorum oc-
cidebatur, ab iis ad epulas evoca-
tus, cum duodecim annos poten-
tiæ expleverat.

VI. Eodem tempore obiit Ger-
manicus, victor non Germaniæ
ſolum, verum quoq; Parthorum.
Oriẽtis turbas compoſuerat, nec
non Ægypti. Veneno infectum
Tacitus lib. 2 3,4. fuiſſe à Piſone Legato ſuo, creditũ
eſt, quẽ in negociis omnib9 acer-
rimum adverſarium habuerat, &
Piſo ob id in judicium vocatus
Romæ, vitam manu ſua finivit.
Cineres ejus in urna aurea Agrip
pina uxor detulit Romã, magno
cum bonorum omnium luctu,
fueratq; libertatis populi ſtudio-
ſus, nec adeò curabat Tiberius
(Regiam majeſtatẽ apud ſubdi-
tos affectans, quandò nõ ſufficie-
bat, Principem eſſe) morte ſubla-
tum, & cum videret, filios ejus Ti-
berium ac Druſum reverenter à
Senatu coli, in carcèrem detrudi
ambos juſſit, fame necandos. Ma-
ter præ dolore animi contabuit. *Dion l. 58.*
Rumoribus vulgi accuſatus Ti-
berius velut libertatis (quæ ſen-
ſim diminuta erat) oppreſſor, ne
opus haberet per ſupplicia inqui-
rere in ſeditionis autores, ex urbe
abibat, nec unquam reverti vole-
bat, Seiano amico ſuo data pote-
ſtate, ut abſentis vices gereret. Is
magiſter crudelitatis cepit Ger-
manici favitores, vi, minis, pro-
miſſis explorare, plurimos variis
ſuppliciis exſtinxit, alios opib9 ex-
utos relegavit, tantoq; ſtudio per
annos aliquot hoc unum egit, ut
timeretur ab omnib9 civibus, nec
ab ipſo Cæſare tamen amaretur.
Hic in deſerta Inſula Gapreis de- *Tacitus l. 5*
gebat, procul ab aula, non ità pro-
cul à curia, per literas juſſa dãdo,
cumq; Sejanus multorum proce-
rum cædib9 Domino fatisfeciſſet
ultimus ipſe Domini mandato A.C.
occidebatur, projecto cadavere 31.
ad ſcalas Gemonias. Datum cri-
mini Viro, quod Druſum Tiberii
filium veneno ſuſtuliſſet, quod
conjugẽ ej9 Liviã adulterio pol-
luiſſet, quod de evertẽda Cæſaris
domo & Principatu urbis ad ſe
transferendo conſilia agitaviſſet.
Accuſati ſocietatis cũ Seiano ini-
tæ mille homines, damnabantur
cõſimili mortis genere, opib9 in
fiſcũ redactis, multi inſignes Viri

per abruptas venas animam cum sanguine effuderunt. Eligebant autem hoc mortis genus, quod ita vitæ exitus festinaretur, & deinde quod metueretur carnifex, à quo occisi non sepeliebantur, & bonis omnibus insuper mulctabantur. Qui vero sponte moriebantur, sepulturæ tradebantur, & hæredes fruebantur bonis.

Tacitus l. 6

A.C. 37. VII. Populi diris ob multiplices cædes oneratus Tiberius, decessit Asturiæ in campania, veneno quod ei dederat Macron prætorii præfectus. Successit *Cajus Caligula* filius Germanici, summo exercituum omnium studio provectus, quod patris virtutes habiturum eum confiderent. Et Senatui quidem denunciaverat, nihil se domi forisque acturum citra ipsorum consensum. Vix uno die mores Principe dignos adhibuit, mimis & scurris obnoxius deinceps, meretricem Cæsoniam thoro imposuit, à quo poculum amatorium accepit, ut in furorem versus, ridiculum, ineptum, crudelem ubique præbuerit sese. Divinos honores petebat, resectis per omnes provincias Deorum capitibus suum loco reponebat, ut unus in toto Imperio Deus CAIUS esset. Lunæ maritum se jactabat, quæ in gratiam ejus cœlo descenderet ad concubitum faciendum. Ridebant ob id eum alii, alii dementiam augebant. Gallus quidam sutor videbat Jovis habitu pro tribunali sedentem, adeoque propius inspiciens altũ ridebat. Rogabat Cajus, *quis videretur esse ipsi?* Respondebat alter, *magnus videris mihi esse nugator.* Et impune tulit ob vilitatem conditionis, cœterum proceribus non licebant ista. Lucius Vitellius Proconsul Syriæ feliciter pugnaverat adversus Parthos, huic immittebat sicarios, laudaturus potius, ut ajebat, si infeliciter conflixisset. Scilicet virtutes veras, quibus carebat ipse, oderat in aliis, attamen Proconsul de insidiis per amicorum indicia comperit, & effugit. Adfuerat ille nuper cum Principe in grabato accumbente, & quærente hoc, videretne jam Lunam sibi à latere assistentem? demiserat caput, faciem oculosque pileo obtexerat, negaveratque *se videre ista*, quandoquidem *hominum nemo Deos conspicere posset.* Drusillam, Agrippinam, Liviam, tres sorores suas construpavit, inde aula & urbe eis interdixit. Spectaculis ad insaniam delectatus, opes omnes profudit, ad quas reparandas grassari cepit nobilium virorum cædibus promiscuis.

Suetonius l. 4. Tacitus l. 6. Dion lib. 58. 59.

VIII. Descripserat Catalogum eorum quos neci destinaverat. Interim animum cepit inclarescendi bello, inque Galliam profectus, ubi hostis nullus erat conchylia ab Oceano ejecta legere jubebat, pro spoliis quæ ridiculo

Tri-

TriũphoRomæ ostẽtabat, victor Oceani Germanici. Eo reversus, sparsis libellis sive fictis sive veris, unde constabat de multorũ procerum nece procuranda, quod meliores viri essent quam expediret Cæsaris rationibus, accelerabat interitũ suum. Cassius prætorianæ cohortis Tribunus pro conservanda multorum vita adversus emotæ mentis Principem conjurabat cũ turmalibus suis, eumq; gladio confodiebat. Succedebat ipsi patruus *Claudius Drusus*, de quo vulgo dicebatur, *& senem & stultum esse*. Artes liberales didicerat olim sub Tito Livio magistro monumentis literariis ad posteritatem celebri. Senatũ colebat summa fide, captivos libertati, exsules patriæ damnatos famæ opibusq; per Caligulæ injuriã ereptis restituebat, benignus erga cives, liberalis erga milites, munera gladiatoria prohibuit, vectigalia abolevit, eruditis præmia distribuit: Per Legatos suos bella feliciter gessit. Cattos devicit Servius Galba, partem regni quod olim Arminius in potestate habuerat, ejus vero ex fratre Flavio nepos Idellus Romæ educatus Gentis suæ apud Cheruscos principatum gerebat nunc temporis, cum vicini in præsidia Romanorum invadebant. Britaños subegerunt Aulus Plaucius & Fl. Vespasianus, terra mariq; admotis copiis, ut etiam Orcades Insulas teneret ẽt. Sed has infrequenter cultas dimiserunt statim, à Caledoniis acceperunt nõ levem cladem inter densas silvas montiũque abrupta. Scilicet Princeps bonus, miles non infelix, at maritus negligens quid ageretur domi, non sciebat, nec curabat. Palaciũ in lupanare convertebat uxor ejus Messalina, Libertis & histrionibus nupta. Horũ pertæsa, Siliũ nobilem juvenem matrimonio petebat, dotem cõdicebat, repudium à Principe flagitabat, Consulatum proco, venenum Principi, offerebat. Sed gladio percussa, libidinari desiit, Princeps uxorẽ alteram duxit Agrippinã, Germanici fratris sui filiam, ejusq; filium Domicium adoptavit, quanquã propriam è Messalina filiũ haberet, Britannicum.

A.C. 40. — *Suetonius l. 5. Dion lib. 0* — *Tacitus l. 11. & 12.* — A.C. 44.

IX. Correptus adversa valetudine pergebat Sinuessam, ubi Xenophon medicus, conscia Agrippina, ei venenatos boletos apposuit, quib9 in esum assumptis moriebatur. Relatus est inter Divos, nec funeri ejus diu supervixit Britannicus, veneno forti perẽptus à *Domicio Nerone*, qui Claudio successit. Pater ei fuerat Domicius Ænobarbus, qui in nataliciis filii inter amicorum congratulationes vere prædixerat, *ex se & conjuge sua Agrippina haut posse bonũ aliquod & humano generi salutare nasci*. A pietatis & clementiæ ostẽtatione imperium orsus, magistri Se-

A.C. 44. — *Suetonius l. Tacitus l. 13.*

Senecæ amplissimas laudes promeruit. Verum descivit statim ad pessima & vanissima quæq; animum applicando, perreptando ganea, indulgendo epulis, vacãdo ludis, sæviendo in bonos quoque. Octaviam uxorem adulterii falso insimulatam, percussit gladio, ejus loco duxit Poppeam Sabinam, fœminam nobilem, cui in summa morũ formæq; pulchritudine deerat animus honestus. Namq, viventem habebat maritum suum, Salviũ Ottonem, Lusitaniæ præfectum, post Cæsariæ dignitatis compotem. Matrẽ Agrippinam, quæ volebat eum ad mores Principe dignos liberius increpando revocare, palacio ejectam, inde capitis damnatam, per Anicetum Centurionem occidebat, ipsa ultro in occursum viri properante, utq; *uterum*
A.C. *feriret* jubente, *qui tale monstrũ*
59. *exclusisset Orbis damno.* Eam ob cædem furiis agitatus parricida, magicis sacris deditus volebat manes cõciliare. Et parricidium, ne quid ad illorum temporum infelicitatẽ deesset, Senatus probabat. Pejor indies incipiebat currus in palæstra agere, citharique ludionum in morem canere. Burrhus præfectus prætorii, qui consiliis suis Rempublicã hactenus juverat, effrenem Principem detestatus, morbo an veneno finivit vitam, ei suffectus Tigellinus componebat se ad Principis mores studio impurissimo. Nec poterat æqualem sibi ferre Pallantẽ Libertũ, sed persecutus hominẽ tot annis in flagrantissima Principis gratia secure versatũ, mortis sententiã in eum pronunciavit.

X. Cum Parthis bellum gessit *Tacitus l.*
pro liberanda Armenia, quã Lu- 14.15.16.
cullus & Pompeius Imperio Romano obnoxiã fecerant, sed Parthi non una vice præliorum celeritate victores occupatã sibi arrogabant. Horum Rex erat Vologeses, qui regnum illud fratri suo Teridati fiduciario nomine tradebat. Mittebatur Domicius Corbulo Syriæ præfectus cum exercitu, suppetias ferebant Antiochus Comagenæ & Varasmanes Iberiæ Reges, concurrebatur prælio, quo victi Parthi in Mediam aufugerunt. Corbulo expugnabat Artaxatam urbem, & post ablatas opes ignibus suppositis cremabat, quia modico præsidio contineri
non poterat. Tiridates desertus à A.C.
Parthis, ultro concessit in Italiam 66.
tribus mille viris comitatus, & à Cæsare exceptus Romæ, diadema ab ejus manu capiti suo impositum solenniter gestabat, Rex Armeniæ & Romani populi amicus dictus. Res serias interpolabat Princeps ludicris, adeoq; Teridates visis illis reprehendebat Corbulonẽ, quod tam fortis vir Principi vanissimo obsequium præstaret. Hic n. virtutis omnis, vel opinione abdicata, nuptiarũ turpissimarum indicebat pompã Priapejã, & Sporũ vetulũ matrimonio sibi copulabat, unde joco dice-

dicebatur, *bene agi potuisse cũ humano genere, si pater ejus conjugem talem habuisset*. Nec quicquam ei præter calamitatem publicã placebat. Dicente quodam in ludis scenicis, *me mortuo misceatur terra incendio*, subjiciebat, *imo & jã me vivo*. Protinus incendiarios subornabat, qui urbem omnibus locis afflixerunt ignibus validis sex dierũ spacio, ipse vero in Mæcenatis turri consistens gestiebat videre tristem rerum inter fumos & flammas faciem, cantabatque habitu scenico deflagrationem Troiæ, Priam, Regis fortunam secundam collaudabat, quod superstes ille vidisset urbis excidium. Porro calumniis & rapinis animum intendebat, ac jam crimen publicum erat, divitem esse. Conspirabant Piso, Lucanus, Vestinus, Plaucius, Flavius Tribunus, ut irruptione in palacium facta confoderetur. Detegebat rem Milichus libertus, qui ferebat sicã. Affecti sunt omnes supplicio, & unà damnatus Seneca, venis incisis exspirabat. Nec tantum sontes perierunt, abusus occasione Princeps ad necem compellebat præstantissimos cives, Petronium Equitem, Corbulonem militiæ Ducem fortissimum, Thraseam. Madidus tot illustriũ virorum cruore proficiscebatur in Græciã, & ultimo experimento decertabat cum aurigis, histrionibus, mimis, prodigus adeo ut calceos mulis aureos argenteosque supponeret.

XI. Reversus in urbem Senatoribus omnibus necem denunciabat. Hi per literas impulerunt Juliũ Vindicẽ Galliæ, & Servium Galbam Hispaniæ Præfectos, ut legionibus suis contra Principem eversorem patriæ eductis vitã opesq; civium tuerentur. Parebat uterq;, sed Vindex errore quodã mentis perculsus, & de successu male ominatus gladio incumbebat, Galba tenacior propositi abraso Principis nomine ex signis inscribebat suũ. Princeps à Senatu damnatus capite, ne furcæ sub deretur vivusq; flagris concideretur, profugiebat ex urbe, vili toga indutus, pavidus totus, fulgurib9 territus, recipiebat se in hortum vicinum Sporo comite usus & fatis suis actus ad volũtariũ interitum disponebat omnia, discingẽdo vestes, acuendo pugiones. Sic vitæ extrema per angores ac gemitus trahens, cũ audiret, lictores adesse, pugione jugulum sauciavit, obiitq; prodigiosus Naturæ Deique hostis. *Suetonius l. d.*

XII. *Servius Galba*, veniebat in urbẽ, rogabantq; eum prætoriani milites, ut vellet istum militiæ gradum conservare ipsis, quẽ hactenus sub Nerone habuerant. Et postulabãt donativũ, quod Galba austero eludebat respõso *mili tẽ legere se, non vero emere*. Turbas dantes ad supplicia rapiebat, septẽ millibus occisis. Per ulit hoc animos omniũ, ut de superio um tem- A.C. 68. *Suetonius l. Tacitus l. histor.*

temporum licentia serio cogitãtes, per Italiam & Germaniam rebellarent, abrasis Galbæ signis. Exercitus Italici designabãt Cæsarem, Salvium Othonem, tunc temporis in urbe præsentem. Et prævertebat ille adventum Vitellii ab exercitu Germanico electi ut Cæsar esset. Galba desertus ab omnibus, impetu militum obtruncabatur.

Suetonius lib. 8.

XIII. *Otho* ille est, qui Poppeam uxorem suam à Nerone adamatam, lubens permiserat alterius thoro imponi, ut Principis favorem obtineret. Pressus ære alieno, militiam susceperat, quod diceret, *nisi Principem se stare non posse*. Principatum deferebant ei milites, promissis illecti, à Galba rejecti. Sed Aulus Vitellius cum tota belli mole in Italiam contendebat, eumq; bono auspicio comitabatur aquila volando. Ad Placentiam dimicabat infeliciter, poteratque Otho superare æmulum, quando fortunæ insistere voluisset, verum timidius agendo corrumpebat successum. Novissimo ad Bebriacum conflictu superior *Vitellius*, negligentiæ reum fecit Othonem, quod ipse rebus gerendis non adfuisset. Adeoque Otho cum videret, aut deponendum sibi imperium aut magna cum strage tuendũ, moriendi impetum cepit.

Suetonius lib. 9.

XIV. Incubuit gladio Princeps trimestris. Vitellius perlustrabat campum Bebriacensem, cadaveribus oppletum multis, postquam Italicæ legiones dimicaverant, & tunc sunt hæ voces ejus auditæ, *bene olere hostem occisum, melius vero civem peremptum*. Nec minus crudelior in factis quàm dictis, urbem subibat, milites Galbæ percussores exautorabat. Neroni in campo Marcio inferias dabat, auspicio diro, nam Senatus, populus, milites damnatæ memoriæ Principem ab eo laudari ægre ferebant, cumque alias vitæ probrosæ reus esset, certatim deficiebant in urbe, foris. Mucianus Syriæ & Tiberius Africæ Rectores legionibus suis persuadebant, ut Vitellio abdicato proclamarent Imperatorem Flavium Vespasianum antiquæ virtutis Senatorem, bello adversus Judæos gerendo occupatum. Tertius accedebat Antoniꝰ Mysiæ præfectus, & ducto exercitu in Italiam pugnabat cum Vitellii Ducibus ad Cremonam urbem, vincebatque, triginta millibus hominum cæsis. Sabinus Vespasiani frater intra urbem decertabat cum Vitellio, & in Capitolio conclusus, flammis injectis, quia se dedere nolebat, cum magna civium manu, peremptus est. Peracta re supervenit Antonius, captivumque Principem militum furori permisit. Hi eum scissa veste, religatis post tergum manibus, injecto cervici laqueo, ad

Tacitus l 2 3.4.

A.C. 69.

ad forum raptabant, sauciatumque multis modis demum Tiberi mergebant.

CAPUT II.

De rebus gestis Flavii Vespasiani & Cæsarum sequentium.

A.C. 70. I. SOlus Vespasianus imperio accepto melior factus est, utque se procul remotum ab improbis Principum eorum, qui hactenus Rempublicam afflixerāt, moribus ostenderet, Neronis caput in Colosso appositum demi, ejusque loco Solis discum radiis septem effigiatum reponi jussit. Cerealem Legatum suum misit in Germaniam, quæ post Vitellii discessum defecerat autore Civile Batavorum Regulo. Hic popularium suorum manu collecta omnes ad Rhenum sitas regiones diripuerat, Coloniam Agrippinam expugnaverat, præsidia Romanorum ejecerat, majora certe patraturus, nisi propediem obiisset. Sic pace reducta Pacis templum exstruxit Cæsar in urbe, reconditis eò vasis preciosis quæ Titus filius ejus, post eversam Hierosolymitorum urbem, vice spoliorum inde abstulerat. Neronis & Vitellii incendia passim reparavit impensis publicis, novasque structuras, in quibus Amphitheatrum est, adjecit, itaque collectas à privatis primoribusque exegit non leves, vectigali indicto extra ordinem quoque, vocabatque urinarium. Nec tamen carebat insidiis tam undiquaque compositi animi Imperator: namque Alienus & Marcellus, viri Consulares conspirabant de interficiendo illo, sed proditi sunt, itaque Alienus gladio percussus est, Marcellus novacula sibi guttur præcidit.

Suetonius lib. 10.

Tacitus l. 5. histor.

II. Constans in rebus gerendis, ne quidem morbo parebat, ut à publicis abstineret. Ventris profluvio decessit, & successorem habuit filium Titum Vespasianum, patris exemplo beneficum erga omnes, molestum nemini, quod proverbio diceret, *nō oportere quenquam à facie principis tristem discedere.* Scilicet, vitam Principibus ad bene de mortalibus merendum datam esse, recte censebat. Ejus tempore Vesuvius Campaniæ mons subterraniis ignibus effervescens, globos ardentes jaculatus est in vicinos agros, cineres abripuerunt procellæ in Syriam & Africam. De incendii causis explorare volebat Plinius Secundus senior, qui classis præfectus ad Misenum promontorium stabat, naviculaque adremigabat propius, sed fumo præfocatus obibat. Princeps decessit veneno à fratre dato, qui imperium sibi arrogabat. A.C. 81.

A.C. 79. *Suetonius lib. 11.*

III. *Domitianus* maturata fratris nece, Principatum corripuit, portio Neronis quē dictis factisque imitabatur, paternæ virtutis *Suetonius lib. 12.*

aut parum aut nihil habens. Tantum quod exemplo Olympicorum instituerет Agones Capitolinos, in quibus omne genus artifices certabant & quod militibus permitteret omnia. Per Legatum suum Julium Agricolam pacavit Britanniam, domuit Iverniam, navigiis lustravit Orcades. Ipsemet copias duxit, adversus Dacorum Regem Decebalum, eumque auro corrupit, ut Pannoniæ finibus excedere ac pacem dare vellet. Ob id posito Arcu triumphali, venabatur laudem. Reprehensus liberis multorum vocibus, *quod auro non ferro pugnaret*, atroces iras concipit, Senatoribus inter damnatos relatis ut interfectis illis opes fisco adscriberentur. Arcana evulgabant, qui conscii horum erant, Domicia Longina imprimis, conjux ejus, sed marito Cæsari infensa, postquam resciverat tot illustribus viris insidias positas. Hæc procuratorē suum, precio dato, incitabat, ut Cæsarē occideret. Progressus in aulam Stephanus libellū offerebat Cæsari, quem legendo attentius non observabat quid coram agere-
A.C. 96. tur, & pugione confossus exspirabat, libertorum turba accurrente, non quidem ut Dominū liberarent, sed ut vulneribus repetitis omnino perimerent.

Xiphilinus IV. Successit ei *Coccejus* Nerva, qui civibus apprime gratus erat ob mores placidos, verū à militibus contemnebatur. Erat n. provectæ ætatis, nec curabat vectigalia indicere ad explendam militum aviditatem, itaque *M. Ulpium Trajanum* Germaniæ Præfectum adoptabat, militumque ferociæ opponebat, ne Galbæ modo in re simili periret.

V. Favebat ille peregrinis cultibus, qui invalescebant passim, & cumprimis Religio à Jesu Nazareno tradita magno animorū studio recipiebatur, postquam Oraculorum vocalia responsa de- Plutarchus
siverant. Sed Trajanus superstitionum amore, comendabat Numina majorū. Erat Hispanus gēte, moribus apprime bonis, mitis erga cives, fortis apud milites, strenuus cōtra hostes, animo cūcta magna & Reipublicæ utilia cogitans. Postquā Nerva obive-
rat, invadebat armis *Decebalum*, A.C. 98.
pecunias à Romanis petere assuetū, & firmo ponte super Danubio constructo, præliis omnibus victor, edomabat Daciam, & Decebalus, ne caperetur, mortem sibi Xiphilinus
conscivit. Inde copias abducebat in Armeniam, quam Parthorum A.C.
Rex Cosroes sibi vindicaverat. 110.
Superabat hostes pugna, capiebat Nisibin, & transmisso Euphrate, subigebat Assyriam, expugnabat Arbellam, Babylonē, Ctesiphontem. Dum vero in Syriam regrediebatur, Parthici titulum accipiebat à Senatu Romano, expeditionis præmium unicū, nam pro-

vinciæ devictæ ad Parthorum Reges non multo post redierunt.

Xiphilinus VI. Cæsar equidem apparabat novam expeditionem, sed eum remorati Saraceni haut leviter affligebant. Obsidebat Petram, facta eruptione incolæ milites in castris obtruncabant, vulnerabant Cæsarem. Hic discessit cum

A.C. 117. exercitu, & hydropis morbo vexatus obiit in Cilicia, postquã adoptaverat *Ælium Hadrianum*, studio conjugis suæ Plotinæ. Ossa ejus in urna aurea Romã deportata sunt & in memoriã Principis Optimi constructa est Columna marmoria quadrata stupendæ

Spartianus molis. Cæterum Hadrianus moribus probatis, doctorum studio sus, pacis amore Mesopotamiam, Assyriam, Armeniã restituit Parthis, quia retineri non possent. Provincias obibat & pro corrigẽdis erroribus, qui irrepserãt, Salvio Juliano procurante vulgabat edictũ, de servandis legibus Romanis per universum imperium. Cum in Græcia esset, magno se affectum honore putabat, quod Eleusiniorum sacrorum Epoptes factus recta via ad cognoscenda Deorũ misteria admitteretur. Sacris magicis & superstitionibus deinceps nimis addictꝰ, Antinoum puerum, cum quo inversos amores miscebat, Nilo mersum & inter Deos relatũ, occultis ceremoniis venerabatur, ut quantum vitæ ejus detractũ fuerat, pro lucro apponeretur suæ. Jovis Capitolini delubrum condebat in ruderibus Templi Sionitici per Vespasianum destructi olim, quod Xiphilinus Judæis movebat bilem, adeoque concursu facto, nacti Ducẽ Barchocebam, qui se gentis Liberatorẽ exemplo Mosis, à Deo missũ profitebatur, armis subigebant Palæstinam, cæso Rufo præfecto, & belli sedem cõstituebant in Bethorone, munitissimo oppido, Jesu Nazareni perinde ac Jovis Capitolini hostes multa millia Christianorũ & Paganorũ occidebãt.

VII. Adversus eos profectus Julius Severus, (qui nuper in Britannia Caledonios profligaverat) velitationibus crebro actis diminuebat hostium copias, Bethoronem fame ad deditionem cogebat, Ducem pugna victum occidebat. Quingenta millia Verpa- A.C. 135. rum perierunt ferro, igne, morbis, & quicunque fuga elabi poterant, navibus in Hispaniam abierunt. Vetitum edicto, ne Judæus unquam incoleret Palæstinam, ac Hierosolymorum portis impositum est scrofæ simulachrum, ad æternum gentis perfidæ opprobrium. Cæsar ab adversa valetudine tentatus adoptabat Ælium Verum, neglecto Fusco sororis suæ filio, quem patre Severiano genitum, ipsa commendaverat, & ne molesti Vero essent, capite damnavit patrẽ ac filiũ. Ac pater quidem, senex nonagenarius, antequã gladio cervicem præberet,

 ignem

ignem popoſcit, incenſoq; thure, *vos*, inquit, *Deos obteſtor, me criminis nullius reum eſſe, Hadriano tantum imprecor, ut cum mori volet, non poſſit.* Nec tamen Verus imperium adiit morte præventus, eique Cæſar ſurrogavit Antoninum Pium, & verò prædicto Severiani eventus non defuit. Magicis artibus volebat hydropem curare, ſed aquæ creſcebant, & cum aquis dolores. Sæpè venenum aut gladium poſtulabat, componebatque emortuale carmen: *Animula vagula, blandula, Hoſpes comesq; corporis! Quæ nunc abibis in loca, Pallida, rigida, lurida,* A.C. *Nec, ut ſoles, dabis jocos.* De-
138. mum cibo & potu minus idoneis perceptis, mortem acceleravit, ſepultus in mole Adriani, quam de Pario lapide, forma quadrata ad hunc uſum exſtruxerat.

Capitolinus. VIII. *Antoninus Pius* re & nomine, converſatione amicorum ita utebatur ut à privato nihil differre videretur. Pacis ſtudioſus non commovit bella, ſed tamen mota ab hoſtibus Britannis, Mauris, Dacis, Sarmatis, feliciter per Legatos ſuos compoſuit. Scilicet, *malebat unum ſervare civem*, uti dicebat, *quam mille hoſtes occidere.* Cum Parthis fœdus inivit quos eo tempore arma Bactrianorum exercebant, ut cogerentur à finibus Imperii Romani abſtinere.
A.C. Febri deceſſit, quam avidiore ca-
161. ſei Alpini eſu contraxerat, & ſepultus eſt in mole Hadriani. Succeſſit ipſi *Marcus Aurelius Antoninus*, propter ſtudia meliorum artium *Philoſophi* cognomine dictus. Collegam deſignavit *Lucium Verum*, moribus & ingenio ſibi diſſimilem, proinde ut negociis diſtrictus ab urbe removeretur, adverſus Parthos mittebatur cum exercitu. Hi enim ſub Vologeſe Rege, defuncto Pio, compoſitis Bactrianæ turbis, in Armeniam progreſſi Servianum præfectum ad limites cum magna turmalium manu occiderant. Verus profectus in Syriam, diviſis copiis premebat hoſtes, altero Duce Avidio Caſſio in Mediam, altero, Statio Priſco, in Armeniã dimiſſo, ipſe Antiochiæ commoratus ſatis habebat, de progreſſu belli per nuncios explorare. Feliciter ſucceſſit, victi Parthi ad interiores provincias fuga ſe receperunt, Mediam & Aſſyriam deſtituerunt.

IX. Triumphus Romæ actus A.C.
eſt, ac non multò poſt Aquileiæ 169.
obiit Verus luxu enervatus Marcus deinde imperavit ſolus, moribus ſuis conſtans ſemper, ad nullam inſolentiam deflexit. Totum illud animi compoſiti regimen literis acceptũ ferebat, proſtantq; etiamnum Cæſaris hujus libri duodecim, quos ipſe vitæ ſuæ hiſtoriam compoſuit, accurate diſſerendo plurima de virtutibus principe dignis, de juſtitia, bene-

beneficentia, patientia in ferendis malis, de contemnenda morte, de tuenda societate humana, de vera beatitudine, de caussis miseriarum vitæ hujus. Bello difficilimo subegit Germaniæ populos fœderatos, in quibus præcipui erant Marcomanni, Quadi Hermunduri, Suevi, Buri. Sociam militiam pacti stationes Romanorum ad Rhenum & Albim profligaverant, inde cis Danubium facto itinere non procul Tridento ponebant castra. Occurrebat eis cum parte copiarum Helvius Pertinax, & mediocri prælio victos rejiciebat, donec cum majore exercitus vi adesset Princeps. Is considebat citrà Sudetes montes, atq; ibi repentino hostium incursu obsessus, ne quà erumperet commeatu omni absumpto periclitabatur admodum. Sed nec aquas haurire poterant, cum fontes amnesque custodirēt hostes. Itaq; malo non uno laborabant homines, jumenta, & propè aberat, ne sine cæde & sanguine debellarētur. Tunc verò legio Melitæa, in qua milites Christiani erant, ad preces conversa, exoravit Dominum Jesum, ut pluvias daret cælitus pro allevianda siti.

Xiphilinus

A.C. 174. Germani stabant in procinctu, impetu uno ab omni parte castra aggressuri, cum mixtus imbri fulminum cumulus percellebat eos, ut abjectis armis fugerent, & in fuga magnā cladem ab insequentibus Romanorum equitibus acciperent.

X. Magna hæc victoria erat, & pro indicio ejus ad posteros struebatur in via Flaminia Columna Antonina: sed Romani præter spolia nihil obtinebāt, nō ausi regiones hostium ingredi, quæ saltibus undique cinctæ difficiles aditus habebant. Dum bello Germanico implicitus quinquennio ferè aberat Cæsar extrà Italiam, & falso rumore ad urbem perlato nunciabatur diem obivisse, Faustina uxor ejus alterius amplexibus nimium assueta, gratissimum sibi *Avidium Cassium* victoria adversus Parthos celebrē per nuncios hortabatur, ut legiones Asiaticas in fidem suam adigeret, Princeps futurus. Credebat ille, vera esse quæ de Cæsaris obitu in vulgus spargerentur, obtemperabat Faustinæ, & Principem sese ferebat per Orientem. Donec verior fama nunciaret, vivere Cæsarem, & brevi cum exercitu adfuturū pro componendis Asiæ turbis. Cassius damnatus majestatis parabat fugam ad Parthos, sed in itinere comprehensus ab Antonio Centurione & in Cæsaris gratiam capite mulctatus, non respondit votis Faustinæ. Cæsar ignovit populis omnibus, qui Cassium juverant, Faustinam omnium virorum mulierem Antiochiæ morbo amisit, laudavitque sermone publi-

Vulcatius.

co, vitiis dissimulatis, consecravit templo exstructo. Monitus quondam, ut eam à thoro diverteret, negabat: *Si uxorem*, inquit, *dimittimus, reddamus quoque dotem.* Scilicet imperium acceperat interveniente matrimonio ejus.

XI. Ultimum bellum gessit cum Rossis, qui per Danubium glacie constrictum excursionibus factis depopulabantur Mysiam. Prælio vicit, inde ne plura ageret, morte præpeditus, quam Medicorum potiones venenatæ accelerabant. Quod de Romulo ægrè creditum est, omnes pari consensu præsumserunt, *Marcum Aurelium cœlo receptum esse.* Successit ei filius *Aurelius Commodus*, incommodus totus, quod equidem sciebat pater, verum connivendo, apud milites procurabat ei Imperium, & Curatores adjungebat Senatorii ordinis viros, quorum salubri consilio regeretur. Commodus rejectis illis, dona militibus largiebatur, horum ope contrà Senatum firmaturus potentiam suam, Perennem designabat præfectum prætorio, virum sævum & implacabilem, qui Principis instar omnia regebat, Princeps ipse vagabatur per ganea, & publicis deditus ludis, cætera omnia quæ domi aut foris gerebantur, securus de exitu negligebat. Legatorum suorum industria feliciter multa perfecit. Helvius Pertinax debellavit Germanos, Marcellus damno ingenti affecit Britannos, Clodius Albinus prælio vicit Frisios, postquam illi in Gallias prædandi causa excurrissent.

A.C. 180.

Herodianus lib. 9. Lampridius.

XII. Perennis in urbe cædibus nobilitabat famam nominis. Senatores plurimi capite luebant, postquam eos fama sive vera sive falsa conscios traducebat rebellionis funestæ, quam Lucilla Principis soror excitaverat, pertæsa morum fratris undequaque pessimorum. Hic enim alius quivis, quam Princeps, id quod erat, videri cupiebat, gladiator, auriga, mimus, catillo, ludio, meretricũ affectator, habitu mulierum incedebat palam, & curiam adibat. Officia & munia publica auro locabat, criminum verò sociis, ne ipse criminosus unus omnium sermonibus vapularet, mutabatque eadem per horas & dies infidus Censor, ut intrà unius anni decursum viginti quinque Consules removerentur & nominarentur. Provocabat lanistas, & cum multos ferire veritos Principem, audacior ipse malè excepisset, demum à Germano quodam, Majestatis reverentia non admodum ducto, ad sanguinem & vulnera cædebatur. Hoc tamen tempus Principatus sui *Seculum aureum* vocabat, funestabat verò seculum illud tanta pestis, ut multa millia consumerentur morbis, & Cæsar porrò

inter

inter ista hominum cadavera assumebat cognomina Pii, Felicis.

XIII. Maternus lattonum ductor in Hispania res novas tentabat, sed maturè pulsus inde veniebat mutato habitu in urbem, seq; sociosq; aliquos prætorianis miscebat, ut Principem occideret: proditus ipse & in crucem actus insidias non perficiebat. Invidebat latroni gloriam facinoris ejus Helvius Lætus prætorio præfectus, (nuper surrogatus Perenni ob ambitus crimen interfecto)
A C. quod ipse unà cum Marcia pelli-
192. ce meditabatur, venenum præbiturus Principi. Et successit, venenum à Principe haustum concitabat ei dolorem alvi, ignarus ille quid secum ageretur, minax provolavit in palæstram, ubi aderat Narcissus Lanista conscius funesti consilii, dumq; Cæsarem luctando exercebat, nemine advertente, manu injecta collo, spiritum ejus elidebat.

Herodianus l. 2. XIV. Lætus deferebat imperium *Helvio Pertinaci*, amico ve-
A.C. teri, & rebus in Germania gestis
193. clarissimo, cõsisus quod magnas ab eo vellet impetrare opes. Sed hoc frustrà erat, adeoque militibus prætorianis persuasit facilè, ut Principem erga cives benignum, quos vectigalibus onerare nolebat, in foro missilibus hastis confoderent. Inde ad castra reversi venale imperium turpissima auctione prostituebant, & *Didio Iuliano* Vigilum præfecto *Spartianus* addicebant, postquam ille eos promissis aureis oneraverat. Princeps animo segnis, otio & luxui deditus, initium ominosum habebat, dumque sacra parabat, meridie videbantur stellæ duæ circa Solem. Populus infensus ei ob imperium venalicium, unum ipsum repudiabat, cæterum de adsciscendo Principe alio non erat omnium idem sensus. Nominabantur *Pescenninus Niger* Syriæ, *Severus* Germaniæ, *Clodius Albinus* Britanniæ præfecti, omnesque illi Principis titulum eodem tempore militum suorum vocibus impetrabant. Severus urbi vicinior primus iter ingrediebatur, cumque Juliano ad pontem Milvium præliatus milites prætorianos luxu dissolutos facilè profligabat. Lætum præfectum accusabat Princeps ob id proditionis, atque gladio percussum merito afficiebat supplicio, quia Pertinacem neci dederat. Mox ipse Princeps à lictoribus obtruncabatur in palacio, caput Severo oblatum est.

CAPUT III.
De rebus gestis Septimii Severi & Cæsarum sequentium.

I. SEverus pacata urbe transibat cum exercitu in Asiam, ut Pescenninũ Nigrum, veterem suum *Herodianus lib. 3. Spartianus*

ſuum in Gallia commilitonem, ob correptum Orientis imperium, armis perſequeretur. Victoriis duabus ad Cizycum & Nicomediam potitus, duces Nigri fugabat, Aſiam minorem ſibi adjungebat, nec non Syriam, quod Nigro omnem rei bene gerendæ occaſionem ademit. Stabat ille citra montana Tauri, munimentisque caſtra ſua obvallaverat, hoſtem arcendo, pugnaturus tunc demum, cum Parthi fœderati copias ſuas expediviſſent. Interim Maurorum turmas emittebat ad devaſtandos Syriæ agros, qui Tyrum urbesque alias incendebant. Mox imbribus continuis mixti venti cum impetu deſtruebant munimenta Nigri, & coactus ille pugnabat cum Severo ad Iſſum, inferior acie fugiebat Antiochiam, ubi gla-
A.C. dio cæſus periit. Sero demum
194. accurrebant Parthi, & vero ne
hac vice etiam cum illis confligeret Severus, propiorum rerum cura ductus eſt. Albinus per Britanniam & Galliam Cæſar verſus urbem movebat. Ei occurrebat citatis maxime itineribus, ne pedem in Italiam inferret, & apud Lugdunum acie ſtructa pugnabat, initio dubio, exitu funeſto. Albinus telo percuſſus exſpirabat. Severus cum extenuatis copiis redibat in urbem terribilis victor, Senatores civesque levibus indiciis, quod Nigro & Albino faviſſent, compertos occidebat. Supplementa nactus ducebat in Syriam, ubi Parthis vix poterat reſiſti, præſidiis in clade Nigriana valde nudatis.

II. Acri progreſſu uſus depo- A.C.
pulabatur Meſopotamiam & Aſ- 200
ſyriam, divitesque præda milites per Syriam & Ægyptum diſtribuebat. Bellator invictus, agebat Romæ, quæ volebat, filiosque ſuos Getam & Caracallam ſucceſſores in imperio militibus commendabat, populo viritim plurimos aureos donabat, Senatores minis opprimebat, qui tamen in honorem ejus Arcum Triumphalem ad radices Capitolii exſtruebant. Filii moribus & ſibi invicē, & patri diſſimiles, laborū non tolerantes, ocio & arrogantiæ addicti, Geta vero etiam mitis animi, Caracalla ferox & truculentus, multa perverſe in urbe agebant. Pater volebat mores eorum, ſi poſſet fieri, aliter formare, adeoque ſecum abducebat in Britanniam, ut laboribus quotidianis occupati, male agere dediſcerent. Diſplicebat Caracallæ, qui ſe paterno exemptum imperio ſtatuebat, poſtquam Cæſar hæres declaratus fuerat volebatque illum gladio ferire paucis ſatellitibus cinctum. Videbat pater nudum gladium, ſed connivebat, non multo poſt Eboraci de- A.C.
functus relicto apud bonos mul- 211.
tos, ſui deſiderio, qui vocibus

pu-

blicis jactabant, eum vel nunquam vivere vel nunquam mori debuisse.

Herodianus l. 4. III. Dederat filiis pervolvendam orationem Micipsæ Afri, quam descripsit Salustius, argumento eo ut concordia servaretur: verum prætulerunt illi discordiam. *Caracalla* impatiens consortis, *Getæ* parabat insidias, demum per centuriones suos occidebat confugientem in matris Juliæ amplexus, ut deprecante illa vitam conservaret. Ac mater sanguine filii respersa querebatur super cæde innocentis Principis tantisper, donec Caracalla nuptias ejus ambiret, in quas consensit oppidò parricidii recentis oblita, *quoniam liceret Principi quod liberet, velut qui leges da-* *Spartianus* *ret, non vero acciperet.* Aliter factum Papiniano Jurisconsulto, à quo postulabat Cæsar, ut parricidium in frequenti concione excusaret, derivando culpam omnem in Getam fratrem. Recusabat ille justitiæ plurimum tribuens, de Principis favore non curabat, quamobrem in carcerem ductus & securi percussus A.C. est. Odio populi vexatus, cives 212. omnium ordinum viginti mille interfecit, porrò in Asiam contendit, præmissis ducibus ut versus Euphratem iter dirigerent, ipse in Germaniam abiit, devicitque Allemannos ripas Mœni obsidentes, ut provincias Rhenanas diripere possent. Nec minus feliciter in Oriente agebat. Regem Mediæ intercepit dolo, Parthos armis devastavit, captis Arbellis, stativa promovit ad Carras, ubi lemuribus agitatus, de placandis Getæ Manibus plurima conabatur, evocatis per sacrificia magica umbris, inter quas Commodi Principis hoc responsum dabat, vade ad pœnam.

IV. Dixerant Planetarii Mauri, ad imperium perventurum *Opilium Macrinum.* Erat ille præfectus prætorio, dudum Principi infensus ob interemptum fratrem ejus, ordinis Senatorii virum, & vaticiniorum fiducia permotus occasionem quærebat interficiendi Principem. Ergo cum A.C. ille naturam purgabat, remotis 217. custodibus, adacto per aversum pugione confodiebatur. Cadaver delatum est Antiochiam, quo conspecto Julia sibi quoque mortem conscivit. Macrinus pacem *Herodianus l. 5.* dabat Parthis, ignobilis Princeps & militum paucorum votis sub- *Capitolinus.* nixus itaque Eutychianus Caracallæ libertus concitavit adversus eum legiones validiores, ostentando *Elagabalum*, Caracallæ, ut ajebat, filium, prælioque superatum Macrinum in Cappa- A.C. docia obtruncabat una cum fi- 218. lio Diadumeno. Asperius ille egerat cum militibus in stativis, quàm orienti fortunæ expediret.

Herodian. l. d. Lamprid.

V. Elagabalus matre Soemide natus, patre incerto spurius, vitæ impuræ, fœdo exitu finivit. Solis sacerdotio initiatus apud Hemissenos, nec Paganus, nec Judæus, circumcisus more Syrorum, carne suilla abstinebat, Principis habitu rejecto, vestitu sacrificiali gaudebat usque. Cum veniebat in urbem, præpostere gerebat omnia, Bahalem Deum suum Phœnicico ritu colendum obtrudebat populo, victimas è pueris ingenuis offerebat, & Deo Viro copulabat Uraniam Pœnorum Deam, nuptiis toto Imperio indictis, ut molesto nimis luxu impleret omnia. Pax erat ubique, & de Parthis nuncio certo constabat imprimis, civilibus turbis occupatos ad turbanda aliena haut satis virium habituros. Interim Sacerdos-Princeps deliciabatur more Caligulæ, matremque Soemidem, communem meretricem, donabat Consulatu, Senatu ejusdem sexus indicto ad montem Quirinalem, ut de publicis rebus deliberarẽt. Prandebat cristas gallorum, linguas pavonum, ova perdicum, cerebella turdorum, capita struthionum: floribus, croco, violis aggerebat palacium, nardo fluebant cuncta. Sæviebat pariter, cum Senatores epulis exceptos primo, deinceps, ut bellaria caperent, objiciebat feris aut mergebat aquis. Vestales corrumpebat, sacra profana secundum instituta majorum vilipendebat, cervis ac leonibus mansuefactis ad currum junctis vehebatur, uti Liber Pater & Cybelle Deorum mater. Suasu matris, quæ sibi timebat, adoptabat consobrinum suum *Alexandrum*, justum & fortem Principem.

VI. Et tamen optimo Principi non semel destinabat percussores, quos ille evitabat semper, ac prætorianorum implorabat patrocinium. Elagabalo prædixerat Syrus quidam Planetarius, habiturum eum vitæ exitum miseriæ plenum. Et vero ille, non aliter quam si mortis genus in potestate sua haberet, præparabat in eventum laqueos sericos, pocula gemmea, ut penderet eleganter, biberet venenum magnificè. Neutrum illi contigit, quandoquidem gregarii milites noctu eum jugulatum, sordido laqueo pervicos urbis raptabant, & Tiberi demum mergebant, adjecto saxi pondere, ne unquam emergere posset. A.C. 222.

VII. Alexander Severus dictus, quod erga cives comiter ageret, sed militum vicia suppliciis corrigeret. Hoc enim promulgabat edictum: *Si vis Tribunus esse, imo si vivere vis, manus militum contine, nemo segetes atterat, nemo salem, oleum, ligna rapiat, nemo ovem prædetur, annona sua miles contentus esto, ex præda hostium, non ex lacrymis*

Herodianus l. 6. Lampridius.

mis provincialium opes sibi compa-
ret. Ad rem illam perficiendam u-
sus est opera Domicii Ulpiani
prætorio præfecti, severi militari-
um culparum exactoris, verum
hunc per seditionem de palacio
A.C. exigebant milites & in Principis
226. conspectu obtruncabant, eo
tempore fere, quo Oriens novis
motibus collidebatur, Artabano
Rege Parthorum occiso, post-
quam non uno prælio decerta-
verat adversus Artaxerxem Per-
sam nobilē. Hic Artaxerxes cor-
repto Orientis Imperio veteres
contentiones de Armenia & cœ-
teris ad Euphratē sitis provinciis
renovabat, præsidia Romanorū
cædebat. Severus occurrebat ei
in Media, pugnæ cupidus, quam
recusabant hostes, itaque Roma-
ni in terris desertis cum fame nō
leviter conflictati excesserunt in-
A.C. de, ut hyberna caperent in Syria.
234 Veris initio denuo educebat co-
pias, & in Mesopotamia collatis
signis vincebat, trecentis Ele-
phantis captis, aut peremptis.

VIII. Pax facta est ea lege, ut Me-
sopotamia populi Romani pro-
vincia esset. Porro abibat Cæsar
in Germaniam, ubi hostes latissi-
me vastabant Galliā & Pannoniā
Sed milites Gallicani, qui & fuga-
ces & furaces erant, convicti ma-
gnæ insolentiæ & armis mulcta-
ti Principem eligebant *Iulium*
A.C. *Maximinum* Thracem, & Se-
235. verum cum familiaribus omni-
bus in castris prope Moguntiam
trucidabant. Imperabat Maxi- *Herodianus l.7.*
minus, non requisito prius Sena-
tu, devastabat Germaniam & *Capitolinus*
non procul à mari Suevico ab-
errant palantes cohortes ejus, cum
de insigni triumpho in urbe du-
cendo, commonefaceret Sena-
tum, qui mores Viri truculentos
bene noverat, neque Principem
illum admittere velle videba-
tur.

IX. Maximinus in Pannonia
dispositis rebus iter versus ur-
bem ingrediebatur. Senatus quæ-
rebat ei hostes undique, & primi
ab eo deficiebant milites Numi-
dici, eligendo Principem *Mar-*
cum Antonium Gordianum. Hic A.C.
filium suum Gordianum assume- 236.
bat Imperii collegam, sed invi-
debat ei *Capellianus* Mauritaniæ *Capitolinus*
Præfectus, à quo victus prælio fi-
lius & interemptus est, pater or-
bitatis dolore motus, quodque
videret, nihil virium in exercitu
suo esse, laqueo vitam finiebat.
Senatus comperta re, ordinis
patricii Imperatores duos cre- *Herodianus lib.8.*
abat, *Maximum Pupienum* &
Clodium Balbinum. Tunc de-
mum ausus Maximinus pro reti-
nendo Principatu Senatui aper-
tum bellum indicere, superatis
Alpibus castra ponebat ad Aqui-
lejam urbem, quæ illi portas
claudebat fiducia auxiliorum à
Senatu in propinquo depositorū,
nāq; Maximus Ravennis cōsulta-

bat de progessu, refractis ubique pontibus, ne commeatus ad Maximinum conveheretur. Ita exercitus ejus maxima fame affligebatur, & verò urbs remorabatur iter versus Romam, plurimisque capite constabat, quod non potiretur illa. Princeps ipse ob sævitiam exosus omnibus, cum meridie somnum oppetebat, in tentorio confodiebatur à militibus, qui patriam vovebant salvam esse.

Capitolinus. X. Prætoriani occiderant præfectum suum, qui Maximino constanter adhæserat Senatui infensus, postquam ille Cæsares designare voluerat. Deinceps pœnitebat eos facti, adeoque concursu audaci ignes miscebant domibus, incendio absumpturi urbem, nisi Princeps aliquis militaris ordinis crearetur. Aderat

A.C. 238. coram *Gordianus* nepos, qui patrem avumque nuper in Africa infelici casu amiserat, hunc furenti militi commendabat Senatus, ac placuit omnibus ut Princeps esset. Pupienus & Balbinus perseditionem in ludis Capitolinis occidebantur. Gordianus matrimonio ducebat filiam Misithei, Patricii expertæ virtutis, eumque socerum suum constitue-

A.C. 241. bat præfectum prætorio. Sapores bellicosus regnabat in Persia, qui Mesopotamiam repetebat armis, Syriamque depopulabatur. Eum præliis multis vincebat Princeps summæ indolis, Carras & Nisibin defendebat. Misitheus una cum Principe insignem gloriam militarem meruit, cujus consilio victi hostes, pacis leges honestas acceperunt. Obiit non longe post veneno, ac locum dedit *Marco Iulio Philippo*, ambitioso & fraudulento viro, qui militum favore in Principis fraudem abusus stipendia lente procuravit. Milites putabant, culpam hanc Principis es- A.C.

se, adeoque in castris obtruncabant eum, ne quidem suspicione 244. conjurationis præbita. Solum, ut hoc facinore potentiam suam ostentarent, quod Principes facere ipsi & eosdem tollere possent.

XI. Philippus inivit pacem *Eutropius* cum Persis, eisque restituit Meso- *lib. 8.* potamiam. Domi segnis, celebrabat ludos seculares in honorem Deorum omnium. Ei bellum fe- A.C. cerunt Gothi, qui Danubium 248. transiverant, perductisque ad se in communionem prædæ militibus limitaneis, damna maxima intulerant. Contra eos Princeps mittebat *Cn. Messium Decium*, & vero limitanei, ut patronum causæ adversus Principem haberent, Decio Principatum offerebant. Quod illi displicuit initio, perque nuncios excusabat apud Philippum, sed hic non fidebat. Pergebat Veronam, ut advenientes sedicionsorum turmas commodo

A.C. modo loco opperiretur. Mox ſa-
250. tellitum manu occiſus eſt Veronæ. Decius apud Senatum facile impetravit conſenſum, quem plena cum poteſtate regendi civitatem poſt tot Principes unus ipſe exaltaverat, redditis Conſulatus, Tribunorum ac Cenſuræ ſuffragiis. Daciam liberavit à Gothorum expilationibus, cæſis prælio triginta millibus, cumque pacis leges nihilominus repudiarent, attractis in caſtra Roſſorum & Alanorum copiis, perſequi eos volebat Princeps, aſſumpto in militiam *Gallo Treboniano* Daciæ præfecto, viro infido, à quo pro-
A.C. ditus hoſti & in paluſtribus locis
251. moto certamine deſertus, improſpere pugnabat, ipſe voragine merſus eſt, ut cadaver ejus ad ſepulturam deinceps reperiri non poſſet.

Eutropius l.d.

XII. Trebonianus ab exercitu, qui non habebat Principem, eligebatur Princeps, & Barbarorum immenſis agminibus circumdatus, ne omnino deleretur cum paucis legionibus ad confinia Daciæ relictis, pacem hoſtibus dabat, quotannis certam auri ſummam tributi loco pendere juſſus. *Æmylianum Maurum*, virum ſtrenuum Daciæ præficiebat, ut de conatibus hoſtiũ porro ſpecularetur, ac illi cum mercenariis ſuis non ſatis bona fide largirentur portionẽ manubiarũ, impulerunt eos ut novis tumultibus commoverent Macedoniã, Theſſaliam, Græciã. Dum Princeps Romæ ocioſus agit, urbẽq; ſæviſſima peſtis affligit, foris arma ſtrepunt. Perſæ in Syriam excurſione facta expugnabant Antiochiam. Æmylianus ad fortiter pugnandum cohortatus milites ſuos, fore ſcilicet, ut poſt obtentam victoriam donativum ingens acciperent, diſtributo inter eos auro, unde Barbaris ſolvere- A.C.
tur tributum, tam feliciter debel- 253.
labat hoſtes, ut finib9 Imperii ejecti ad deſerta ſua redirent. Princeps ob victoriam deſignatus in Italiam contendebat, ei occurrebat Trebonianus, ſed pugnare non poterat occiſus Interamniæ.

Zoſimus lib. 1.

XIII. Æmylianus datis ad Senatum literis pecuniam & ſubſidia rogabat, quandoquidem Perſæ hactenus diriperent Aſiam, & veteres legiones in bello Gothico non levi detrimento affectæ eſſent. Parebant ei milites Aſiatici, verum Germanici denegabant obſequium, eligendo *Publium Licinium Valerianum* Principem, virum nobilem notiſſimum quoque ob virtutis ſtudium, Italicis legionibus. Et cum hæ non delectarẽtur bello civili, occidebant Æmylianum in caſtris. Valerianus ſublato æmulo, *Licinium Gallienum* filium, Senatu approbante, Collegam accipiebat. Hic cum Succeſſiano Daciæ præfecto in Græciam profectus Go-

Zoſimus l.d.

thos pepulit. Interim Sapores Persiæ Rex victoriis Orientem peragrabat, & Romana præsidia ubique cædebat. Valerianus adventus sui rumore fugatum eum persequebatur in Mesopotamiam, ubi hariolorum & magorum suasibus obnoxius factus, Acheronta movebat, Diabolorum responsa quærendo, sacrificia ex hominum genere offerendo, belli successum augurabatur. Portendebant lætum, itaq; congressus prælio, victus, captusq; A.C. 259. inter Barbaros ignobili servitute consenuit, Sapori cum is vellet equum conscendere, dorsum pro scabello supponendo, oculis mulctatus, demum cute detracta conspersus sale miserrimè vitam finivit.

Trebellius Pollio. XIV. Eum infelici mortis genere defunctum inter Divos retulit filius *Gallienus*, decoctor Imperii, quod velut patrimoniale acceperat. Senatui placebat unicè, quando multa illi permittebat, ipse curam imperii deponebat omninò, meretricibus, epulis ac ludis assiduè deditus. Provinciæ defecerunt, ut quot præfecti fuerant hactenus, tot deinde essent Principes, militum suffragio creati. Numerus excrevit ad triginta Tyrannos, quorum aliqui conflictibus perierunt, sed plurimi robur à successibus nacti, defendebant imperia sua adversus Barbaros, quos auro placare tentaverat Princeps, negligens armorum quæ abunde suppetebāt in ista concordi discordia. Suos principes habebant Gallia, Hispania, Italia, Syria, Dacia, Ægyptus, Britannia, Pannonia, Germania, Africa, Græcia, urbis Principatū Gallienus habebat, quam ipsam tamen ei facilè potuisset eripere Flavius Claudius, nisi fidem propria utilitate antiquiorem duxisset. Gothi devastabant Thraciam & Macedoniam: Rossi per Euxinum pontum delati in Bithyniam opulentas Asiæ minoris urbes capiebant, Ephesum incendebant, ablatis prius de templo celebri maximis opibus: Germani infestabant Pannoniam & Galliam: Siciliam vexabant cōspirationes servorum adversus heros suos.

XV. In Principibus illis, quos militum licentia fecerat, eminebant Posthumus, Odenatus, Aureolus. Et Gallias quidem invadebat *Posthumus*, magnis Francorum & Celtarum auxiliis confirmatus. A.C. 261. *Odenatus* Palmirenorum Regulus Iberorum & Arabum societatem pactus, cum Sapore Persa fortiter congressus, pulsum illum è Mesopotamia & Armenia longè in ultimas terras fugavit, Ctesiphontē diripuit, captivosq; hostium Duces Gallieno obtulit. Qui non ineptus virtutis æstimator, alienam gloriā felicitati suæ adscripsit, & Triumphū egit, victori hoc insuper contulit, ut forti-

titu-

titudinis præmio accepto, voce Principis renunciaretur Imperator Orientis. Tam nobilem Regulum occidebat satelles Mæo-
A.C. nius, & succedebat *Zenobia* vidua
266. galeam ferre, armisq; pugnare in acie dudum assueta. Debellabat Saracenos magno cum orbis applausu, quod mulier virilis animi defenderet Asiam, ocioso spectatore harum rerum Gallieno, velut sexum mutavisset.

XVI. *Aureolus* obtinebat Rhetiam & Pannoniam, demum illectus Gallieni socordia, Romã versus ducebat exercitum. Gallienus verbis multis persuasus à Flavio Claudio, ut in bellum contrà sediciosos proficisceretur, exibat urbe, & conflictu apud Tusculum acto vincebat. Aureolus profugiebat Mediolanum, neq; Gallieno dedere volebat urbem. Ergò Princeps obsidione cingebat eã, detentis multo tẽpore castris, cũque nulla expugnandæ urbis munitissimæ spes erat, militesq; consumebantur morbis, præfecti legionũ Heraclianus & Macrianus conspirabant in exitiũ Principis,
A.C. datoq; auro permovebãt Cecro-
268. pium spiculatorem, ut nocte somno pressum confoderet. Ita finiebat Gallienus, & Tyrannorũ concertationes vi armorum componẽdas dimittebat ad successo-
Trebellius Pollion. rem suũ *Flavium Claudium*, Principẽ impigrum. Hic novo prælio congressus cum Aureolo, vicit & captivum hostem interfecit. Goti & Rossi cum mille navibus & trecentorum millium exercitu superaverant Danubiũ, putabantque in turbis illis facilè obtineri posse Daciam ad colonias deducendas. Verum Claudius duobus præliis eos ita afflixit, ut multa millia Danubii aquis mergerentur, captivorum innumera turba per Italiã venundaretur. Germanorum copias ad Benacum lacũ profligavit, submissas à Tetrico ad distinendas Cæsaris vires, ne ille post devictos Gothos in Galliam expediret, nondum hactenus cum Imperiò unitam. Zenobia Orientis Regina pacem honestam cum Sapore fecerat, & verò ne milites segnescerent, Ducem Zabadam miserat cum exercitu in Ægyptum, quam Timagenes præfectus citrà experimentum armorum tradebat. Zabdas imponebat civitatibus præsidia, eo in Syriam reverso, Probus Cæsaris navibus instructus accurrebat, & Pelusium expugnabat. Sed in obsidione Alexandriæ parum cautus rerum suarum opprimebatur à Timagene, qui Zenobiæ fidem juraverat.

XVII. Claudius peste correptus A.C.
decessit Syrmii. Ejus frater *Au-* 270.
relius Quintillus cum prætorianis agebat de invadendo Principatu, sed plurimi *Domitium Aurelia-* *Trebellius*
num præferebant. Quintillus spe *Pollion.*

sua

sua dejectus mortem sibi consciscebat Aquileiæ.

CAPUT IV.

De rebus gestis Aureliani & Cæsarum sequentium.

Vopiscus, Eutropius lib 9.

I. A*Vrelianus* sub Flavio Claudio ordinum Ductor, prospere multa gesserat. Marcomanni cum exercitu numeroso in gressi Italiam, Romanas legiones ad Placentiam cædebant & opimos Insubriæ agros devastabant, propterea Romæ excitata seditio, & culpa imputata Cæsari, qui hostium vires negligentius exploravisset. Cæsar expletis legionibus, libros Sibyllinos dudum nullius precii æstimatos consulere jubebat, obsistebant plurimi vanitatis ejus non imperiti censores, veruntamen libris illis perlectis dicebant Augures, in fatis esse ut vincant Romani quandò vir spectabilis caput suum pro salute exercitus devoveret. Ergo Pompo- A.C. 271. nius Bassus, qui tunc Consul erat, obtulit sese pro populo, & Princeps iterato prælio hostes profligavit, inde victor Romam in gressus, disciplinam castrensem permiscuit civilibus judiciis, & quoscunque de libris Sibyllinis malè dixisse observaverat capite mulctavit. Hac severitate effecit ut timeretur potius quàm amaretur, itaque vulgi criminationibus subducens sese, discedebat ab urbe, gesturus bellum cum Zenobia Orientis Regina. Ad limites Asiæ occurrebant ei Gothi, quos velitatione fregit quidem, sed tamen Daciam eis permittere coactus est, postquam edicto avocaverat cives Romanos, ut Dacia relicta habitationem suam caperent in Mysia. Porrò adveniebat in Syriam, & prælio ad Hemissam urbem superior, fugabat Zenobiam. Hæc Palmyræ mœnibus defendebatur, non sine magna clade exercitus, qui eam obsidebat. Etenim frequentibus Persarum & Saracenorum irruptionibus multa millia deleta, ut Cæsar necessitate in virtutem versa, assultibus crebris mœnia superaret. Zenobia captiva mittebatur Romam, & Princeps insecutus in Ægyptum deflectebat agmen, ubi Firmus per rebellionem sumpserat Principatum. Cæsus per milites, finivit, restituta Ægypto in potestatem Principis, qui eadem opera Tetricum debellabat, ut Gallia reddita, penes Zenobiam in triumpho duceretur.

II. Dum parabat expeditio- A.C. 275. nem contrà Persas, & militum cohortes ordinabat Bysantii, Mnestheum scribam pecuniæ interversæ reum ad supplicium damnabat. Hic forte secum habens schedam Principis manu

ejus nomen subscriptum habentem, catalogum inde efficit damnatorum aliorum, inter quos castrorum primores falsarius retulit, vulgavitque, ut Principem optimum per sicarios occidere vellent. Cæde peracta dolus emanavit, & Mnestheus in crucē actus est. Senatus judicio Principatum consequebatur Claudius Tacitus, qui Rossos mediocri prę lio devincebat ad paludem Mæotidem. Cum pro ordinandis rectius Asiæ rebus, præsidia lustrabat, decessit febri, non sine veneni percepti suspicione, quandoquidem Princeps à Senatu electus non placebat militiæ Rectoribus. Fratrem habebat *Annium Florianum*, qui apud exercituum reliquias Principis titulum studiose captabat, verum negligebant illum, & *Aurelium Probum* notæ virtutis Ducem præferebant, unde Florianus dolorem tantum percepit, ut venis incisis moreretur Tharsi.

Zosimus l. 1.

A.C. 276.

III. Probus expurgavit Tyrannorum superstites, inter quos *Proculus* Galliam, *Saturninus* Ægyptum, *Bonosus* Germaniam periculosis factionibus impleverant. Cæsi omnes provincias Imperio restituerunt. Ita viribus auctus contendit in Asiam, profligat latronum turmas in Pamphylia, Persas metu implet ne Imperii fines excursionibus vastarent. Sarmatarum centum millia in Thraciam & Pannoniam deducit ut colerent agros & Imperii fines tuerentur adversus Barbaros. Legibus iisdem obtinebant Franci ut partem Thraciæ habitarent, verum hi abrupta fide cum validis turmis in Græciam excurrebant. Hos ejecit solo, reversisque illis ad patrios lares, nusquam bellum, ubique gentium pax erat. Proinde Cæsar, ne milites annonam citra laborem perciperent, jubebat illos armis positis ligones ac pastina capere, agros steriles ad fertilitatem redigere, vineas fodiendo excolere, aquas in uliginoso tractu corrivare. Hoc modo Pannoniam frugibus ac vineis, non intermorituro beneficio ad posteros, commodissimam effecit. Sed ne perinde in vicinis regionibus conaretur, militum impetu obtruncabatur Princeps virtute nemini secundus. Ei successit *Aurelius Carus*, Princeps strenuus, qui milites ad arma denuo convocavit, Persarum tumultibus in Mesopotamia obviam iturus. Dum ibi Barbaros intestinis motibus laborantes novis insuper cladibus afficiebat, pacem valde utilem extorsit. Castris positis ad Ctesiphontem, oborta tempestate inter fulgurum jactus exanimatus accepit successores, filios duos, Carinum & Numerianum. Major natu *Carinus* præfecturam

Vopiscus.

A.C. 282.

Vopiscus.

Galliæ administraverat hactenus, non ea, qua par erat, fide, itaque nobilissima provincia Bagaudarum latrociniis repleta est. Minor *Numerianus* patrem secutus fuerat in expeditione Persica, doctus apprime & Reipublicæ studiosus. Eum lectica pro more conclusum (ad prohibendos Solis radios, quia lippitudine oculorum vexabatur) socer ipsius Aper interficiebat, nemine conscio, ut Principatum invadere posset. Verum milites Apri fastidio eligebant *Aurelium Diocletianum*, antiquum in militia Ducem. Hic prodita re capitis damnabat Aprum latronem, eventu vero, quandoquidem Alruna prædixerat ei, *tunc Principem futurum, cum occidisset Aprū.* Carin9 nec patris nec fratris virtutes imitabatur, optimo cuique molestus & libidinosus, Diocletiano bellum indicebat, nisi Principis titulum deponeret ultro. Prælio decertabant in Pannonia, & cum fugientes turmas victor Carinus avidus magnæ cædis premebat, Tribuni sui manu, cujus uxorem adulterio polluerat, interficiebatur, in stativis ad Murciam.

Vopiscus.

IV. Diocletianus adscivit Collegam *Maximianum*, qui Bagaudas è Gallia profligavit. Magni toto Imperio & periculosi motus erant quos fovebant partium Duces, aut concitabant vicinæ gentes. Itaque pluribus Assertoribus etiam Respublica indigere videbatur, & duo Augusti totidem Cæsares per adoptionē assumebant, *Galerium Maximianum* & *Constantium Chlorum*. His ducibus pugnabatur adversus Barbaros, Galerius ducebat in Mesopotamiam, ubi Narses Persiæ Rex veteres fines loco moverat, cumque nimis præpropere hosti conflictū poscenti sese objiceret, victus ad Carras legiones meliores perdebat, ipse fuga evadebat in Syriam.

Eutropius lib. 9.

Eutropius l. d.

V. Diocletianus comminabatur supplicium quo temeritatem lueret, nisi meliore occasione usus cladem hosti regereret. Utque posset, addebat exercitui ejus legiones Pannonicas, virtutis induratæ. Obtentis illis redibat ad Euphratem, & pugna cruenta vincebat Persas, Rex ipse excessit acie saucius, magnæ opes ablatæ sunt, Assyria in provinciam redacta est. Pari cum successu in Germania pugnabat Chlorus. Ejus castra in Lingonibus, hostes per concretum glacie Rhenum irruptione facta adorti, plurimos milites occiderant, alios fugaverant, sed cum prædæ magis quam justæ pugnæ sustinendæ intenti essent, Princeps cum novo exercitu adveniebat, cæsisque prælio sexaginta millibus viris, securitatem Galliæ finibus præstabat. Victoriæ monumentum condebatur

A.C. 297.

Spi-

Spira urbs, emeritis pro colonia deductis, ut eo pluribus clauſtris Rehnus firmaretur.

VI. [Principes egerunt Triumphum, & à devictis Barbaris mores inſolitos petendo, Reges Regum, fratresque Solis ac Lunæ, præconum vocibus ſeſe appellaverunt. Porro incertas fortunæ vices animo reputans Diocletia-
A.C. nus, abdicabat ſe imperio, eratq;
304. autor Maximiano, ut idem faceret. Sed hunc non multo poſt facti pœnitebat, & vero ne unquam recuperaret Imperium, dividebant inter ſe, & Galerius quidem obtinebat Italiam, Aſiam, Africam, Pannoniam: Conſtantius regebat Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam. Porro Galerius cognatos ſuos, *Valerium Maximinum & Severum* adoptabat, vicarium regimen in provinciis remotioribus habituros. Nec dum in tanta Principum copia militibus ſatis erat, qui Senatus conſenſu eligebant Cæſarem *Ma-*
A.C. *xentium*, filium Maximiani ejus,
306. qui nuper abdicaverat Principatum. Pater aderat filio, cum militum favorem ſibi conciliaret magnis promiſſis, nec obſcuram filius in patrem conceperat iram, ſeſe conqueſtus de negligentia hujus, quod nullam ſui rationem habuiſſet in tanta competitorum frequentia. Concordes tamen agebant adverſus Severum, quem prælio victum, inde per ſicarios in ſuburbio Romæ cæſum evertebant, de victoriæ fructu maxime diſcordes, poſtquam Maximianus Imperium ſummum ad ſe transferre volebat. Filius ejecto patre Italiam adminiſtrabat invito etiam Galerio. Hic Severo dabat ſucceſſorem *Licinium*, & cum A.C.
exercitu proficiſcebatur ultra Al 307.
pes, ut pelleret Maxentium, interim Duces legionum ejus clanculum à Maxentio rogati ſedicionem movebant, ac Princeps reverſus in Illyricum morbo peſtilenti corripiebatur. Defunctus A.C.
vita inter mille dolores, corpore 311.
verminante lites competitorum deſeruit, quæ in majus auctæ deinceps fuerunt.

VII. Chlorus fruebatur pace, *Eutropius*
tantũ quod Caledonios prædo- *lib.* 10.
nes in vicinia habebat. Evocabat in Britaniã, ubi degere amabat, filiũ ſuum ex Helena Syra conjuge, unicũ, *Flaviũ Conſtantinũ*, qui hactenus Galerii aulã ſequebatur, & morti vicinus donabat ei provincias ſuas. Conſtãtin. uxorẽ ducebat Fauſtã Maximiani filiã, & ſoceri miſertus ampliſſimas in Germania cliẽtelas ei offerebat. Quib. nõ cõtentus ille, pecunia tentabat militũ animos, ut vellent Conſtantinum occidere. Verũ prodita fraude in carcerem ducebatur, ubi mente errans laqueo vitam finivit. Conſtantinus ad Rhenum & Viſurgim debellabat Vangiones, Bructeros, Cheruſces

ſcos, utque Licinium partibus ſuis adjungeret, Constantiam ſororem deſpondebat ei.

Zoſimus lib. 1. Euſebius lib. 1. VIII. Licinius compoſitis rebus in Pannonia, diffidere cepit à Maxentio Principe Italiæ. Hunc crudelitatis & luxuriæ reum oderant primores, atque implorabant Constantini opem. Subitò ille accurrebat cum exercitu, de poſitis caſtris in Alpium ſummis jugis. Dum ibi commorabatur, velitando hoſtem exercebat, potentem & viribus ſuperiorem. Ergò animi anxius, quem Deum auxilio invocaret pro obtinendo felice belli eventu, commonefactus viſo nocturno, ut rogaret opem Crucifixi, ab Helena matre Religionem meliorem percepit, crucíſque ſigno in vexillis omnibus depicto, Jeſu Nazareni cultor deinceps fuit. Expugnabat Brixiam, Veronam Mantuam, Mutinam, Aquileiam, & prono itinere verſus Romam ducebat. Occurrebat Maxentius porta Flumentana & ad pontem Milvium ſuperabat Tiberim, victus equeſtri certamine, peditibus relictis, ne civium victoris partes amplectentium conſilio portis oppeſſulatis, ipſe urbe excluderetur, refugiebat ad pontem. Secuti Principem equites agminatim, & veriti ne ab hoſte
A.C. occiderentur, pontem dejece-
312. runt, multis unà in aquas præcipitatis, inter quos Princeps erat.

IX. Constantinus Romam ingreſſus magno cum gaudio Senatus populique oblatum Italiæ imperium ſuſcipiebat. Licinius arctis Pannoniæ limitibus *Euſebius lib. 1.* in tanta Principum aliorum gloria concluſus, altiora meditabatur. De finibus contentione mota adverſus Valerium Maximinum Aſiæ Principem, ab eo poſtulabat, ut Thracia excederet, tergiverſantem aggreſſus bello, A.C.
prœliis duobus ſuperabat, ac 313.
Tharſi obſeſſum ad deſperationem redigebat, ut laqueo vitam finiret, eo ferè tempore, cum Diocletianus obibat Salonis. Ita Licinius par viribus Constantino, virtute inferior, Orbis imperium cum eo diviſit, ſed concordia paucorum annorum fuit, nam retentis Pannonia & Dacia, quas ſecundum pacta Constantinus ſibi attribuebat, novum hoſtem concitabat Licinius, quique præter fas provincias duas arrogabat ſibi, mox belli jure, quoniam ſucceſſu inferior erat, has & omnes alias perdebat. Constantinus ductis in Thraciam copiis, prælio magno ad Adrianopolim fugabat Licinium, fugientem in Pontum & novas legiones corrogantem, iteratò ad Chalcedonem profli- A.C.
gabat. Licinius purpura depoſi- 324.
ta veniebat ſupplex ad Constantinum, & juſſu ipſius abibat in Theſſaliam, ubi privatus ali-
quam-

quamdiu vivebat. Deinde verò cum quietis impatiens res novas moliretur, ac Barbaros trans Istrum mercede sollicitaret, lictoribus immissis interficiebatur. A.C. 225.

LIBER VI.

Quo continentur res gestæ Cæsarum Romanorum à Constantino Magno adusque Imperium divisum.

CAPUT I.

De rebus gestis Constantini Magni & Cæsarum sequentium.

I. CONstantinus Magnus sublatis Tyrannis solus rerum potiebatur, *Restitutor generis humani*, uti Senatus eum appellabat, condito in honorem ejus Arcu Triumphali. Religionis melioris curam habebat, ut publicis exercitiis frequentaretur, ad pagos redactis & à muniorum sortitione exclusis illis qui cultum idolorum retinebant usque. Postquam Barbari ultra Istrum longo tractu habitantes consuevissent, quacunque occasione usi, in provincias Romanas invadere, præsidium ad fines deponere & amplissimam urbem condere instituit loco illo quo Byzantium antiqua colonia Græcorum steterat hactenus, malè culta urbs. Incolas vel Roma eductos, vel de Thraciæ vicis evocatos, collocavit ibi, opibusque donatos invitavit, ut pro urbis incremento ædificia ampla struerent. Hæc est origo Constantinopoleos, quæ deinde caput Imperii in Orientem translati fuit. Gothis confirmavit habitationem Daciæ, ea lege ut quadraginta mille viros armatos Imperatori submitterent, quandò opus esset. Proinde Gothi nobiles, ut Imperatori adversus Persas bellum apparanti, militum subsidia procurarent, servos suos exercebant, & iis arma tradebant: verum servi conversis in Dominos suos armis, pellebant eos, itaque hi rerum omnium inopes veniebant ad Constantinum, & novo beneficio obligati per Asiam minorem agros pro incolatu accipiebant, ubi vehemens pestis solitudinem fecerat.

Zosimus l. . Eusebius lib 3.

A.C. 328.

Eusebius lib 4.

II. Sapores Rex Persiæ obsidebat Nisibim, magnus hostis Christia-

stianorum, quos per regna sua
A.C. deprehensos crudeliter occide-
337. bat. Constantinus profecturus in Mesopotamiam, ut liberaret urbem, impediebatur morbo, quo decessit Nicomediæ. Tantæ virtutis Princeps imperium florentissimum reliquit posteris suis qui illo non multum gavisi parricidialibus litibus everterunt omnia. Filius maximus *Constantinus* Imperatoris titulo accipie-
Eutropius lib. 10. bat Galliam, Hispaniam, Britanniam: Medius *Constantius* obtinebat Thraciam & Asiam: Minimus *Constans* regebat Italiam, Africam, Græciam, Pannoniam. Et Constantius quidem cum Persis bellum suscipiebat in Mesopotamiæ partibus. Dum in Syria abest, fratres ejus bello concurrunt, volebatque Constantinus Italiam sibi arrogare, velut partem Imperi eminentem, & Imperatoris sedem, major natu ipse & ob id fratre minore prælationis jure dignior. Constans in Daciam profectus, cum servis Gothicis confligebat, nec tamen Italiam indefensam reliquerat, itaq;
A.C. Præfectus ejus cum exercitu oc-
339. currebat Constantino ad Aquileiam, victumque prælio in fuga obtruncabat.

III. Constantius pugnabat
A.C. cum Sapore ad Singaram urbem,
349. eventu ancipiti. Nam victor prælio nocturno, cum milites ejus circa diei exortum, solutis ordinibus negligentius agerent, recollectas hostiũ turmas nõ sustinuerunt. Felicius in Gallia successit Cõstanti, cæsis Francis, qui Eutropius. ad Rhenũ populabantur omnia. Sed pace infelix, multa superbè & crudeliter agebat, itaq; milites, Principis exemplo, pacis bono abusi, per factionem eligebant Principem alium, videlicet *Magnentium* Rhetiæ præfectum.

IV. Constans per sicarios occi- A.C.
sus est in venatione, haud ægrè 350.
laturus, quando Magnentius Imperii parte aliqua contentus, in obsequio erga Principẽ perstitisset. Nullos enim filios habebat, & Zosimus lib. 3.
Magnentio favebat admodum quod regnandi artes optimè calleret, ac bello insuper utilis esset. Magna verò impietas erat, Principi vitam eripere, utq; tanto potentius Imperii subditos in fide contineret, fratrem suum *Decentium* Galliæ præfectum appellabat Cæsarem. Fratris casum ulturus Constãtius, inducias pacisce-batur cum Sapore, eiq; urbẽ Amidã tradebat, cætera omnia Gallo patrueli suo, quem Cæsarem fecerat, commendabat. Hunc vexabant Judæi in Palæstina rebellionem ausi, qua multæ urbes incendio perierunt. Magnentius Romæ præsens, nec civiũ perinde omnium, uti quidem animo conceperat, assensum merit9, vulgabat proscriptionis tabulas, & multos terrore afflatos ex urbe fugabat,

bat, qui ad Constantium perfugiendo, hoc efficiebant, ut cum exercitu in Pannoniã abiret, ubi Magnentius copiis maximis instructus Mursã urbẽ occupaverat ne hostes prono itinere Italiam
A.C. peterent. Hic prælio cruẽto dimi
352. cabatur, & Constantius victor agros cadaveribus impletos perlustrando, ingemuit, tantum sanguinis civili bello profusũ. Quinquaginta mille veterani occubuerunt nec quicquam gravius afflixit vires Reipublicæ, ut perditis illis Barbarorũ incursiones deinde non potuerint fortiter submoveri. Magnentius in fuga delatus Romã, sed exclusus, procul inde ad Gallos suos redibat, qui cõstãtius, quàm felicius castra ejus sectati, præliũ movebant ad Lugdu-
A.C. num. Denuò victus, cũ se amico-
353. rum insidiis obnoxiũ advertebat gladio incubuit. Decẽtius quoq; invisam lucem laqueo abrupit.

V. Gallus Cæsar in Oriente multa petulãter, plura crudeliter agebat, vagando per tabernas & lupanaria. Eum ad se Constantius, qui tunc Mediolani consiliũ militare ordinabat, evocatum, ut rationem actorum redderet, neci destinaverat, nec tamen hoc resciverat ille, adeoq; cum venisset Constantinopolin, ludos magni-
A.C. ficos edebat. Pergebat in Dalma-
354. tiam, sed Polæ ductus in carcerem, Principis mandato truncabatur capite. Habebat fratrem *Julianum*, qui hoc tempore Athenis studiorum causa degebat, cumque Princeps in tanta Imperii amplitudine solus non posset moderari omnia, Romæ proclamabat Cæsarem illum, & in Galliam mittebat, quam defenderet contrà Germanorum invasiones. Hi enim cæso præsidio, quod Coloniæ Agrippinæ impositum erat, Rheno superato, per Alsatiam in Galliæ agros excurrebant, Lugdunum vastabant, & castris ad Tabernas positis conflictum deposcebant. Ibidem cum exercitu suo aderat Julianus & profligatis hostibus Regem A.C.
eorum Gundemarum non procul Argentorato capiebat. 357.

Ammianus lib. 14. 15. 16. 17.

VI. Parisios reversus militibus præmia distribuebat, ut eos semper haberet promptos ad propellenda arma hostium, quibuscum induciæ paucorum mensium factæ erant. Mox bellum cum Persis renovatum est, ne Mesopotamiæ pars altera, hactenus Romani juris, dederetur. Et quoniam militibus per Galliam hospitantibus imperaverat Constantius, ut in Asiam profecti expeditionem juvarent, nec tamen illis placeret ad remotas gentes abduci, per sedicionem appel- A C.
labant Julianum Imperatorem. 360.
Nunciabat hoc Julianus literis ad Constantium datis, & factum excusabat provido consilio, verum quia militum subsidia nulla

mit-

Ammianus l. 18. 19. 20. 21. mitteret, jubente quamvis Constantio, non omnem suspicionem exemit animo ejus. Proinde, uti poterat, componebat res suas Cõstantius, novis induciis Regi Persarum datis, munita Edessa, vicinisque Iberorum & Albanorum Regulis amice compellatis, ne fidem societatis deserere vellent. Ita conversis signis pergebat versus Constantinopolim, non passurus, militum audacia imperare Julianum. Hic vero etiam, pacatis Allemanis, exercitum per Italiæ confinia ducebat in Thraciam, prælio experiri certus quando ita Constantio visum esset. Sed hunc *A.C. 361.* in Cilicia morbus oppressit, quo decessit.

CAPUT II.

De rebus gestis Juliani & Cæsarum sequentium.

Ammianus l. 22. 23. 24. Zosimus I. JUlianus ad se exercitum Constantii recipiebat, & Constantinopolim ingressus, potiebatur Orientis imperio. Virtutum omnium capacissimus uno perfidiæ crimine deturpabat incomparabiles animi dotes, non solum abnegando meliorem Religionem, quam hactenus Constantini Magni exemplo professus erat, sed eandem persequendo crudeliter, & ne aliquod signum ejus penes se retineret, lustrationibus cruentis dæmonumque invocationibus sacrum baptismum, quo infans tinctus fuerat, abluendo, ut seipsum irreconciliabiliter ab Ecclesia exauthoraret. Bellum maximo conatu suscipiebat adversus Persas, quorum Legatos Chalcedone audiverat primo, inde quia ad sacrificia invitati noluerant accedere, occidi curaverat. De belli eventu consulebat Oraculum Delphicum, sed qui Diabolorum omnium servitia magicis ritibus exambiverat, non tamen poterat elicere voces futurorum prænuncias. Trahebat secum aulæ castrensis appendices Magos, Planetarios, Genethliacos, nunquam magis desipere visus ac cum veritatem rogabat apud Impostores. Præsagiebant illi successus fortissimis Alexandri Magni conflictibus pares, ac credebat Princeps, suggerente talia Maximo Sophista, *animam Alexandri Macedonis in ipsum commigravisse.* Læta belli initia erant, cæsis Persarum turmis ad urbem Amidam, qua victoria elatus pervagabatur Assyriam, navesque omnes in Euphratis ripa comburebat, ne milites reditum sibi promitterent in Asiam, hoste nondum perdomito.

II. Callidus hostis noverat defectum annonæ oriturum inter montes & agros undique vastatos. Sero videbat Princeps, navibus

vibus incensis commercia sublata esse, quamobrem vestigia hostis legendo non quidem campos habitatos, ut sperabat, verum inopes rerum omnium, ut cómmaturius procideret, aperiebat, demum in locis maxime confragosis ab hoste conclusus prælio superabatur. Ipse telo percussus in sinistro pectore, epatis sinu convulso, obiit in castris, postquam gelida aqua epota mortem acceleraverat, doloris impatiens. Viderat paucis ante vulnus inflictū diebus Genium suum velato capite per aulæa tristius oberrantem. Exercitus designabat Imperatorem *Iovinianum*, & quia bellum in locis desertis nullo cum successu gerebatur, pacem ad triginta annos inibant cum Persis, reddendo provincias omnes ad Tigrim sitas, & in his Nisibim, Singaram, Amidam, munimenta ad reprimendos Barbaros opportuna, civibus Romanis, quò vellent, abire permissis. Excusabat factum necessitas, quæ tunc primum Romanis injungebat, ut finium suorum aliquid concederent hosti. Princeps legionum reliquias per Syriam distribuebat, ubi incolarum liberalitate fruebantur, ipse Constantinopolim pergebat, sed morbo præventus in Galatia obibat, adepto Imperio celebrior quam gesto.

A.C. 363.

Ammianus l. 25. Zosimus lib. 3.

A.C. 364.

Ammianus l. 25.

III. Succedebat ei *Valentinianus* militiæ princeps in Europa, atque hanc sibi porro curandam adversus multiplices hostes, Sarmatas, Gothos, Germanos, assumebat, fratri *Valenti* demandabat Asiam, ubi Procopius Juliani cognatus Imperatorem sese ostentabat, paucarum legionum ope subnixus, plures vero præstolatus cohortes Gothorum, quando Istri aquæ glacie cōstringerentur. Occupaverat Constantinopolim & Nicæam, plebis favorem nactus, cum se de Constantini posteris jactabat, porro Chalcedonem muniebat, ubi aggressus eum Valens, fugabat copias ejus, ipse in fuga occisus est. Nec minus prospere cum Gothis confligebat, eorumque agros devastabat, ut coacti pacem rogarent, & se Romanis auxilio futuros contra Barbaros promitterent. Magnus tunc instabat belli terror à Sapore, qui Armeniam invaserat, ejusque gentis Regem Arsacem prælio captum interfecerat.

Zosimus l. 4.

A.C. 365.

IV. Ac Sapori quidem non poterat totis viribus occurrere Valens, Gothorum perfidia vexatus, qui subsidia nulla mittebant, novumque bellum comminabantur. Valentinianus ad Rhenum exercebatur armis Germanorū, à quibus Moguntia incensa est. Legatos suos miserant ad Imperatorem, questum injurias, postquam Romanorum prætores sæpius è vicinis agris prædas egerant, neque tamen injuriam ul-

Ammian. l. 7 28. 29. 30.

lam à Germanis acceperant. Princeps rejectis illis, arma etiam ultro inferebat, cæsis multis millibus Saxonum, qui Rhenum prope Coloniam Ubiorum transire volebant, à Francorum Rege evocati pro defendendis agris ad Nicrum & Mœnum, perpetuis hostium rapinis expositis. Princeps obtenta victoria descendebat in Pannoniā depulsurus inde Sarmatas & Marcomannos justā belli causam habentes, quoniam Gabinius præfectus Rhetiæ ad epulas vocatum Regem eorum per insidias obtruncaverat. Sed contenti agros diripiendo ulcisci facinus, venienti Principi occurrebant, pacem rogantes, & consentiebat Princeps, *si captivos & spolia omnia redderent, si magnam pecuniæ summam persolverent, si obsides traderent, gentis nobilissimos.* De obsidibus statim convenit, quos ad Principem mittebant in hiberna euntem, primores male vestitos, gentis more in vestimentorū luxu parum occupatæ. Hos propius intuitus Princeps, rogavit, *qui essent?* & responderunt illi, *se nobiles Sarmatas esse.* Serio dictum, attamen Princeps ludibrio
A.C. prolatum interpretatus, subita
375. iracundia exarsit, conciditque apoplecticus Brigæ Silesiorum.

Ammianus lib. 31. V. Milites Imperatorem proclamabant filium ejus *Valentinianum*, nam filium majorem *Gratianum* pater olim etiam adsciverat sibi Collegam. *Zosimus lib. 4.* Valens dimicabat interim contra Persas, nec improspere, quandoquidem nihil fere in Armenia erat, quod non teneretur armis ejus, & Singara flumine transmisso in deditionem venerat, sed Gothi è Dacia pulsi per novam Hunnorum irruptionem, demigrabant in Thraciam inconsulto primum Imperatore, deinde cum prohibere non posset, consentiente. Incolis grave hoc accidebat, querentibus, se limitibus arctis jam antea habitare, ut peregrinis alio vorsus abeundum esset, nisi mutuis cladibus attritos cuperet Imperator omnes. Hujus consilio effectum est, ut Gothi in Bithyniam, relicta Europa, contenderent, viatico dato. Habebant Regem Fridigernum, & vero dum Principis ministri procurant annonam non satis integræ fidei, ac de peregrinis in servitutem redigendis noxios rumores ferunt, Gothi rerum suarum propiore cura ducti, vicos agrosque omnes in Thracia armis insident, urbium expugnandarum rudes. Unum hoc profuit tantisper Cæsaris rebus, quem à Syria cum exercitu magno reversum, ad Hadrianopolim exceperunt prælio. Poterat, ni rem discrimini committere properasset, expectare copias Italicas, quas auxilio mittebat Gra-

Gratianus, verum confisus veterani legionib9 impetū fecit prior
A.C. 378. in hostes. Gothorū tanta vis convertebatur in equites, & profligatis illis ultro fugiebant pedites, multis occisis. Princeps sagitta percussus, inque tugurium delatus, ut profluvium sanguinis remedio adhibito detergeret, ab insequente agmine captivus detinebatur, facibusque in domum conjectis, medius inter fumum & flammas deflagrabat.

CAPUT III.

De rebus gestis Gratiani & Cæsarum sequentium.

Amminus l. 31. Zosimus l. 4. I. Paucis mensibus ante improsperum Valentis conflictum egregio prælio contra Germanos victor *Gratianus* Cæsar, quadraginta mille gentis ejus occiderat, non procul Argentorato, ubi Rhenum frigore concretum e mensi, magnas è Gallia prædas appetiverant. De Gothorum progressu veritus, ne illi Pannoniam diriperent, Collegam suum *Theodosium* copiis instructum mittebat, ad perdomandam gentem efferatam. Prudenter is administrabat omnia, ut Gothi societatem Romani populi amplectendo, plurimi in Thracia, pauci in Bithynia considerent, futuri occasione data commilitones Imperatoris. Nec deinceps Gratianus, ea qua par erat, fungebatur diligentia in rebus publicis administrandis, sed in Gallia ociosus, dabat Hispaniam *Theodosio*, Britanniam *Maximo*. Et vero Maximus, perinde ut Theodosius, Cæsar esse volebat, cumque Imperator assentiri nollet, exercitum sedicione perculsum, promissis insuper oneratum impulit, ut Imperium darent ei. Filius ejus Victor eadem facilitate ad se pelliciebat Hispaniæ & Galliæ milites provinciales, Imperatori palam infensos, postquam ille cohortem prætorianam ex Alanis, ad Boristhenis ripam incolentibus, conscribere voluerat, popularium fidei & virtuti haut satis fisus. Nondū peregrinis omnibus arma dederat, cum effracto palacio militum furore obtruncabatur Lug- A.C. 383.
duni.

II. Theodosius in Orientem concesserat, & Maximus in Occidente possidebat omnia, exceptis Pannonia & Italia, neque regiones illas Valentiniano eripere curabat admodum, tantum si vellet ei Imperatoris titulum à militibus datum confirmare. Valentinianus ab exercitu imparatus, ac benigne respondebat. Maximus ordinabat Germaniam, & populum ferocem armis premebat usque, non malus Impera-

perator futurus, si non rapuisset Imperium, multique Italiæ proceres accersebant eum, ut Principem ab imperio matris exemptum suæ potestatis efficeret. Veniebat cum exercitu, profuga mater filium abducebat unà in Thessaliam, ac impetratis auxiliis cum Theodosio revertebatur in Italiam. Pugnabatur ad Aquileiam, victus & captus Maximus à Cæsare quidem accipiebat vitæ gratiam, sed militiæ duces abductum illum interficiebant.

A.C. 388.

Zosimus l. d.

III. Valentinianus obtinebat omnia quæ Maximus habuerat, & matre amota, *Arbogastem* Francum, Gratiano familiarissimum, consilio aulico præficiebat. Hic juventutem Cæsaris non satis reverenter habebat, adeoque multa ambitiose agebat, quamobrẽ Cæsar de abrogando illo sollicitus, pravi hominis insidiis succubuit, peremptus Viennæ ad Rhodanum à sicariis. *Eugenius* quæstor aulicus impulsus ab Arbogastæ, corripiebat Imperium, recenti victoria adversus Germanos obtenta elatus, qua bellicosæ gentis millia multa obligaverat militiæ suæ, namq; Theodosium armis persequi decreverat.

A.C. 392.

Zosimus l. d.

IV. Is merito indignatus propter cædem Principis, exercitum adducebat in Thraciam. Eugenius prohibiturus, ne Italiam ingrederetur citra armorum experimentum, claustra Alpium insidebat, certus quando victoriam reportavisset, abolendi sacra, profanis ritibus per totum Orientem in usum reductis, atque eo fine Herculis signum pinxerat in vexillis. Theodosius vero Deo confisus, pergebat ad Alpes, Gothorum decem millibus præmissis, ut viam aperirent. Et quidem hostes initio fugiebant, secuti Gothi ad Aquileiam usque locum prælio dabant, cæsi deinceps ad internecionem ab Arbogasto, qui veteranas legiones è Gallia & Germania secum habebat. Hoc valdè torsit Imperatorem, itaque precibus tota nocte vacans, quia pedem referre non poterat in ista hostium propinquitate, sub aurora aciem struebat, fortiter utrinque dimicabatur, demum Barbari procellis insolitis vexati spicula nulla emittere poterant, quin ipsi illa in corporibus suis reciperent. Ergo fugiebant, Italicæ legiones dedebant sese. Eugenius captus & gladio percussus est, Arbogastus gladio incubuit. Theodosius exstinctis tyrannis, eversis delubrorum, simulachrorum, oraculorum reliquiis, in pace reliquum vitæ spacium peregit, defunctus Mediolani intercute aqua. Imperii hæredes constituit filios duos, *Arcadium* in Oriente, *Honorium* in Occidente, quibus Curatores, *Ruffinum* & *Stiliconem*, adjunxit.

A.C. 394.

A.C. 395.

LIBER

LIBER VII.

Quo continentur res geſtæ Cæſarum Orientis uſque ad everſam Conſtantinopolim.

CAPUT I.

De rebus geſtis Arcadii & Cæſarum ſequentium.

Zoſimus lib. 5.

I. RVffinus perfidus curator opum Arcadii, Principem ſuum evertere ſtudebat, eo fine clanculum evocabat *Alaricum* Thraciæ incolam, ut perruptis finibus, Gothorum copias dimitteret per Græciam. Dum opulenta regio affligebatur, latiuſque belli flamma ſerpere velle videbatur, Princeps ad defendendum Imperium accerſebat copias Italicas, procurante Stilicone, qui nondum iſto animi morbo laborabat. Ducebat illas Gaines Satrapa, cumque Ruffinus palam rogaret in Principis aula, ut Cæſar deſignaretur, proditione vulgata, interfectus eſt. Ejus locum in Principis conſilio affectabat Gaines, argumento uſus, quod proditoris auſa nefaria ſolus ipſe diſturbaſſet, verum prælatus ei Eutropius, hoc inſuper conabatur, ut Gainas omninò reverti ad ſuos juberetur, ita remotis arbitris de Imperio ageretur porrò, quomodo ſors ferret. Attamen Gaines invito illo manſurus, cum Gothos auxiliares habere non poſſet, Iſauros prædones ſub Tribigildo Duce excivit, Conſtantinopolim invaſurus terra marique. Ad pacis conditiones redactus Princeps dedebat Eutropium, ut interficeretur. Hinc inſolentior factus, non ſolum arma non deponebat, ſed quoque plures nobiliſſimos viros ad cædem depoſcebat. Tandem prælio victus confugiebat ad Gothos Daciam incolentes, ubi occiſus eſt, capite ad Principem miſſo. Tribigildus pacem fecit.

A.C. 408. II. Cœterum Gothi post direptos Græciæ & Macedoniæ agros, in Pannoniam contendebant. Arcadius defunctus imperium tradebat filio suo *Theodosio*, & Curatorem adjungebat *Isdigerdem* Persiæ Regem, consilio prudentissimo, ut juvenis Princeps demerendo obsequiis Curatorem, non haberet hostem illum, in magnis rerum motibus, quandò Gothi lacerabant Italiam, & Hunni tentabant Orientem, immensos exercitus secum trahentes. Pro avertendis illis magnam auri summam persolvebat Attilæ, quem Barbari latissimis ad Boristhenem & utrumque Tanain campis habitantes Regem elegerant.

Orosius l. 7.

A.C. 443.

III. Conjugem habebat *Eudociam*, Philosophi Leontii filiam Græcas literas doctissimam, sed quia aulicas artes non perinde callebat, delatorum fraudibus succubuit, ut mallet exire aula, & voluntario exilio sibi indicto proficisci Hierosolymas. Princeps matrimonio secundo abstinuit, & nullo filio relicto obiit, sororis Pulcheriæ maritum nactus successorem. Is erat *Marcianus*, summus militiæ præfectus. Hunc olim in Africa bello ceperat *Gensericus* Vandalorum Rex, videratque super caput dormientis aquilam passis alis oberrantem, quod narrabat evigilanti & spem Imperii faciebat. Pacem servabat Persis, Vandalis, Hunnis, Gothis, quorum copiæ in destruendo Occidentis imperio certatim velut occupatæ erant.

A.C. 450.

Evagrius lib. 2.

IV. Succedebat illi *Leo Magnus*, qui Gothos per Illyricum potentes donis multis obligabat sibi, ut agris suis contenti fœdus paciscerentur, obsidemque darent Regis filium *Theodoricum*, cognomine *Veronensem*. Cum Vandalis æquo Marte pugnabat, Sardinia pellendo eos, quam invaserant, sed ne omninò debellaret, ignavia Ducum accidit. Vandali non procul Carthagine expugnabant classem ejus, desertam à militibus, neque Ducum aliquis exploraverat hostium adventum, inde viribus aucti portus omnes in mari mediterraneo aut defendebant, imposito præsidio, aut obsidebant, ne hostes egredi possent.

A.C. 457.

Procopius.

A.C. 468.

V. Dysenteria obiit, & genero suo *Zenoni* imperium detulit, nec pacis nec belli artibus instructo. Hunni percursabant Thraciam, ac poterat eos data auri summa placare, ut domum redirent, verum crapulis & ludis profuse deditus, foris

A.C. 474.

Evagrius lib. 3.

foris hostibus permittebat omnia, domi sediciones alebat. Sediciosorum ductor *Basiliscus* Patricius imperio mulctabat eum, vitamque apud Isauros exul Princeps agebat inter multa pericula, nunquam recepturus imperium, quando Basiliscus, non tam avarus, quàm liberalis esse voluisset. Ita militum animos avertit, Zenon per literas revocatus urbe potitur, Basiliscus profugus in Cappadociæ loca deserta incerto autore vitam finivit. Et tamen Zenon antiquis moribus vivere perrexit, donec temulentus malum vitæ ex tum sibi procuraret. Ebrium adeò, ut mente errans prolaberetur, ac morbo comitiali simul correptum Ariadna conjux loculo firmo compingi, ac velut mortuum in sepulchro deponi jussit, advoluto saxo. Postquam errore mentis liber ad se rediret, clamoribus sollicitavit, ut de monumento educeretur, nemineque id facere auso, quod Ariadna custodibus armatis locum muniverat, aeris purioris defectu A.C.
491. exstinctus est, tumulo illatus antequam mundo denatus esset.

Evagrius Ibid. VI. Ariadna deinceps nubebat *Anastasio*, aulæ militiæque præfecto, & Principem, Senatu volente, designabat. Eum seditiosi plurimi vexabant non leviter. Longinus frater Zenonis adductis Isaurorum copiis, & pellecto in societatem Athenodoro Ciliciæ præfecto, multis annis vicinas provincias incursabat, sed quia in urbe neminem habebat amicum, votis excidit, cæsus prælio, quo Athenodorus periit, ipse fuga maturavit in Persiam, Regis Cavadis auxilia rogaturus, qui ad Syriæ fines cum exercitu consistebat, provincias Imperii direpturus. Sed retractus è fuga & be- A.C.
stiis objectus Niceæ interficitur, 498.
Persæ donis acceptis ultrà Euphratem redeunt. Porrò Vitalianus ordinum ductor, austeris moribus Principis haut delectatus, ad Gothos populares suos concessit, turmisque collectis Thraciam spoliavit, ipsam urbem navibus clausam, terrestri exercitu quoque obsedit, milites plurimos in eruptionibus mactavit. Portas sine dubio effregisset, nisi Proclus exemplo Archimedis specula ustoria singulari arte præparavisset, ac derivatis in hostium naves Solis radiis, incendium concitavisset, reliquias prorsum evertit Marinus Ponti Euxini præfectus. Sic urbs conservata est, atque idem Proclus Magiæ albæ beneficio (Planetariā vocabat) prædixerat Impera-

peratori, fulminis ictu periturum illum. Eventus probavit, ac re-
A.C. pertus est Cæsar mortuus in spe-
518. cula Tholota, inter medias tempestates, quas frustra conabatur Proclus magicis cerimoniis avertere, ut Principis vitam conservaret, apud quem gratia singulari utebatur.

Evagrius lib. 4.

VII. Defuncto illo *Theocritianus* urbis præfectus rogabat populi suffragia pro obtinendo imperio, sed præveniebat *Justinus* militiæ Rector, & donativum pollicitus militum vota obtinebat, Senatu comprobãte. Nec tamen acquievit æmulus, collectis per Thraciam copiis, adjunctoq; sibi Vitaliano, qui nuper armis fatigaverat Anastasium. Hunc ad se evocatum Princeps, datoque Consulatu permovit, ut ex hoste amicus fieret, sed Theocritianus in armis esse perseverabat, captusque ex insidiis percutiebatur gladio. Vitalianus de nova proditione suspectus mortis comes addebatur. Ita domi securitatem pa rabat Cæsar, foris periculoso bel-
A.C. lo cum Persis implicatus. Dum
527. copias sedulo conquirebat, pedũ ulcere decessit, ac *Iustinianum* successorem constituit, magnis virtutibus clarissimum.

Evagrius l. d.

VIII. Justinianus eodem tempore & bellum cum Persis gerebat, & Leges civiles ordinabat, omissis illis quæ usus antiquaverat, additis vero aliis, quæ consuetudo recentior commendabat ad posteros. Triboniani opera in his Legum emendationibus usus est. Belisarius non impari studio bella ejus administravit. *Procopius.* Persas vincebat prælio ad Nisibin, premebatque eos in Mesopotamia tanto cum successu, ut Cavades Rex peteret auxilium ab Agarenis, & vero dum novam expeditionem moliebatur, decessit. Successor ejus Cosdroes non satis fisus peregrinis, offerebat pacem, reddito Amidæ propugnaculo. Oriente pacato abiit Belisarius in Africam, ut Vandalos expelleret. Habebant illi Regem Gilimerum, qui fratre occiso occupaverat solium, non omnium subditorum amore perinde usus, itaque Belisarius primo adventu Sardiniam & Tripolim, deditione præfectorum capiebat, navibusque milites imponebat, ut littora Punica infestarent. Ipse Carthaginem obsidione tentabat donec Rex adesset, quocum pugnam occepit, victorque Regem in fuga deprehensum, comitibus ejus cæsis, vivum in castra sua deduxit, inde misit Constantinopolim, & Car- A.C.
thagine superata Vandalorum in 534.
Africa dominium omnino sustulit.

IX. Gothorum Regina Hamalsvintha dederat Belisario naves, annonam, arma, ut eo facilius

lius debellaret Vandalos, quos Gothi oderant, postquam Siciliæ agros vexabant navibus è Sardinia proxima advecti. Regina illa nô multò post cognati sui Theodati insidiis perempta, valde affligebat Gothorum res, sedicionibus procerum enatis, ut nescirent, quem Regem designare in maximo dissensu vellent. Principi commodum valde hoc accidebat, armisque repetebat Pannoniam, Dalmatiam, Siciliam,
A.C. profligatis Gothorum Regibus
556. Italiam restituebat Imperio, donec eam Longobardi novo impetu perdomitam eriperent.

X. Hunnorum Ducem Zabergam, qui versus Græciam Barbarorum agmina ducebat, auro dato permovit, ut recederet ultrà Istrum. Senio & curis confectus
A.C. obiit errans mente. Successit ei
565. *Iustinus II.* quem Longobardi spoliabant Italiæ imperio, neque poterat eos armis suis persequi, quandoquidem Persæ in Syria & Iberia cum successu præliati, urbes agrosque incolis deportatis vastabant. Et quanquam fœdus iniviſſent cum Aretha Æthiopum Rege, qui copiis suis in Persiæ fines adductis negocium ei facesseret, vix tamen sufficiebant potentissimo Regi exercitatum militem secum habenti, cum Æthiopes longa pace in desertis locis gavisi nec præliati satis, nec urbes expugnare constanter noviſſent. Demum Tiberius mercenariorum copias ab Istro & Tanai conductas expediebat in Syriam, victisque Persis in Mesopotamiam contendebat, majora etiam pro Imperii salute patraturus, nisi Princeps morbo fractus A.C.
revocasset eum, & præsentem 578.
commendavisset Senatui, ut fungeretur Principatu.

Evagrius lib. 5.

CAPUT II.

De rebus gestis Tiberii Constantini & Cæsarum sequentium.

I. PRincipatum virtutis merito obtinuit *Tiberius Constantinus* nec impigrè gessit. Adversus Persas, cum illi nondum se victos arbitrarentur, misit generum suum Mauricium, & feliciter congressus Mesopotamiam restituit, Iberiam pacavit, Armeniam defendit, Syriæ urbes validis operibus munivit. Defuncto
successit *Mauricius*, rebus adver- A.C.
sus Barbaros gestis clarissimus, & 582.
verè illustris, nisi ad extremum offendisset fortunæ splendor. Persæ receptis animis progressi in Armeniam, depopulabantur agros. Tantisper Philippicus & Commentiolus Duces ancipiti fortuna adversus eos rem gerebant, donec intestinæ hostium

Evagrius l. d.

Evagrius lib. 6.

discordiæ victoriam procurarent Cæsari. Varanes ducebat copias Persarum, bello melior quam prælio, itaque prædam omnem amisit improspero conflictu, quod Regem Hormisdam permovit, ut ignominiosam missionem daret Varani, hic verò concita seditione Regem solio deturbatum carceri includebat primò, demum occidebat, idem conatus in Regis filiũ Cosdroem, sed hic maturè fugiebat ad Mauricium, & pacẽ æternã
A.C. stipulatus, armis ejus duce Narsete
591. juniore restituebatur in regnum.

II. Mox alter hostis erupit, *Caganus* Avarum in Pannonia Rex, quem hactenus Cæsar auro copioso demulcebat, ut à finibus Imperii abstineret. Itaq; ille Romanis omissis in vicinos Gepidas, Gothos, Slavinos arma sua converterat, victor omnium, impatiens otii, non jam placari volebat Cæsaris liberalibus donis, sed provincias integras ab eo dari sibi postulabat, totidem Reges effecturus, quot filios habebat. Ergò Syrmium oppugnabat, ne potiretur valida urbe, aderat cum magna classe Priscus, & per Dalmatiam itinere facto invadebat Pannoniam. Ei Caganus opponebat exercitum Slavinorum, ipse longius ad Italiæ fines profectus Longobardorum Principes bello vexabat, spoliisque dives redibat in Pannoniam, victis jam Slavinis à Prisco, agrisque eorum inter milites distributis, ut habitando agros illos, Barbarorum irruptiones prohiberent.

III. Caganus pacem amplectebatur, ne cum duobus hostibus pugnando, succumberet. Sed quia Longobardi non curabant de ulciscendis injuriis, liberatus ab illis, contrà Romanos bellum gerere pergebat, eâ adductus occasione, quod Prisci milites in stativis carperent fines Pannoniæ. Ergò Dalmatiam pervagatus, cum Cæsaris naves ad Pontum Euxinum A.C.
rediissent, in finibus Thraciæ pro- 606.
fligabat exercitum, quem Commentiolus regebat, duodecim millibus captis. Tam felix prælium excepit domestica clades, namque pestis in regionibus Istro conterminis grassabatur, qua septem filii ejus enecti sunt. Ità animi æger pacem renovabat cum Mauricio, duodecim mille nummos aureos insimul petens pro redimendis captivis. Negabat Mauricius, velle se auro præsenti liberare eos qui capi maluissent armis instructi, quam pro Reipublicæ salute & propria gloria ad mortem depugnare. Quamobrem Caganus indignatus obtruncabat captivos omnes. Exercituum ductores tantam lanienam exsecrati, Cæsari exprobrabant tenacitatem, & Commentiolum ad necem deposcebant, cladis acceptæ, uti ferebant, autorem, quique reditus & census publicos intervertere

potius,

potius, quam militum inopiæ succurrere, vellet. Sed Cæsar defendebat Commentiolum, & Phocæ Tribuno, qui liberius in ministros aulæ dicebat, verbera infligebat. Commentiolus addebat hoc etiam, militi feroci non otium quidem concedendum, verum labores graves imponendos esse, itaq; consulebat, ut non persoluto stipendio ad ripam Istri hyberna sortirentur, ubi peterent annonam ex solo hostico.

IV. Milites indignati, sibi nec vivere nec vincere licere in tanto Barbarorum concursu, abrogabant Mauricio imperium, & *Phocam* super clipeis elevatum proclamabant Cæsarem. Exemplum secuti prætoriani stipendia flagitabant, cum nihil impetrarent, Phocæ aperiebant portas.
A.C. 602. Ejus adventu perculsus Mauricius, desertus ab omnibus fugiebat Chalcedonem, ubi per immissos à Phoca lictores vinculis constrictus, deinde gladio cæsus, perfidorum militum victima factus est. Non alius Princeps vel majorem cladem, vel fortius tulit. (P. Diaconus lib. 18.) Phocas statim malè audire cepit in urbe, & Tyrannorum more in urbe, & Tyrannorum more omnia habuit. Secutæ sunt cædes virorum præstantium, exautorabantur milites veterani apud quos innocenter cęsi Principis memoria sancta erat. Sævus & temulentus in urbe, foris pacem à Cagano mercabatur auro, Persis verò arma opponebat Narsete duce. Scelestus exercitus cruore Principis optimi perfusus atroces pœnas dabat. Nam Cosdroes Persiæ Rex bellicosus, amici sibi Principis necem ulturus duplici prælio superabat Narsetem, inde Mesopotamiam, Syriam, & Asiam minorem, expugnatis urbibus, cæsis præsidiis, emensus, innumeram turbam neci dabat, plurimos in servitutem rapiebat.

IV. Narses revocatus in urbem, vivus exurebatur, quod in eum Princeps culpã omnẽ conferret. Nec tamen felicius agebant, qui succedebãt, itaq; calamitates publicas unius Principis morib. perversis rectius imputabant illi, & remedium petebant à rebellione, Priscus Thraciæ præfectus, Photius Consul, Heracleonas Africæ Proconsul, Gregoras castrorum rector. Prior omnium cum ingenti classe aderat Heraclius filius Proconsulis, & portu effracto ingrediebatur urbem. Princeps A.C. 610. captivus mille doloribus excruciabatur, demum exurebatur intra æneum bovem, qui Pergamo allatus fuerat. *Heraclius* succedebat in Imperio maximè afflicto, (P. Diaconus l. d.) ut ambigeret Princeps sat modicis copiis instructus, quò se potissimum verteret. Cagano pacem & præmia condicebat, ut Thraciæ parceret, ac militũ turmas è popularibus suis auxilio mitteret contra Persas. Nam Cosdroes sævus per Asiam minorem

victor, deflexerat agmina in Africam, expugnaverat Carthaginem, recusaverat inducias, bello perditurus omnia, pacem tunc daturus, cum abnegato crucifixo, Solem Orientis Deum magnum adorarent Græciæ populi. Ergò Heraclius pro Crucifixi gloria bellum gesturus, exercitum ducebat in Syriam, ubi hostes ad urbem Azotum castra posuerant. Discedebat fugienti similis Tyrannus, & in Mesopotamiam profectus, cum nollet prælio decertare, duces suos Osthanem & Sarbarum, relinquebat in Syria, ut spoliando & urendo solitudinem ubique facerent, cæterum Heraclio pugnæ locum non darent. Nec tamen illi de hostium manibus citrà armorum experimentum elabi poterant, cæsi in Euphratis ripa, quò spoliis onusti contendebant.

V. Princeps in tanta spe gerendarum rerum, non jam solum Græcos, Avares, Hunnos sub signis ducebat, verum nova supplementa ex Hiberis, Armenis, Caspianis, Agarenis conquisita adjiciebat, ut hostes persequendo, ingrederetur Persiam. Superatis Tauri angustiis expugnabat Samosatam, propugnaculum Mesopotamiæ, inde velitationibus fractos hostes cogebat, magis quà evaderent, quam quò progrederentur, consultandi. Porrò Tigrim, & in ejus ripa sitam Niniven, aperiebat, missisque agminibus ditissimos Persiæ agros spoliabat, urbes evertebat, opes rapiebat, cumprimis ignes sacros locis omnibus exstinguebat. Cosdroes degebat Seleuciæ, ne tunc quidem Heraclii legatos pacem rogantes alloquio dignatus. Satrapis aliter visum erat, cumque precibus non possent flectere iracundum Regem, filio ejus Siroi evidentibus argumentis approbabant, ut pacis consilia, invito patre, amplecteretur, patremque ipsum in vincula duceret. Conveniebat pax, *ut captivi redderentur, ut Armenia & Mesopotamia essent imperii Romani provinciæ, ut mercimonia libera essent, ut Christianis in Persia habitantibus nullum periculum crearetur.* Gloriam militarem insignem meruit Heraclius, & urbem cum splendido Triumpho sine ornamentis triumphalibus ingressus, in manibus pro victrice lauro crucem Christi ferebat.

VI. Agareni commilitones ejus magis etiam deinceps affligebant Persas duce Homaro, & Regem eorum prælio cæsum interimebant, provincias subigebant, facili successu, postquam in bellis nuper cum Heraclio gestis opes viresque profuderant. Cumque Persiæ dominium obtinuissent, in Syriam excursionibus factis, Damascum & Hierosolymas A.C. 632.

solymas expugnabant, jure belli, ut ajebant, possessuri amplissimam regionem, quandoquidem stipendia vetera nondum persolverat Cæsar. Tam levi prætextu firmaverunt sibi incolatum, deinde armis etiam tueri ausi gravissimum damnum Imperio intulerunt, hostes perpetui. Evocabat quidem Cæsar Iberos & Caspianos tanto numero, ut Agarenis ejiciendis pares essent, verum pestis subitò orta viginti mille virorum exercitum in gentibus istis conscriptum absumebat.
A.C. 641. Nec longè supervixit Princeps, hydrope defunctus. Successit ei filius *Constantinus*, brevis ævi, quem veneno sustulit noverca ejus Martina, ut filio suo Heracleoni acquireret imperium. Re vulgata, concursu militum & civium, mater & filius, illa exsecta lingua, hic naso amputato, in exilium pellebantur, Constante ad imperium evecto, qui Constantini filius erat. Res Agarenorum ducibus Hottomanno & Muhavia sumserant incrementa larga, nam & præfectus Armeniæ defecerat ad illos, & Muhavias ceperat Aradum Insulam propè Tripolim, ubi classe structa navigabat mare, potitusque Rhodo, commodum pro navium statione portum habente, Constantinopolim versus ducebat, ut Principem invitaret ad conflictum. Victor Muhavia longius tamen pergere haut poterat, domesticis litibus implicatus, & Princeps in urbem reversus, ob rem malè gestam civium odio petitus, ne possent illi ad imperium promovere Theodosium fratrem suum, jussit hunc occidi.

P. Diaconus l.d.

A.C. 642.

P. Diaconus lib. 19

VII. Eò miserior factus quod à Manibus fratris vexabatur usque, prorsus ex urbe discedebat, copiisque deportatis in Italiam, bello congrediebatur cum Longobardis, à quibus recuperabat Calabriæ & Apuliæ civitates multas, sed prope Neapolim justo prælio cæsus, militum reliquias Nuceriam dimisit, ipse Romam ingressus, pecuniam à civibus accepit pro militum supplementis parandis, ne Longobardorum opes nimium augerentur. Itaque profectus in Siciliam, deserta Constantinopoli, aulam constituit Syracusis, ut Italiæ rebus propior esset. Occisus est in balneo, A.C.
dum lavabat, situla in caput im- 668.
pacta. Successor ejus *Constantinus Pogonatus* ferè Siciliam amiserat, in qua dominium usurpabat Misisius, & videbatur ad Longobardos respicere, Græcosque excludere velle, sed classe potens Cæsar vicit sediciosos, & captum Misisium supplicio affecit. Saraceni post Cæsaris abitum eodem profecti navibus, occisis incolis, opes omnes, quas Constans Roma abduxerat, secum ablatas

deportabant Alexandriam. Successu elati Imperatorem domi oppugnabant, cumq; repellerentur, occupabant Cizycum, & septem annis ibi commorati, perpetuis rapinis oram maritimam infestam habebant. Donec Callinicus artifex Ægyptius ignem mirificum, qui tantum aceto, non etiam aquis restinguitur, præparando, classem hostium incenderet, plurimæ naves deflagrabant, reliquæ in fugam actæ ad Maleam naufragium faciebant. Nec minus infeliciter rem terra gerebant, victi à Maronitis Libani incolis, ad quos intra montium claustra habitantes confugerant Syriæ exsules. Hæc clades effecit, ut pacem rogarent, & vestigalia solverent.

P. Diaconus l. d. VIII. Novus hostis accessit, Bulgari videlicet à fluvio Volga profecti, invadebant Thraciã, cumq; Græcorũ copias profligavissent nec Cæsar ob valetudinem adversam ipse rebus gerendis adesse posset, arma posuit, & hostibus Mysiæ agros donávit. Obiit A.C. 685. præcipiti lapsu de cœnaculi gradibus, & successit ei filius *Iustinianus II.* Is pacem renovavit cum Saracenis, Abdelmelecho eorum P. Diaconus lib. 20. Sultano adversus Mutarem Babyloniæ Regem occupato, qui Persiæ gentes ad defectionem sollicitabat. Reddebant Saraceni Africam, & vectigalia duplò majora solvebant, vicissim Libani præsidia abducebat Cæsar, ne prædas agerent ex Armenia & Mesopotamia. Bulgaris donatos à patre suo agros eripere conatus, bello pressit eos, sed exercitu amisso vix ipse incolumis evasit. Interim Saraceni domesticas turbas ad pacem redegerant, quod Cæsar inconsultius ignorando periculum magnum sibi accersebat. Namq; prætexendo latrocinia gentis, apertum bellum indicebat Califæ Babylonico, & conscripto ex Hunnis ac Slavinis exercitu, ducebat in Syriam. Hostes deprecabantur per nuncios suos, cumque nihil obtinerent, tabulas, quibus induciarum leges descriptæ erant, hastæ appensas pro vexillo prætoriæ cohortis adhibebant, signisque collatis antecursorias alas, ubi Græci militabant, uno impetu profligabant, quo perculsi Slavini in fugam vertebantur. Cæsar laceratas copias in Thraciam reducebat, animique efferatior, postquam vectigalia nulla solvebant hostes, subditorum opes velut spolia capiebat, proceres in vincula mittebat. Eorum unus A.C. 694. *Leontius* Syriæ præfectus, de carcere elapsus, collecto exercitu urbem proditione civium ingrediebatur, carceribusque effractis liberabat primores. Captivo Principi nasus præcidebatur, inde exul in Chersonesum abibat.

IX. Leon-

IX Leontius imperium admini-
strabat, animo inter spem ac me-
tu suspenso. Nam & Princeps ex-
sul movebat lapidem omnem, ut
amissa recuperaret, ac prætereà
Saraceni in Africa diripiebāt ur-
bes, victa classe Græcorum, quam
A.C. regebat *Tiberius Absimarus* pro-
697. consul Africæ. Victarum partium
ductores veriti, ne ob cladem ac-
ceptam Principis odium ergà se
concitarent, tumultu facto Prin-
cipem creabant Tiberium. Veni-
enti ad urbem occurrebat *Philip-
picus* legionis prætoriæ tribunus,
portisq; expassis admittebat Prin-
cipem novum ejusq; comitatum.
Leontius in palacio apprehensus
& naso mulctatus abibat exul in
Dalmatiam, passus ista ab alio, al-
teri quæ fecerat. Tiberius ab ex-
ercitu removebat Philippicū, ve-
ritus sibi, quod nuper viderat
dormienti illi adstare aquilam
eum dispessis alis, & loco resti-
tuebat fratrem suum Heraclium,
qui contrà Saracenos per Syriam
& Ciliciam impunè vagantes fe-
liciter pugnabat.

X. Interim Justinianus dece-
ptis custodibus elabitur de car-
cere suo, & ad Bulgariæ Regem
venit, ejusq; sororē Theodoram
matrimonio petit. Ità procuratis
A.C. Barbarorum auxiliis, ad urbem
703. contendebat strenuè defensam à
civibus, ut etiam de mœnib. con-
vicia ingererent Principis resecto
naso, verum Princeps aditu oc-
culto, & ut per notos sibi prodi-
tores compererat, incustodito,
nocte ingressus urbē incredibili
felicitate intercipiebat, Tiberiū
& fratrem ejus Heracliū patibulo
suspendebat. Nec vel militi vel
populo parcens, omnes quicunq;
Leontio & Tiberio faverant, ad
supplicia rapiebat. Bulgaris verò A.C.
gratiā istā retulit, ut nihil hostile 705.
metuentes invaderet bello, cæsus
tamen & vix ipse fuga evasit. Re-
cordatus, quod Chersonesi in-
colæ exulem se non per omnia li-
beraliter habuissent, misit classē
cum legionib., ut provinciales o-
mnes per varia tormenta occi-
derent. Cepit laniena cū multo-
rum milliū excidio, reliqui despe-
ratione in virtutē versa eligebant
Principē Philippicum, hactenus
exulē, & Bosphoranis mercena-
riis in aciē eductis, vincebāt Græ-
cos, sævitiæ ministros, navesq; in-
gressi, terra mariq; urbem cinge-
bant. Justinianus nec prece nec
precio milites permovere pote-
rat, ut mœnia defendere vellent,
proinde superatis illis intrabat A.C.
Philippicus, & Justinianū securi 711.
percussum tumulo inferebat.

XI. Philippicus turbis multis *P. Diaco-*
implicitus, cū placeret multis, di- *nus lib. 20.*
spliceret aliis, domi non satis qui-
etus vixit, & bellū cum Saracenis
infeliciter gessit, qui Antiochiam
Pisidiæ urbē expugnabant. Eum
Artemius magister aulę in somno
correptum & vinculis constrictū
oculis

oculis mulctavit, inq; carcerem detrusit. Successit Artemius, qui misit classem in Syriam, ut Saracenos debellaret, verum duces invicem certantes, quis primam aciem duceret, quis succurreret, progressum corruperunt, & non procul Tyro affecti clade, in hoc demum consenserunt, quod Artemio imperium abrogare & Principem alium eligere vellent.
A.C. 714. Is erat *Theodosius* Syriæ præfectus, qui, licet renisus multũ, ad Principatum evehebatur. Cum portũ subiret, fugiebat Artemius, & captivus factus ad monasterium relegabatur in Thessaliam. Postquam hoc in castris alteris, quæ terrestres copias in finibus Armeniæ sub præfecto *Leone Isauro*
A.C. 716. continebant, nunciabatur, eadẽ ausi Leonem designant Principem, ac pace facta cum hoste, per Syriam itinere habito Nicomediam adveniunt, ubi filiũ Theodosii capiunt, pater verò imperiũ ultrò deponebat, profectus Ephesum, ubi monasterium ingrediebatur. Vitæ religiosæ pertæsus Artemius pecunia & promissis largis conducebat Bulgarorum turmas, ut vellent auxilio adesse in obsidenda urbe, noveratque multos cives favere sibi, potiore tamen Leo erat loco, scilicet militibus charus, quibus liberaliter stipendia solverat, adeoq; collatis signis in cõspectu urbis vincebat Leo, & captivus Artemius gladio percutiebatur. Bulgaris militiam A.C. 719.
confirmabat Leo, & mixtos Græcis illos demittebat in Syriam, ubi Homarus Saracenorum Princeps armis hactenus superior, multos in servitutem abripiebat, & classe magna Oceanum pervagabatur.

XII. Sed in Ponto Euxino multas naves clade accepta amittebant, cæteræ in abitu procellis vexatæ mergebantur. Terra quoque infeliciter præliati ab urbis Niceæ obsidione depellebantur. Princeps ex profluvio alvi defunctus A.C. 741.
est, & successit ei filius *Constantinus Copronymus*, ità dictus, quod infans baptismi aquam soluta alvo maculavisset. Ob mores austeros *P. Diaconus lib. 22.*
non perinde acceptus omnibus, per militũ conspirationem ejiciebatur ab urbe, imperio delato ad Artabastum, qui sororem ejus in matrimonio habebat. Saraceni propinqui his turbis ad Niceam stabant, & persuasi à Copronymo militiam ejus sectabantur, castris positis in conspectu urbis. Et quanquam cives eruptione facta cum Saracenis pugnarent, victoria tamen erat penes hostes, itaque dedebant Artabastum ad supplicium. Saraceni auro onusti redibant Damascum, neque deinceps contrà Græcos moliebantur quicquam, intestinis motibus detenti.
Græci verò etiam atroci peste vexati sunt, pagis vicisque ad solitu- A.C. 747.
dinem redactis, quos Princeps habitandos concessit Iberis & Armenis

menis exsulibus. Cum Bulgaris ob rapinarum licentiam gessit bellum, vicitque illos, tantum quod navalis militia ejus à tempestatib. damnum accepit in Ponto Euxino, sed pax facta est, ac Rex Bulgarorum filiam suam Irenen dedit uxorem Leoni Cæsaris filio.

CAPUT III.

De rebus gestis Leonis Porphyrogeniti & Cæsarum sequentium.

A.C. 775. I. Copronymus febri correptus moritur, & succedit ei filius *Leo*, cognomine *Porphyrogenitus*. Hic fratrem suum Nice- (P. Diaconus lib. 23.) phorum de insidiis convictum relegavit in Chersonesum, & Saracenos prælio vicit in Syria. Decessit pestilenti ulcere in capite enato, filio *Constantino* relicto, quem (A.C. 780.) *Irene* mater consiliis suis regebat, donec adolesceret. Mater seditionibus tantisper agitata, supplicio affectis fraudum magistris, securitatem sibi & filio suo paravit, defuncti mariti fratres in obsequio continuit benificiis. Cum Saracenorum Rege Aharone pacem fecit, & Carolum Galliæ Regem per legatos compellavit, ut filiam suã Gertrudem daret nuptam Constantino Principi. Sed primores aulæ differebant contrà matrimonium illud, quod peregrini mores cum damno Imperii inveherentur per sponsam alienigenam, itaque bellum denunciabat Carolo, qui victis Longobardis occupaverat Italiam, simulque Beneventanum Ducem Græcorum clientela nixũ provincia exuerat. Sed prævaluit A.C. Carolus, cæso Græcorum exercitu 788. in Calabria, qui navibus conscensis defendebant urbes littori vicinas. Cladem excipiebant nuptiæ Principis cum Maria Armena, & Princeps ætate firmatus imperiũ solus administrabat, exclusa matre. Illa non præviderat repulsam, deinceps vindictæ studio quærebat occasiones nocendi filio, procerumque animos noxiis inspirationibus implebat.

II. Princeps in Bulgariam eductis copiis pugnabat, & victus domum redibat. Magna hæc clades erat, qua multi Optimates ceciderunt. Spargebatur per urbem, inconsulti animi Principem deponendum esse, & successorem dandum aliquem fratrum ejus, *Nicephorum & Christophorum*. Rogata mater, *quid agendum esset*, respondebat, *oculis mulctandos fratres & exilio damnandos*, non quod ex animo benè cuperet filio, sed ut ille crudeliter faciendo maturius procideret. Exules de sævitia Principis conquesti Armenos ad defectionem impulerunt, à Saracenis quoque auxilia petiverunt, fratrẽ bello adorturi, sed hunc, quod divertisset Mariam conjugem, mater quoque odio prosecuta, facilè

effecit, ut à militibus in vincula duceretur, oculisque effossis, doloribus confectus moreretur. Reddebatur matri imperium, & fratres exsules deducti Athenas occidebantur. Verum Saraceni ab eis invocati, ad ipsa urbis mœnia progressi, magna damna inferebant, spretis muneribus, quæ offerebat Irene. Hæc porrò ambiebat conjugium cum Galliæ Rege Carolo, verbo quidem, ut hostem validum ad æquas pacis leges pro conservanda Sicilia pertraheret, reipsa ut proceribus oppressis Carolo imperium Græciæ traderet. Itaque dejecta principatu exsul vixit Lesbi.

A.C. 797.

A.C. 802.

III. Successit *Nicephorus Patricius*, ad bella quidem promptus, sed infelix. Carolo Imperatori pacem dedit, confirmato ei Italiæ dominio, si Græcis relinqueret Calabriam, Apuliam, Siciliam. Victus est à Saracenis prælio acto in Phrygia, & ad vectigal solvendum adactus, promisit insuper, quod castella in finibus Imperii contrà hostium irruptiones munita demoliri vellet. Ejus rei pœnitudine ductus, copias denuò educebat, sed victus iterum, leges pacis renovabat. Auri inops movebat in Bulgaros, & improviso adventu vastabat agros, dumque præda gravis in Thraciam recedebat, gentis ejus Regulus Crunnus expedito agmine noctu castra invadebat, cæsisq; plurimis recuperabat sortem cum fœnore. Princeps erat inter occisos, de cranio ejus poculum argento obductum, fecit Crunnus, quo sub epulis uteretur. Filius *Stauratius* vulnere accepto marcidus refugit in urbem, sed imperium præripiebat ei *Michael Curopalates*, gener Principis, qui adversus Bulgaros novas copias ducebat, sed ancipiti successu, quandò Mesembriam expugnabant hostes quidem, nec tamen veteres regni sui fines defendere satis poterant, mediocri prælio cæsi.

Cedrenus.

A.C. 811.

IV. Princeps desperato rerum successu abdicabat sese imperio, & *Leonem Armenum* constituebat successorem. Is acer animi cives militesq; ad veterem disciplinam revocabat, proceres multos factionum reos in carceres ducebat. Bulgaros pugna magna superavit, Reipublicæ omninò utilis. Habebat in vinculis *Michaelem Balbum*, de quo pœnas sumere volebat ipso Natalium die. Intercessione conjugis dilatum est supplicium, ne sacer dies pollueretur. Nocte ista *Balbus* perfractis numellis conjuratos notis locis evocabat, ac monachorum vestibus sumptis Principem cum auroræ ortu ad sacra publica euntem, in templo confodiebat. Balbus correpto imperio æmulum nactus est *Thomam Constantinum*, Saracenicis navibus instructum. Hunc Bulgari mercenarii profligabant, & conclusum Adrianopoli, deinde etiam captivum mittebant in urbem, ubi gladio

A.C. 813.

Cedrenus.

A.C. 820.

gladio percussus est. Bulgari magnam in aula gratiam meruerunt, donoq; acceperunt fertiles agros Dalmatiæ.

A.C. 823. V. Cum Mauris ex Hispania profectis periculosius bellum gessit, qui Cretam Insulam cum magnis copiis ingressi, naves omnes exusserant, ut nemini ipsorum facultas abeundi esset. Cædebantur Græci, & Candiam novam urbem condebant advenæ, munimentum, ex quo Insulam totam facilè perdomarent. Mox quoque ad Siciliam occupandam animũ adjecerunt, in qua præfectus Euphemius defectionem ad Barbaros conatus, multas urbes prodebat. Demum in obsidione Syracusarũ telo percussus, Græcorum res turbare desinebat. Saraceni verò pergebant in affligenda Insula, donec Bonifacius Corsicæ prætor Germanicis legionibus comitatus transiret in Numidiam, & prope Uticam victor conflictu navali, excensione facta, Punicos agros latè devastaret. Ità Saraceni coacti milites suos è Creta & Sicilia revocare, locis illis ad tempus decedebant.

A.C. 829. VI. Balbus obiit ex alvi profluvio, imperiumq; tradidit filio suo *Theophilo* virtutum omnium cultori industrio, qua laude superavit patrem, qui non noverat literas & ideò eas oderat. Cum Saracenis quinquies cõgressus, acerrimè pugnavit, ter cæsus, bis victor, Ciliciam & Phrygiam direptionibus exposuit, hostesque expugnata urbe Amorrio cives omnes, & simul Principis consanguineos deportaverunt. Mœrore cõsumptus obiit, successorem nactus filium *Michaelem Porphyrogenitum*. Hic primis annis sub tutela matris Theodoræ exactis, minus nocuit, ac mater pacẽ inivit cum Bulgaris. Deinde compos ætatis, cantando & aurigando vacavit, auro in mimos & histriones profuso, eò demũ inopię redactus, ut paludamẽtũ deponeret præmii loco. Imperii curã omisit prorsus, militesq; propter ablata stipendia ad Barbaros defecerunt, unde magnã à Saracenis cladem accepit in Euphratis ripa, & Mauri navibus in Oceano potentes depopulati sunt Corsicã, Sardiniam, Cycladas Insulas. Cum ergò ludis suis nihil non rei seriæ posthaberet, ejus cognati Bardas & Petronas ordinabant Rempublicam. Ac Petronas quidem collecto exercitu Saracenos prælio vincebat in Syria, Rege eorũ Homaro in acie perempto. Bardas regebat aulam. At Princeps indies corruptior, ludos suos ne quiẽ interpellari passus est. Cũ forte certamen ludicrum turbasset quidã, nuncio allato, quod Saraceni vastarent Armeniam, stolidus ille excubias amoveri jussit, ut deinceps ludis suis eò securius indulgere posset. Hoc modo sibi exitiũ procuravit. Traduxerat in aulã *Basilium Macedonem*, exsulem Armenum, c redituinq; fuit, quod suadẽte illo

A.C. 842.

Cedrenus.

A.C. 859.

Bardam avunculum suum interfecerat, prætextu usus, licenter nimis ab eo usurpatæ potestatis, cũ in expeditione adversus Saracenos metatus castra, tentorium Principis in valle, suum verò in colle statuerat.
A.C. Occiso illo effusè lætus in
866. convivio purpuram dabat Basilio, & Imperii socium designabat, Eudocia pellice sua addita in matrimonium.

VII. Erat Basilius animi elati, morumq; in corrupta aula perversorum hostis. Proindè mimi, cum Principem sibi obnoxium haberent, in regno voluptatis nullum virtuti locũ permittendo, criminabantur Basilium, neque obscura indicia prostabant, subornatos esse latrones, qui Basilium occiderent.
A.C. Hic satius esse putans, non
867. exspectare occasionem, quæ latronibus commoda foret, Principẽ somno occupatum obtruncabat. Mox aulam reformando, ludiones scurrasq; omnes foràs jaciebat, vectigalibus parcè erogatis, ut nervos aliquos Reipublicæ iterũ ingeneraret. Mauros aggressus, cæsisq; illis Cretam liberavit, Siciliam & littorales Italiæ regiones defendit, spoliis multis potitus, Regem ipsum Osmanem captivũ deduxit Capuam, & pacem juratò pactus, dimisit. Non servavit ille datam fidem, reversusque cum instructis copiis, expugnabat Hydruntem, obsidione premebat Beneventum & Capuam. Sed Græci è Sicilia profecti hostes fugabant, urbesque plurimas Imperio suo adjungebant, quas nuper Ludovicus Germaniæ Rex pulso Adalgisio Comite, cum Italia reliqua univerat. Nec multo post Osmanes prædam sectatus in Ægeo mari, conflictu habito ad Zacynthũ, percutiebatur telo.

VIII. Basilius in venatione à cer- A.C.
vo quodam contusus decessit, e- 886.
umque secutus est filius *Leo*, cognomine dictus *Philosophus* ob studia artium liberalium. Is Bulga- *Cedrenus.*
ros induciarum pacta violantes, & Thraciam devastantes, conductis Hungarorum armis profligavit, sed post abitum Hungarorũ, regessit Bulgarus cladem prælio & victis & victoribus cruento. Mauros quoque navali pugna superatos ejecit Sicilia, in qua Tauromenium expugnaverant. Obiit reli- A.C.
cto filio *Constantino* impubere, 912.
cui fratrem suum Alexandrum tutorem dedit. Et tutor quidem non longè provixit, cum enim mero gravis equum conscenderet, corporis motu violento venam thoracis rupit, ut sanguis è collo pro- A.C.
flueret, vitamque expelleret. De- 913.
functo illo constituuntur alii tutores, *Zoe* mater & *Romanus Lacopenus* Armeniæ Satrapa, omnes imperio parum utiles. Simeon Bulgariæ Rex Thraciam & Macedoniam expilabat, Adrianopolin proditione capiebat, quamvis paulò post deseretet iterum, prædaque contentus reverteretur domum. Zoen liberius cum viris

agere

agere consuetam detrudebant proceres in monasterium, Lacopenus insidiatus Principi Imperi-
A.C. 918. um pro se filiisque suis in votis habebat, sed hunc quoque proceres capite attonso ad vitam religiosam condemnabant. Princeps omnibus illis melior, literas apprimè doctus, nec bello infelix. Mauros superabat classe ad Lemnum Insulam, sed in Creta superabatur. Bulgarorum audivit magis, quam sensit arma, dum enim illi parant expeditionem contrà Græcos, derepente hostis à latere oritur, videlicet, Croatæ impetu facto devastabant Bulgariam, occurrentem Simeonem vincebant, sauciusque Regulus in montanis, quo cum paucis manipularibus fugerat, moriebatur. Rossi trajecto Istro cum tribus millibus navium obsidebant urbem, sed tempestates ortæ optimas quasvis triremes demerserunt, reliquas in Hellesponto à ventis adversis detentas, aggressus Bardas Archithalassus, ignibus & catapultis afflixit, ut paucæ evaderent.

IX. Princeps veneni haustu, quod à filio acceperat, ingentibus corporis totius doloribus correptus est. His aliquantum sedatis, in Olympum montem, ad Theodorum Cizycum, virum pium &
A.C. doctum, secessit, ubi se totum divino cultui mancipavit, cura im-
959. perii deposita, brevique post decessit. Filius ejus *Romanus* obtinuit imperium, quod dudum concupi- *Cedrenus.*
verat. Ignavus ipse & deliciis aulicis nimis addictus, nactus tamen fortissimum Ducem, Nicephorum Phocam, devicit Mauros in Creta, & Candiam destruxit, Curupam Regem eorum vivum cepit. Ejus frater Leo Phocas in Syria rem feliciter gessit, Berrheam urbem expugnavit. Princeps demum vitam luxu perditam finivit veneno per Nicephori amicos A.C.
propinato, quem ille ab urbis adi- 963.
tu prohibuerat, ne populi concursu ad Imperium eveheretur. Defuncto illo Bringes Curopalates invasit principatum, adjuvante Johanne Zimisce præfecto Thraciæ, verum Senatus fastum viri semper odio habuerat, itaque civium militumque in Syria pugnantium votis præferebatur *Nicephorus Phocas*. Hic pulsis Saracenis Ciliciam, magnamque Syriæ maritimæ partem, & Cyprum recepit, Tripolitanis vectigalia imposuit. Mauros in Sicilia potentes classe invasit, quæ ducis Emanuelis temeritate periit in Syrtibus, militesque occisos Dux ipse morte sua secutus est. Alteram deinde cladem accepit in Italia propriæ levitatis culpa, nam filiam suam Theophaniam Ottonis Germaniæ Cæsaris filio desponderat quidem, sed cum pœniteret eum facti, & nuncios ad sponsam deducendam missos cum ludibrio repelleret, bello injuriam ultus est Cæsar, & copias ejus unà cum auxiliaribus Mauris superavit cru- *Cedrenus.*

ento prælio, Calabriam & Apuliam occupavit. Infelix Nicephorus domi quoque sediciosos nactus, plebis concursu maledictis petebatur in foro. Scilicet ob novas exactiones, unde subditi rerum precio ingravescente ad inopiam redigebantur. Facta conjuratione Zimisces, necdum veteris offensæ oblitus, in cubiculo eum noctu invasit, & gladio confodit.

A.C. 969.

Cedrenus.

X. *Iohannes Zimisces* non indignus imperio, quod aliis procuraverat hactenus, ipse tandem obtinuit. Singularis fidei documentum edidit, cum Basilium & Constantinum Romani junioris filios imperii Collegas accepit, Italiæq; pacem stabilivit, missa Theophania sponsa, ut nuberet Ottoni Germaniæ Principi. Saracenos mercenariis armis Bulgarorum vicit, & Bulgaros ipsos defendit adversus irruptiones Rossorum. Peregrinatus in Asiæ partibus, vidit ingentes opes ministrorum togatorum, & militum penuriam sub immensis laboribus, ob id indignatus de spoliandis illis seriò cogitavit, quando in urbem redisset. Sed Eunuchi opum tenaces præbuerunt ei venenum, quo obiit Damasci. Succedebant Collegæ, *Basilius* & *Constantinus*, dissimiles genio. Nam Constantinus mollissimæ vitę studiosus imperii curam non adeò habuit, venationis & ludorum amans. Basilius verò acris & fervidi animi, gerebat bella, extinguebat factiones. Bardas præfectus Thraciæ multa feliciter adversus Saracenos gesserat, eoq; potentiæ animum erexerat, ut de Imperii societate petenda conaretur, quod non placebat Basilio, adeoque in Mesopotamiam ablegatum prohibuit, ne propius ad urbem accederet. Bardas exercitu collecto Principem sese ferebat, & Saracenorum turmis confirmatus Græcorum copias terra marique vincebat. Et jam non procul ab urbe cum infesto agmine tendebat, ubi per insidias victus copiisque omnibus exutus fuga proripuit sese ad Cosdroem Babyloniæ Sultanum, qui amicitiam cum sorte permutando supplicē in vinculis tantisper habitum peremit.

A.C. 975.

VI. Mauros è Sicilia invitabat Princeps stipendio, ut ingressi Italiam pellerent Germanos ex Apulia. Et tunc quidem Germani succubuerunt, proditione Italorum, quibus magis placebat Græcorum levitas vicina quam Germanorum constantia. Bulgari in tantis rerum omnium motibus armis populabantur Thraciam, eos conflictu superabat, quindecim millib. captis, novoq; crudelitatis exemplo, cœteris omnibus oculos ambos eruit, singulis turmis relicto duce monoculo, qui sociis monstrando viam, unà cum eis domū reverterentur. Perculsus Rex Samuel civium suorū miseria, dolore interiit. Eum secutus Gabriel vole-

A.C. 982.

volebat ulcisci cladem, prælioque
ad Dyrrachium cæsus, victoriæ
fructum reliquit Græcis, ut Bulgariam redigerent in provinciæ formã.
A.C. 1025. Deinceps expediturus in Cretam, vita defungitur Orientis vindex industrius. Constantinus supervixit ei, missoq; duce suo Constantino Diogene Bossinos præliis
aliquot subegit. Contrà Mauros in
Sicilia nihil prosperè gestum est,
nec Apulia cum successu tentata,
quam Normanni è partibus Franciæ digressi, infestis armis, duce
Roberto, petebant, Græcorum
perinde & Maurorum hostes.

A.C. 1028. XII. Generum adoptabat *Romanum Argyrum*, qui post eum
imperavit. Pacis opera præclarè
administravit, belli sorte anceps,
quoniam avaritiæ vitio laborabat.
Cedrenus. Cladem magnam à Saracenis accipiebat ad Halepum, ubi cũ exercitu suo, inclusus & aquarum penuria vexatus, hosti victoriam relinquebat. In Sicilia quoq; bellum
improsperè gerebat, proditione
ducum suorum. Saraceni cum ne
quidem post tot victorias obtentas pacem extorquere possent, diripiebant Mesopotamiam. Terrestribus armis superiores, maris
quoq; fortunam tentaverunt, sed
bis cum ingenti clade auspiciis
Nicephori Caranteri inter Cycladas repulsi, legatos ad Principem
mittebant, pacemque oblato vectigali annuo impetrabant. Ad
persolvendos belli sumptus, majores census imponebat subditis, inde odium publicum, quod consummavit domesticum. Conjux
ejus Zoe amabat *Michaelem Paphlagonem*, Oceani præfectum, A.C. 1034.
utque illo potiretur, veneno perimebat maritum, inter balnearum
recreamenta.

XIII. Paphlago strenuè defendit Edessam contrà Saracenos, &
Mauros in Sicilia profligavit sub
ductu *Georgii Maniacis.* Bulgari A.C.
defectione usi creabant Regem 1040.
Petrum, adversus hos profectus
ipse & victus prælio fugiebat Thessalonicam. Correptus hydrope,
discessit in monasterium. Zoe A.C.
conjux ejus surrogavit *Michaelem Calophatem*, qui statim vetulæ 1041.
pertæsus, malè gratus relegabat
eam in monasterium, cognatosque ejus occidebat. Quamobrem
populus indignatus Zoen restituebat dignitati, quæ maritum oculis A.C.
mulctatum deturbabat solio, sorori Theodoræ imperii communionem deferebat, prolubio dato, 1042.
ut nuberet cui vellet. Zoe maritum petebat *Constantinum Monomachum*, virum ignavum. Is turbas civiles adversus *Georgiũ Maniacem* & *Leonem Tornitium* composuit. *Cedrenus.*
Erat Maniaces præfectus
Epiri, qui ob res fortiter contrà
Mauros gestas, & quod Normannorum in Apulia societate certò gauderet, Principatum optabat,
quamobrẽ copias ducebat in Macedoniam, locis omnib. victor potitus, donec ei Cæsar occurrebat,
quem prælio vincebat equidẽ, sed

victo-

victoriæ suæ modico tempore superfuit, vulneratus sagitta. Milites duce orbati per Thraciam agebant prædas, demum verò adhæserunt Leoni Tornitio, viro nobili, & cum illo progressi ad urbis moenia, non satis munitam eam ac terroris plenam effringere facili ope potuissent, si omissis prædarum studiis, castra ad portas promovissent. Interim copiæ ex Asia profectæ liberabant Cæsarem, Leo captivus oculis spoliabatur, & exul relegabatur ultrà Caucasum.

A.C. 1046.

XIV. Dum aberat in Bulgaria, obibat pleuritide, neque succedebat ei *Nicephorus Patricius*, quem elegerat, sed Theodora maritum suum *Michaelem Stratioticum* commendabat Senatui, omnibus acceptum qui pacis commoda præferebant, milites verò oderant eum quibus stipendia diminuebat. Ergò defunctâ uxore, cum non curaret admodum occupare militum animos promissis novis, potestate non dudum gavisus est. Nam *Isaac Comnenus*, vir illustris & gnavus militum concursu Imperator proclamatus, Niceam præsidio muniebat, inde Constantinopolim abibat.

A.C. 1054.

A.C. 1057.

CAPUT IV.
De rebus gestis Isaaci Comneni & Cæsarum sequentium.

I. STratioticus imperio deserto monasterium ingrediebatur. Eodem non longo post tempore sequebatur, vir moribus arrogans & sævus, cœtera mediocris. Dum navigabat in Ponto Euxino, fulmine afflatus votum concipiebat de vita religiosa amplectenda, si incolumis in urbem rediret. Succedebat *Constantinus Ducas*, justitiæ & pietatis opinione celebris, sed avarus. Literarum ipsemet expers, literatos tamen magno honore prosequebatur, *malle se*, inquiens, *doctrina suorum nobilitari quam militia*. Optimè dictum quidem, sed quia non justo dictum tempore, laude caruit isto rerum statu, militibus enim animos dempsit, quod stipendia non solveret, hostibus addidit. Rossi diripiebant Macedoniam, & omninò per Thraciam contendissent ad urbem, nisi precibus & pretio conducti Bulgari, hostes tumultuariis velitationibus superatos depulissent.

Zonaras Tom. 3. Annal.

A.C. 1059.

II. Princeps moriens *Eudociam* cōjugem juramēto obstringebat, ne viro alteri nuberet, quādoquidem filio suo Michaeli imperium conservare volebat. Illa tamen nova hostium vi ingruente, maritū, simulq;

A.C. 1067.

Zonaras l. d.

fimulque imperii vindicem, eligebat *Romanum Diogenem* Afiæ præfectum, qui potitus folio Eudociam contra datam fidem removit ab imperii conſortio. Inde cum ſucceſſu Turcos profligavit, eorumque Sultano Aſpaſalemo eripuit magnam Syriæ partem. Cumque hi eodem tempore premerentur ab Iberis, pacem rogabant. Princeps recuſabat, niſi vellent ablata omnia reſtituere, proinde bello pergebat, ſed dum incautius per Ciliciæ montana ducebat, Andronico prodente exercitum, plurimis occiſus vivus ipſe capiebatur, & Sultano offerebatur, qui liberaliter habitum, donisque onuſtum, pace facta domum remittebat incolumem. Reverſus in urbem A.C. 1071. conſpiratione domeſticorum, vinculis nectebatur, oculisque ſpoliatus, verminantibus illis in carcere defunctus eſt, indigniſſimam pro meritis necē perpeſſus.

III. Sic imperium ad Michaelem devolvebatur, verſibus pangendis meliorem, qua in re Pſello magiſtro uſus fuerat, quàm gerendo bello. Turci indignum Romani Principis, quem ipſi ob virtutis admirationem impenſe coluerant, caſum ulturi, bellum reſtaurabant, Alepum occupabant: Servii de principatu gentis ſuæ proprio ſolliciti partem Liburniæ acquirebant. Nicephorus Botoniates in Ponto, Briennius (Zonaras l.d.) in Thracia, Maſtor in Boſnia, imperium ſumebant. Princeps impar turbis omnibus, à Normannis rogabat auxilium, nihil vero impetrabat, igitur aula exibat, & in monaſterium ſeſe abdebat *Botoniates* rerum ſummam corripiebat, multis modis vexatus à Brien- A.C. 1078. nio, quem demum prælio victum opprimebat *Alexius Comnenus*, & vero Comnenus potitus exercitu, porro arma vertebat in A.C. 1081. Botoniaten, quem in poteſtatem redactum, ad monaſterium relegabat.

IV. Comnenus rapinis populo moleſtus, crudeliter multa (Zonaras l.d.) agebat bello infeliciſſimus, quod ei Michael è cœnobio profugus concitabat. Hujus precibus obſecutus Normannus Apuliæ Comes cæſa claſſe Græcorum ad Epidamnum, littora Aſiæ latiſſimo tractu diripuit. Ne plura conaretur, impeditus eſt ab Henrico Germaniæ Imperatore, qui Papæ protectorem illum multis cladibus in A.C. 1084. Italia afficiebat, ut cogeretur domum revocare copias ſuas. Princeps quoque poſt tot exantlatas adverſitates, mores ſuos mutavit in melius, Saracenos depulit ab obſidione Leſbi & Rhodi, Mauros expulit Creta & Cypro, Francis in militiam ſacram adverſus Turcos profectis forum venalium rerum permiſit non ſine commodo Græcorum, qui in bello ſacro vires ſenſim recollegerunt,

& Barbaris multas urbes eripuerunt.

A.C. 1118. V. Ejus filius & successor *Johannes Comnenus*, patre melior, domi forisq; celebrior. Francorum militiæ observantissimus, damna plurima Barbaris intulit, Syriæ, Paphlagoniæ & Mesopotamiæ urbes expugnavit. In Ciliciæ finibus prope urbem Anazarbā decessit, læsa manu ab ictu venenatæ sagittæ, cum aprum in venatione peteret. Suadebant Medici, ut præcideretur manus, verū negabat Princeps, quod Imperium tantum una manu regi posset. A.C. 1143. Succedebat ei filius *Emanuel Comnenus*, ille Punicæ fidei homo & perversæ mentis, qui Turcos adjuvare potius quàm Germanos promovere studebat in bello sacro. Hi tamē fortiter superabant calamitates omnes, nec minus Veneti & Rogerius Siciliæ Rex post expugnatam Corcyram, Oceano classē immittebant, Acarnaniā, Ætoliam, Corinthum, Thebas, Chalcidē eripiebant Græcis, ipsique urbi catapultis tela immittebant, Principe vix intra mœnia ejus dignitatē suam tuente. Pace facta cum Rogerio bella gessit adversus Turcos, qui à Germanis debilitati, post illorum discessum clades perpessas seriò ulcisci parabant. Nam & Joscelinum Comitem Edessanum & Raimundum Principem Antiochenū collatis fortiter [illegible] superaverant, hunc occiderant, illum captivum servabant. Edessanum comitatum, poscenti Emanueli, ne Turcis penitus succumberent Christiani, tradebat Balduinus Palæstinæ Rex, verum imbelles Græci non integri anni spacio defendentes acceptas Latinorum munificentia terras, Mesopotamiam & Syriæ partem meliorem hostibus concesserunt.

Nicetas lib. 1.

Nicetas lib. 2.

Nicetas lib. 3. 4. 5.

VI. Moriens successorem habebat filium suum *Alexium Comnenum*, quem minorem licet, voto supremo prætulerat majori ob commodos mores, eique adjunxerat Tutorem *Andronicum Comnenum*. Per duces suos bella gessit cum Sultano Iconiensi, qui Tralles, Antiochiam, Attaliam, & alias in Lydia & Phrygia urbes superaverat. Andronicus ex Tutore factus desertor, regnandi libidine seductus, per immane flagitium strangulabat Principem, culeoque insutum demergebat ponto. Nec mitior in alios, quoscunq; noverat familiam Principis cognatione attingere, occisos aut in exilium pulsos, ab urbe procul submovebat. Niceam & Prusam imperio ejus crudelissimo parere detrectantes, victas armis, tantum non solo æquabat. Tum porrò lanienam destinabat super Latinis per Græciæ civitates habitantibus, qui re percepta abibant exules ad Venetos, Siculos, Apulos, unde commotus Wilhelmus A.C. 1180.

Nicetas lib. 6. & 7.

A.C. 1183.

helmus Siciliæ Rex copias navales emisit, Dyrrachium & Thessalonicam expugnavit, prædam tantam nactus, unde exules possent compensare amissas opes, verum conjuges & liberi eorum crudeliter interfecti sunt. Cives militesq; oderant Principem sanguinarium, & rogabant Isacium Angelum, Cypri præfectum, ut veniret ad urbem & Imperium susciperet. Princeps frustrà vocatis ad arma civibus, frustra ad navem profugiens qua elaberetur,
A.C. 1185. capiebatur, manibus præcisis, oculis effossis impositus asino per urbem cum ignominia vehebatur, inde uncis & hastis laceratus, necique datus per mille dolores in pontum Euxinum devolvebatur.

Nicetas lib. 8, 9, 10. VII. Postquam malus Andronicus malè perierat, *Isacius Angelus* imperavit, non sine magna laude sapientiæ & justitiæ. Siculorum classem ad Thessalonicam vicit, exules restituit, urbem reparavit. Postea vanus & avarus, cum Saracenis in Cypro, cum Serviis & Bulgaris in Macedonia infeliciter pugnavit. Itaque nihil deinceps improbitati suæ fidum reperit, factæque sunt conjurationes. Emanuelis Comneni filios sese ferebant impostores quidam, & variis cladibus afficiebant Cæsarem. Hic pejor indies
Nicetas lib 11, 12. *Constantinum Angelum*, patruelem suum, Bossiniæ præfectum, delatum proditionis, sed non convictum, oculis mulctavit, Basiliacum Magum de sorte futura consulens, nihil responsi equidem verbis accepit, sed facto edoctus est. Magus enim oculos in Principis effigie ad parietem suspensa erasit. Paulo post Isacius à fratre suo Alexio, non melioris notæ homine, quem à Turcis captum magna pecuniæ summa nuper redemerat, oculis spoliatur & in monasterium detruditur. A C. 1195.

VIII. Alexius invadit principatum, sed in voluptates solutus Barbarorum per Asiam & Macedoniam excursiones non reprimit. Hunc quoq; Comneni personati affligebant, adeò ut intrà urbem populus de Comnenis recipiendis palàm diceret. Donec à sicariis cæsi populo omne rerum novandarum studium eximerent. Tunc verò Henricus Siciliæ Rex propter acquisitos olim Guilhelmi Regis armis portus quosdam in Epiro & Macedonia, novas ei turbas concitaret, easque copioso auro dato avertebat, sed nec diu supervixit Henricus, ac posteri ejus domi, quod agerent, invenerunt neque deinceps se rebus Græcorũ immiscuerunt. Tandẽ evertit eũ Isaaci filius, Alexius, qui patris impulsu Latinorũ auxilia rogabat. Veneti & Franci imponebant milites navibus, Cõstantinopolim profecti duce Nicetas lib. 3. 14. 15.

A.C. duce Balduino Comite Flandriæ, urbem noctu effringebant. Prin-
1203. ceps, qui bella gerere nec sciebat, nec volebat, asportatis secum opibus fugiebat in Pontum, Isaacius cœcus de carcere monastico iterum producebatur, ut unà cum filio suo imperaret. Sed pater brevi post obiit. Alexius junior procerum civiumque omnium odio acerrimo exagitatus est, quod cum Latinis advenis adversus Saracenos pugnaturis sincerè conspiraret, eorumque virtuti potestatem suam acceptam ferret. Relictum in urbe præsidium defendebat Principem, sed cives recusabant dare census, unde alerentur milites, qui vicissim in urbe grassando, multas domos incendio corrumpebant, opesq; rapiebant.

Nicetas lib.16. IX. Princeps metu civium pariter ac militum efferatorum ad templi sacraria confugiebat. Habebat aulæ-magistrum, virum regii generis, *Alexium Ducam*, qui in forum prodibat, ut cives demulceret verbis, militum furori arma opponeret. Successit utrumque, militibus ex urbe depulsis cives redierunt in concordiam. Mox animo in deterius mutato Ducas popularem auram sibi conciliabat, Principisque odium augebat. Laqueo stran-
A.C. gulatus Princeps efferebatur ad
1204. sepulchrum, Ducas in solium evectus edictis affixis proscribebat Latinos, virium suarum parum consultus æstimator. Namque hi nominis sui ultione irritati revocabant ab itinere Balduinum Comitem, qui urbem obsessam duobus mensibus ex- A.C.
pugnabat. Profugiebat Ducas, & 1205.
Rempublicā demandabat *Theodoro Lascari*, quem tamen frustrabatur eventus, cumque audiret, victores milites pariter ac cives in servitutem redactos Balduinum urbis Rectorem & Græciæ Principem proclamare, discedebat Nicæam.

CAPUT V.

De rebus gestis Balduini Flandri & Cæsarum sequentium.

I. B*Alduinus* consequebatur imperium, Dandali Venetorum Principis studio, Et statim ille per milites suos comprehensum Ducam in urbem retraxit, occiditque militari consilio damnatum capitis. Alexium seniorem in Germaniam ablegabat, veritus levitatem Græcorum quando in vicinia haberent Principes indigenas. Venetis pro navata opera donabat Cretam, Corcyram, aliasque in Archipelago Insulas. Servii & Bulgari suos Principes eligendo Græci Imperii majestatem haut vene-

Gregoras lib.1.

M. Antonius Sabellicus lib.8. rerum Venetarum.

venerabantur ultrà, Græcorum tamen ære militabant contra Latinos, & quidem Johannes Deſpota affligebat Thraciam, Laſcares Aſiæ partem occupabat, Alexius Comnenus in Colchide imperium ſingulare conſtituebat, Achaiam, Ætoliam, Rhodum proceres alii corripiebant.

Gregoras lib. . II. Princeps armis prol tis finitimas regiones debellando venerat Theſſalonicam, quæ urbs potentiſſima ſponte deditionem fecerat. Sed Theſſaliam regendam accipiebat *Bonifacius Marchio Montisferratenſis*, atque ille opibus auctus magnam Græciæ partem moleſtis factionibus implebat oſtenſo filio ſuo Alexio, quem ex Maria Iſaaci Angeli filia ſuſceperat. Interim Balduinus pervagabatur Aſiam, & verò Laſcarem prælio ad Pruſam aggreſſus, inferior diſceſſit. Ergo regreſſus in Europam, expediebat contra Bulgaros, qui fœdere cum Laſcare devincti obſidebant Adrianopolim. Dum incautius multa agit, nec primo advẽtu perculſos hoſtes inſequitur acrius, nocturna irruptione capitur & Ternobium abductus occiditur. Bonifacius commilito ejus abit Theſſalonicam. Dandalus Venetus, qui res perditas novo conflictu reſtituere volebat, cladem auxit, amiſſis legionibus, ipſe telo con-
A.C. foſſus exſpiravit. Succeſſit frater
1207. *Henricus*, qui cum armis non poſſet, legibus æquis compoſuit lites, nam Bulgaris confirmando libertatem, & Laſcari pacem dando, ſubditis quietem procuravit.

III. Ejus filiam Jolantam matri- A.C.
monio ſibi copulavit *Petrus An-* 1216.
tiſiodorenſis Comes, regio Francorum ſanguine oriundus, ſimulq; imperium obtinuit. Deceptus ſi- Gregoras
mulata amicitia veniebat ad La- l. d.
ſcarem, ut fœderis leges coram ſanciret, quia urbis imperium A.C.
tradere nolebat, ductus in vincu 1221.
la, demum interfectus eſt. Patris loco regnavit filius *Robertus Cortenæus*, ubique fortunam adverſam expertus. Segnis ipſe cum Theodoro Laſcare, & hujus genero Johanne Duca, armis certavit, provinciis multis ſpoliatus.
Occiſus eſt à nobili Burgundo, A.C.
cujus ſponſam rapuerat ad ſtu- 1228.
prum. Succeſſit ei filius *Balduinus II.* qui Europæorum ſubſidia nactus, Græcorum procerum inſultus, non tamẽ ſine clade ſuſtinuit. Ducas Aſiæ Princeps exercitum ejus navali pugna vicit Cyprumque occupavit. Theodorus Angelius novum dominatum tẽtabat in Macedonia, pulſo Marchione Montisferratenſi, qui hactenus Theſſalonicæ degebat, prædiſq; actis per Thraciam terrorem inferebat urbi. Sed Bulgariæ Deſpo- A.C.
ta, quem parte agrorum exuere 1233.
volebat prælio victum Angelium capiebat, inde occidebat. Ducas pertinacius bello inſiſtebat, &

postquam à Comnenis Ponti Dominis triremes acceperat Pontum Euxinum claudebat. Hunc Veneti depulerunt equidem, sed Princeps tamen perpetuis civium, qui Latinos odio habebant, factionibus victus, multas ærumnas pertulit. Nam Ducas reparata classe Rhodum, Lesbum, Chium suæ ditionis fecit, & desertos Asiæ agros attribuit Comanis, quos Tattari errones patriis terris ejecerant. Itaque cultura agri, nec non militum supplementis comparandis perinde felix Nicenum imperium valide stabilitum committebat filio Theodoro Lascaris, qui non infeliciter virtutem paternam sectatus, Assanum Bulgariæ Despotam armis oppressit, Michaelem Angelum Thessaliæ principatu dejecit, ejusque ditiones *Michaeli Palæologo* viro patricio, sed exsuli donavit, ut in fide Niceni Imperii perseveraret.

A.C. 1256.

Gregoras lib. 3.

IV. Palæologus malæ mentis homo noxia consilia adversus Beneficium suum agitare deprehēsus, ne pœnas daret, convasatis opibus profugit ad Sultanum Iconiensem, eique operam navavit militando adversus Hoccotium Sericæ Imperatorem, qui Tattarorum suorum legionibus comitatus, vexabat Turcos imprimis rerum per Mesopotamiam & Armeniam potentes. Verum nec Barbaris fidus satis, mutato habitu in exilium abiit, & Constantinopolin profectus, ne turbaret omnia, inde etiam abire compulsus, rediit Nicæam, & supplex factus Theodoro, impetravit delictorum veniam. Theodorus obiit relicto filio *Iohanne Duca*, quem commendavit Georgio Mussalonio & Michaeli Palæologo Tutoribus, animi disparis. Candide omnia agebat Mussalonius, & connivebat ad alterius fraudes, si forte animum in melius mutaret. Palæologus accusabat eum proditionis, & Collegā innocentem damnabat capite. Liberatus custode omnia disponebat ad procurandum Principis juvenis interitum. Invitabat Michaelem Angelum extorrem, ut in proditionis societatem obsequiosus veniret. Verum Angelus favebat Principi, & Palæologi ausa exponebat aulæ proceribus. Princeps quoque Nicea egressus conveniebat Angelum, pollicebatur ipsi restitutionem abrogatæ olim provinciæ ac exercitum tradebat, quo persequeretur infidum Palæologum. Hic cum legionibus suis oppericbatur hostem ad Didymotichum, ubi signis collatis victoriam obtinebat. Proceres ne victoris quidem Palæologi imperium agnoscere voluerunt, sed munitis urbibus, reparatisque copiis Principi suo auxilio euntes, cogebant hostem, ut præsidio firmaret Macedoniæ urbes aliquas, cœterum discederet

A.C. 1258.

Gregoras lib. 4.

deret in Thraciam, utrac fraude conaturus omnia adversũ Balduinum Imperatorem, peregrinis militibus unice subnixum in ista subditorum contumacia. Primo socios ejus aggressus in Peloponneso, Guilhelmum Achajæ Principem vicit pugna, & à captivo impetravit, dari sibi optimas urbes, nisi in vinculis mori vellet. Deinde aperto bello Constantinopolim invasit, occurrentes Balduinum Imperatorem & Gradonicum Venetiarum Ducem levibus præliis sustinuit, demum attrivit, civiumq; favore usus noctu portas effregit. Princeps aufugit in Gallias, Latini urbis incolæ opibus spoliati ad patrios lares non sine periculo revertuntur.

A.C. 1261.

V. Palæologus victis Latinis Imperator designatur. Exercitu opibusq; auctus ad recuperandũ Asiæ imperium intendit animũ, dato Johanni Principi Niceno veneno, quo necatus est, ac provincias omnes destituit. Redibant illæ ad Palæologum, sed Michaelem Epiri Despotam, quia per fraudẽ opprimere non poterat, armis invadebat. Rursum Constantinus Serviæ Princeps ulturus necem Principis Niceni, cujus sororem in matrimonio habebat, cum ingentibus copiis descendebat in Thraciã, adjunctis insuper mercenariis Turcisqui à Tartaris pulsi vagabantur ad Istrum. Palæologus infeliciter dimicabat, parumque aberat, quin ipse captivus auxisset cladem. Novum ab Ægypto hostem Turquemenium Sultanum, donis placabat, eique Hellespontum aperiebat, ut è Comanis & Rossis venalicios servos abducere posset, Mamalucos futuros. Tum porro lites ei intendebat Carolus Andegavensis Siciliæ Rex, qui filio suo Carolo filiam Balduini olim Cæsaris matrimonio dederat, ac dotis loco petebat omnes Ægei maris Insulas. Verum intervenerunt *Siculæ Vesperæ*, & Græcos liberarunt ab hoste opibus armisque instructo. Eodem tempore vagi per Asiam Turci inundabant Paphlagoniam, incolisque vel occisis vel ejectis, domos, agros, urbes incolebant, copias Græcorum ad Sangarium amnem occidione delebant, excursiones faciebant in Lydiam & Phrygiam, pacemque extorquebant Cæsari, ea lege, ut Paphlagoniam & Ciliciæ partem beneficiario jure habitarent, ac Tartarorum progressibus obsisterent.

Sabellicus l. 10. rerum Venetarum.

A.C. 1263.

Gregoras l. 4.

A.C. 1282.

VI. Dum legiones novas è Rossis conscriptas, in usum belli adversus Bulgaros gerẽdi, lustrabat apud Lysimachiã, extinguebatur animi deliquio, vir strenuus, sed pravus. Succedebat ei filius *Andr. Palæologus*, quẽ foris hostes, domi vero affligebãt delatores. Alexius Philanthropenus Joniæ præfectus clarus

A.C. 1283.

Gregoras lib. 5.

clarus militia adversus Turcos fictis criminibus in aula superatus provincia decedebat, oculisque mulctatus compingebatur in monasterium. Augebat pessimum facinus milites, ut legiones integræ, aulicas artes exsecratæ, evulsis signis, ad Turcos manifesto abirent transfugio. Tunc demum laboranti undique Græciæ imminentes Barbari, & victricia arma per Joniam, Lydiam, Galatiam circumferentes, maximis damnis affecerunt Græcos, qui porro virtuti propriæ diffisi, mercenarias Tattarorum & Alanorum copias eduxerunt. Hi armis onusti verius quam instructi ad Jonas & Cilices progrediebantur, protinus ut viderunt hostem, fugientes, ac direptis ubique illis, quos tueri debuerant, redierunt ditati spoliis ultra Istrum.

VII. *Ottomannus* Turcorum Princeps expeditione illa, insignem gloriam militarem apud suos promeruit, & victoriæ jure Pontum occupavit. Veneti ab antiquo Græciæ novæ hostes toto mari exercebant pyraticam, & nonnisi auro accepto deponebant arma. Longè aliter Turci, qui opum contemptores petebant domos, agros, regiones integras, portus mari obversos è quibus possent mare Jonium navigare. Cumque nullis modis pacem accipere vellent, Princeps è Sicilia & Hispania per nuncios suos corrogabat naves militesq; sub ductu Rogerii, veterani Ducis in militia Sicula adversus Gallos Neapolitanos. Huic feliciter adeo succedebat, ut Turcos multis præliis cæsos è Jonia & Lydia pelleret, ipsique pacem amplecterentur, veteres in Cilicia & Paphlagonia sedes retinendo. Rogerius finito bello postulabat mercedem pro armorum usura, sed quia Princeps solvebat Græca fide, convertebatur ad rapinas. Et quanquam non procul Nicea incerto autore percussus telo moriebatur, tamen ductum militarem suscipiebat Alphonsus Catelanus, & per Thessaliam in Peloponnesum irruebant cum magna subditorum omnium strage, evocatisque Turcis, quos Serviæ Despota nuper collocaverat in agris ad Olympum montem, unà cum illis pertinaciter bellum cōtra Græcos promovebant, Thebas, Athenas, Spartam diripiebant. Donec corrasis nummis Cæsar aliqua stipendia solveret, ac si restaret quid, parta ab incolis spolia loco succederent. Post abitum eorum Ottomannus in Bithyniam reversus expugnabat Niceam, Nicomediam & Prusam nobilissimas urbes.

VIII. Habebat filios duos *Michaelem* & *Constantinum*, quorum hic propediem defunctus est, ille vero stupris & crapulis filium Principis agebat, Thessalonicæ *Gregoras lib. 6.*

vene-

veneno peremptus, relicto Andronico filio, quem avus in aula sua educabat, multis & severis verbis adhortatus eum, ut frugali vitæ studeret, nisi vellet publicis verberibus corrigi. Juvenis territus austeritate Principis senis cogitabat de mediis, quibus ad imperium ipse eveheretur. Noverat, proceres multos infensos avo ob immodicam vectigalium exactionem, etiam in pace quando in milites non tantum erogabatur. Assensit illi *Iohannes Cantacuzenus* præfectus Thraciæ, & legiones in verba ejus juramento adegit. Eo tempore pictus in aulæ velis equus clarissimum hinnitum edidit, nuncium calamitatis, quæ deinceps perpetuo incubuit Græcorum provinciis. Avus quidem comperta re volebat armis defendere majestatem suam, verum pars maxima civium & militum venerabatur orientem Juvenis fortunam, itaque senex discedebat in monasterium, Principum ultimus, qui viriliter contra Barbaros decertaverunt.

A.C. 1328.

IX. Andronicus eductis in Bithyniam copiis adversus Orchanem Sultanum Turcorum acerrimo prælio dimicavit, quo victus & Turcorum genti fœdere obstrictus, plurimas Asiæ regiones concessit eis. Tum conversus in Europam, ociosus spectator vidit Bulgaros & Servios funestis armis concurrere invicem, ac Bulgaros quidem socios suos deserendo fecit ut Rex eorum Michael caperetur & interficeretur. Serviorum Crales propediem à satellite peremtus, locum dedit filio suo Marco, qui pacem fecit cum Bulgarorum principe Alexandro. Et hic quidem infidam Græcorum societatem bello aperto ultus, Amphipolin usque populationib9 progressus, ac mõti Hemo castella adsita diruens, permovebat Cæsarem, ut muneribus copiosis reconciliaret sibi Bulgaros, eoque magis studeret paci, quando per mare Ægeum vagabantur Latinorum copiæ, & diripiebant Cycladas Insulas. Pugnabat cum illis Philanthropen9, & latrociniis sublatis pro mercimoniorum studio fœdus pepigit, interventu Equitum Rhodiorum, qui malebant ut socia arma converterentur in Saracenos. Porro Mosci Danubio superato in Thraciam processerunt, Græcos simulque Turcos ibi vagabundos in servitutem rapuerunt, sexaginta mille homines, quos Mamalucis venum exponerent. Orchanes Turcorum princeps pro liberandis popularibus suis convocabat legiones, ac postulabat, ut Græci per Thraciam vellent sibi permittere transitum, ad invadendos Moscorum agros, sed recusabant illi, ne belli sedem in terris suis assignarent. Ergo *Orchanes* indignatus Græciam devastabat, urbē

Gregoras l. 7 c. 9.

A.C. 1330.

Gregoras l. 10. 11

sexaginta equitum cohortibus eminus circumdatam vexabat, ne liberi aditus vel exitus paterent ulli. Proinde Cantacuzenus armatis civium millibus decem, eisque adjuncta cohorte prætoriana quatuor mille Volonum, per insidias invadebat hostes dispersos, & obsidionem solvebat. Nec tamen post hanc victoriam Andronico licebat diu felicem esse. Nam Solymannus filius Orchanis potitus Nicomedia, ædificabat naves, & Hellespontum ingressus, longo temporis spacio obsidebat Callipolim, claustrum illud Imperii Græ-
A.C. ci. Interim morbo ex splenis vi-
1341. tio laborans Princeps obiit. Commendaverat filium suum Johannem Cantacuzeno Tutori viro ambitioso, qui propter res adversus Turcos fortiter gestas, imperio semetipsum dignum arbitrabatur.

Chalco-condylas lib. 1. 2. X. Princeps ope Genuensium in Pera habitantiũ ejiciebat urbe Cantacuzenum, & *Francisco Catalusio* patricio Liguri pro navata opera donabat Lesbum Insulam, quam ipse & posteri ejus Principis titulo regerent. Cantacuzenus profugus veniebat primò in Siciliam, inde Venetias adibat, hostemque quærebat Liguriæ, & verò promissis multis incitabat Venetos, ne veterem gloriam mari partam eripi sibi paterentur. Vincebantur Ligures ad Corsicam, quadraginta navibus amissis, Aurias Genuensis reparata classe Pisanum Venetum in Peloponneso aggrediebatur, & cladem regerebat. Sed ancipites conflictus illi parum Cantacuzeno proderant, itaque Orchanem Turcorum Sultanum conveniebat, filiam suam ei conjugio dabat, & Barbarorum copias impetrabat, urbemque multis incommodis hactenus affectam demũ expugnabat, & societatem Imperii obtinebat. Valdè infida hæc societas erat, & Cantacuzenus quietis cupidus in monasterium concedebat. Principem novus hostis invadebat, videlicet Marcus Bulgariæ Despota, victus non semel, desperato progressu, cum Amurathe Sultano fœdus inibat, seque Imperiumq; suum in fidem ejus tradebat, censum annuum promittendo filium Theodorum obsidem dando. Hæc servitutis Græcorum velut arrha fuit. Nam Bulgari quidem succubuerunt, capta per Turcos Adrianopoli,
verum Græci libertate sua exci- A.C.
derunt, tradita insuper Callipoli, 1360.
unde Turcis expeditus semper in Europam transitus fuit.

XI. Habebat filium *Andronicum*, qui insidiarum accusatus, damnatus fuerat à patre, ut oculis spoliaretur. *Chalco-condylas l. d.* Cœcus ille fugiebat Adrianopolim, & Bajazethis Sultani arma implorabat contrà
patrem. Pater in captivitatem A.C.
reda- 1391.

redactus, cessit filio imperium, filius verò insuper Turcis dedit jus civitatis. Quod tamen proceres non laturi, Principi imperium abrogabant, atque illud reddebant fratri ejus Emanueli, non minus Turcorum servo. Ut pacem haberet, dabat Bajazethi Sultano urbem Lydiæ Philadelphiam, & quanquam cives nollent Barbarorum jugo subesse, attamen Princeps fidem suam probaturus Sultano, copiis admotis cogebat urbem munitissimam, ut portis apertis reciperent Turcas.

A.C. 1394.

A.C. 1397. XII. Moriens reliquit filios quatuor, Johannem, Thomam, Davidem, Constantinum. Ex iis *Johannes* successit, & gravem obsidionem passus est à Bajazethe Sultano, quem viribus suis depellere haut poterat, adeoq; precibus adhibitis evocabat Temirlangum Parthiæ Sultanum, ut subsidio adesset. Hac vice urbs liberata est, & Turci internecino prælio victi finibus suis deinceps sese continebant. Ejus filius *Constantinus* loco ultimo imperavit, tempore illo, quo Amurathes Sultanus reparatis viribus Macedoniam, Epirum, Bosniam expugnabat, Peloponnesum vastabat, magnam pecuniæ vim pro censu quotannis exigebat. Princeps duræ servitutis impatiens, velitabatur armis, Peloponnesum muniebat, Hellespontum classe tuebatur. Postquam verò hostes proditione occupaverant Heracleam in Thracia, adeò concidit animi, ut peteret pacem neque recusabat Amurathes, ut eo liberius cum Hungaris depugnaret. Fruebatur pace Græcia paucis annis, deinceps Muhammedes per legatos suos jubebat Principem, ut abstineret Thracia, & pro imperio urbis solveret quotannis centum mille aureorum, aut si hoc non posset, excederet urbe cum opibus suis Princeps neutram conditionem accepit, fretus Italorum & Hungarorum societate. Proinde Sultanus adducto exercitu quadringentorum millium virorum, terra marique claudebat urbem, & factis assultibus demum expugnabat. Princeps inter confertissimos hostes dimicans, cæsus est, caput ejus desectum & hastæ infixum per castra circumlatum, imposuit finem Orientis imperio.

Chalcocondylas lib. 3. 4. 5.

A.C. 1398.

A.C. 1448.

Chalcocondylas lib. 7. 8. 9. 10.

A.C. 1453.

LIBER VIII.

Quo continentur res gestæ Cæsarum Occidentis, Populorumque aliorum usque ad Imperium restauratum per Francos.

CAPUT I.

De rebus gestis Honorii & Cæsarum sequentium.

A.C. 395. I. HOnorius post excessum Theodosii patris suscepit imperium Occidentis, prorsum ærumnosus. Statim enim vexavit eum Gildo Africæ Proconsul, & navibus attentis, quæ frumentum vehebant Romam, tantam induxit famem, ut cives multi ex urbe profugerent. Sed Gildonem frater ejus Mascelles adortus cum exercitu, profligavit & captum peremit. Stilico nobilis Henetus, rerum Principis curator industrius & virtutis fama excellens, nisi ambitionis vitio succubuisset, matrimonio copulabat Principi filiam Mariam. Hujus consilio gerebantur omnia, & quia Principem segnem noverant vicinæ gentes, dudum insidiatæ Imperio, subito eruperunt. Gothi divisis copiis, alii sub Alarico per Istrum glacie concretum transiverunt in Noricum, porro in Venetorum ditione Principem obsederunt. Stilico liberavit obsessos, & Alaricum duobus prælius victum coegit, belli reliquias ex Italia transferre in Illyricum, unde venerat. Rogavit deinde per literas, ut Princeps vellet ei stipendium annuum ac militiæ præfecturam donare, neque repulsam tulit à Principe facili hoc imprimis tempore, quando alter exercitus Gothorum sub Radagaiso emensus Alpes, consistebat ad Florentiam. Hunc Stilico non ausus aggredi prælio, obsedit eminus, & Barbari fame, peste, morbis afflicti, velitationibus plurimis ad tantam paucitatem redacti sunt, ut pro mancipiis venderentur.

Zosimus lib. 6. Carolus Sigonius lib. 10. de Occidentis Imperio.

A.C. 402.

A.C. 405.

II. Stilico post tantas res gestas, cumque videret, pares deinceps quoque gerendas esse, de matri- *Zosimus l. 6.*

mo-

monio Principis sterili anxius, instabat serio ut Eucherius filius suus designaretur Cæsar. Sed proceres alii, quibus perinde obnoxius Princeps erat, exaggerabant viri peregrinitatem, volebantq; præferri indigenam. Dum Princeps cunctatur, Stilico præcipitat consilium, & per nuncios impellit Alaricum, ut reparatis viribus Italiam petat, deq; progressu belli meliora speret. Vix ista perceperant Gothi, cum per alias circumstantias de proditione accusatur Stilico, & capitis supplicio unà cum filio afficitur. De Tribunis legionum ejus acerbissimæ quæstiones sunt habitæ, qui plurimi fugiebant ad Gothos, novæque expeditionis comites redibant in Italiam, obsidebant Ravennam, sed cum præsidiis validis munita urbs posset certò affligere obsessores, de oppugnanda Roma, quam soli cives tuebantur, consilium ceperunt. Et primi ipsi urbem Orbis dominam nocturna irruptione superaverunt, citra tamen ullius injuriam. Rex ingentem auri summam detractis veterum idolorum preciosis ornamentis accepit, & Attalum urbis præfectum designavit Principem injecta illi purpura, ut socium haberet ad debellandum Honorium. Attalus pro virili tuiturus dignitatem collegit exercitum, navigavit in Africam, bellumq; locis illis concitavit. Verum Heraclianus maris præfectus eum victum coegit in Italiam redire, & viri infelicitatem spernens Alaricus, purpuram vicissim abstulit. Constantinus Galliæ Proconsul maximas copias adducebat in Italiam, quem veritus Alaricus pacem rogabat iis legibus, ut Galliæ partem incolendam acciperet, ut Principis commoda juvaret pace & bello, ut annuum stipendium solveretur. Princeps pertæsus calamitatum assentit, cumque Gothi pacis fiducia, agmine non satis composito abirent in Galliam, expedita militum manu improviso superveniebat Sarus Alpium Cottiarum præfectus, magnaque strage perculsos Italiæ finibus continebat.

A.C. 408. (margin)

A.C. 409. (margin)

III. Placuit Gothis reverti in Latium, quanquam Princeps de omnibus illis ignorabat, & verò Constantinus dissolverat copias suas, quò facilius erat, ut Romam iterum obsiderent hostes. Et ceperunt eadem facilitate, ignibus & rapinis sævierunt, sanguinis tamen cædisque modum statuerunt, venia illis, qui ad loca sacra confugerent, data. Tertio post die, quàm irrupuerant, egressi iterum, Lucaniam petunt, ubi Rex Alaricus moritur. Ejus successor Adolphus pacem fecit cum Honorio, & in Galliá abiit. Obiit Princeps intercute aqua, nullo relicto filio, proinde Jo-

Zosimus l.d. Carolus Sigonius lib. 11. de Imp. Occid. A.C. 410. A.C. 411.

A.C. 423. hannes Quæstor magnus Ravennæ Principatum invasit, deque Gothis, Vandalis, Hunnis auxilio adfuturis magnam spem conceperat. Placidia soror Honorii filium habebat *Valentinianum* Constantino Proconsule genitum. Ad hunc imperii hæreditatem devolutam esse, merito contendebat Theodosius Græciæ Imperator, & misso Ardaburio cum exercitu Ravennam expugnabat. Capiebatur Johannes & aquis mergebatur, Valentinianus in fidem suam adigebat cives, & hunc Principem quidem Barbari certatim velut in omnibus Imperii partibus afflixerunt. Gensericus Vandalorum Rex maturabat discedere ex Hispania, ubi Gothos vicinos infestos habebat, perque fretum navigabat in Africam. Proconsulem Bonifacium prælio superabat, Numidiam occupabat, regia sede constituta in urbe Carthagine.

P. Diaconus l. 3

A.C. 425.

P. Diaconus l. d.

A.C. 435.

IV. Scoti & Picti diripiebant Britanniam, adversus quos Princeps non poterat corrogare auxilia, districtus gravissimo adversus Hunnos bello, & vero Britanni conversi ad exteros, mercenaria Saxonum & Cimbrorum arma implorabant. Hunni sub Attila Rege ducebant in Galliam excidium comminati Imperio, sed eos in campis Catalaunicis prælio victos cogebat Aetius militiæ supremus magister, ut in Pannoniam recederent. Princeps virtute Ducum suorum conservabat Imperium, ipse domi ociosus & crudelis stuprabat uxorem Anicii Maximi Consularis, qui ulturus injuriam de Principe occidendo & imperio corripiendo consilia agitabat. Et quoniam imperii compotem se fore non credebat, quando Aetius in vivis esset, apud Principem deferebat eum, quod contra Hunnos victoria obtenta moliatur res novas, cumq; Francis Imperii hostibus occulto fœdere obstrictus, Imperatoris dignitatem appetat. Evocatus Aetius ad dicendam causam multisq; calumniis obrutus capite plectebatur. Vicissim hujus milites deprehensum in Campo Martio Principem, Maximi auro invitati, obtruncabant, ut Ducis innocenter occisi ultionem peragerent.

Carolus Sigon. l. 13 de Imp. Occid.

A.C. 449.

Iordanes.

A.C. 451.

A.C. 455.

V. Maximus ducta Cæsaris vidua Eudoxia, in maximis turbis Imperium corripiebat, militum votis confirmatus. Sed cum jactaret imprudenter, *spe conjugii istius consilio suo interfectum fuisse Imperatorem*, impatiens sceleris mulier, per nuncios dona mittebat Genserico Vandalorum & Numidiæ Regi, ut cædis ultor adesset. Rex navibus advectus expugnabat urbem, cives opesq; plurimas deportabat, incendio abstinens, quoniam Leo Episcopus intercederet. Maximus occisus in Tiberim devolvebatur.

P. Diaconus l. 15. Sigonius l. 14 de Imp. Occid.

tur. Succedebat ei *Avitus Patricius* Visigothorum opibus confisus, quem tamen Senatus oderat, propter habitam cum Maximo familiaritatem. Hujus decre-
A.C. 456. to copias in eum ducebat *Richimerus Suevus*, captumque relegabat in Galliam, ubi extorris obiit, neque poterant Visigothi causam ejus agere, quandoquidem ipsi relicta Gallia, ubi Francos vicinos habere nolebant, emigrabant in Hispaniam, pulsuri inde Suevos.

VI. Græciæ Imperator Leo ad componendas Italiæ turbas, Principem designabat *Majoranum*
A.C. 457. nobilem Ravennatem. Hic conscripto exercitu Vandalos pepulit Sicilia, inque Numidiam profectus classe, multis præliis superavit Gensericum, ut pacem rogaret ac spolia nuper ablata restitueret. Post Visigothorum è Gallia abitum, vacuos agros ad Pyrenen invadebant Alani, sed cum hos novos inquilinos rejiceret Princeps, bellumq; comminaretur, ipsi rerum vices mutando, armis sumptis versus Italiam contendebant. Occurrebat eis Principe jubente Richimerus cum exercitu, verum perfidus ille societatẽ inibat cum Barbaris & frau-
A.C. 461. de comprehensum Principem occidebat. Eo nuncio recreati Alani, velut pace facta in Galliam revertebantur, Richimero deluso, qui Imperium spe devoraverat. Et Senatus constituebat Severum Principem, non contradicente Richimero, quando mutare non poterat. Alani media hyeme Alpes superabant, inque Liguriam populabundi effundebant sese. Richimerus memor infidæ societatis prælio magno eos victos pellebat, cumque exercitus ad omnia jussa paratos haberet, recipiebat animum imperii concupiscendi & Severo dabat venenum. A.C.
Perempto illo conabatur multa, 465.
sed incassum. Et quoniam *Flavius Olybrius*, Genserici Regis amicus, non hoc solum nomine, verum etiam quod proceres Romani faverent illi, Principatum petebat, dissensu tamen suo prohibebat, ne ille potiretur, & Leo Græciæ Imperator designabat Principem *Anthemium*. Qui cum videret, nimiam Richimeri potentiam esse, amicum illum & Imperii collegam, data insuper filia in matrimonium, adoptabat. Gensericus pro socio suo Olybrio classem educebat, nunc victus, nunc victor, & exclusus tantisper Olybrius non pervicit antequam domesticæ lites invalescerent. Principis vitæ insidiabatur Richimerus, damnatus ob id capitis, vitæ gratiam tamen à socero impetrabat.

VII Richimerus nequaquam ex animo reconciliatus socero suo, clanculum evocabat Alanorum turmas, quibus legiones suas adjungebat, & Romam ingressus, ha-

A.C. 472. habito in urbe prælio, captum Principem gladio feriebat, cives optimos spoliabat, ut Barbarorum loculos sinusque impleret. Ipse vero non longe ab urbe discesserat, cum per recollectam civium manum obruitur & obtruncatur. Imperabat deinde *Olybrius*, A.C. 473. paucis mensibus, & post eum *Glycerius* Vandalorum amicus, quã-obrem hostem illum declarabat Leo Græciæ Imperator, & nondum finito potestatis anno dejiciebat, misso *Iulio Nepote*: Qui A.C. 474. Principatum suscipiebat, & brevi amittebat. Nam Germanicæ gentes, Heruli & Rugii, postquam angustos Dalmatiæ agros hactenus incoluerant, patentes multum Italiæ campos appetebant deinceps, neque recusare audebat Princeps destitutus ab omni armorum præsidio, itaq; *Orestem* Gothum, militiæ supremũ magistrum ablegabat, ut habitationes metaretur pro novis hospitibus. Is Ravennam abibat cum prætoriana legione, eamque rebellionis impletam subito permovebat, ut filium suum Augustulum renunciarent Principem. A.C. 475. Tum prælio contra Nepotem obtento victor occupabat Romã, *Augustulũ* imponeb. solio, qui ipso nominis diminuti infelice auspicio portendebat, imperatoris autoritatem vergere ad interitum. Ut vero pater filio suo stabile imperium pareret, Nepotem relegabat in Dalmatiam, & pacem faciebat cum Vandalis, ne turbarent Siciliam, Italiam, Galliæ partes. Sed aliunde horrendus turbo incubuit, *Odoacer* Rugiorum Princeps adscitis Herulis, Turcelingis, Slavinis, cum Italiæ statum omni discordiarum genere afflictum pernovisset, relictis Dalmatiæ vicis, exercitum per Noricum ducebat in Insubriam, & victum ad A.C. 476. Papiam magno conflictu Orestem fugabat. Hæc pugna evertit Imperium Occidentis. Et ne quas deinceps turbas moverent, Orestes interfectus est, Augustulus exsul abiit in Campaniam.

VIII. Odoacer Romam per deditionem capiebat, Rex Italiæ proclamatus Ravennæ aulam constituebat. Abrogabat Consulibus potestatem, & tertiam partem agrorum popularibus suis assignabat. Maxime ab eo timebant sibi Vandali, ac Rex Henricus pace oblata Siciliam restituebat. Eodem tempore civile bellũ gerebat cum fratre suo Feldevo, quem citerioris Pannoniæ Gubernatorem effecerat, ubi Herulorum familiæ quædam sub Gepidarum Rege militantes habitabant. Et quoniam in illo populorum multorum concursu non poterat sine turbis & cædibus esse, Heruli cum Rugiis primum rixari, inde bellum gerere voluerunt. Feldevus invadebat Herulos, & profligatis illis, quanquam serio

Diaconus l. 16. Sigonius l. 1. de Imp. Occid.

ſerio rogabant, pacem dare nolebat, jubebat vero ut opibus relictis abirent quo vellent. Reſcivit illa per nuncios Odoacer, ſed fratris auſteros mores damnavit, exſulibus invitatis, ut opibus ſuis unà abductis venirent in Italiam omnium terrarum amœniſſimam. Per tumultum occiſo Feldevo, Heruli plurimi veniebant in Italiam, liberales poſſeſſiones nacti per Apuliam & Siciliam, cæſis quoque ad internecionem Alanis, qui in Liguriam denuo irruperant.

Sigonius lib. 16. de Imperio Occidentis. IX. Ferebant Odoacrum Italiæ populi, ſed Græci eum odio perſequebantur, cum Siciliam reddere nollet. Degebat in aula Zenonis Cæſaris *Theodoricus Gothus*, Tyroliæ Princeps, moribus literisque apprime commendatus, qui recolebat animo, Oſtrogothorum Reges, majores ſuos, Alaricum & Adolphum potitos nu per Italia, emigraviſſe porro & Imperio, velut advenas retinendo noluiſſe incumbere ſerio, tanto minus ferendum, gentem ab extremis Balthicæ agis progreſſam veniſſe in Italiam, & cum vidiſſet omnia viciſſe quoque. Petebat miſſionem à Cæſare, acceptis pariter armis & ſubſidiis, ducebat populares ſuos per Thraciam, Bulgaros & Gepidas, qui liberum tranſitum negabant, profligabat, Alpibusq; perfractis magno cum Herulorum omnium deſiderio pugnabat ad Aquilejam. Victor pergebat, & novas Herulorum copias ad Veronam fugabat, Mediolanum capiebat. Neq; ſegniter à reliquis urbibus & populis ad Regem novum defectio parata eſt. Odoacer relicta in poteſtate hoſtis Inſubria, contendebat Romam, ſed non admittebatur, ac porro Ravennæ muniebat ſeſe contra Gothorum impetũ. Theodoricus à Romanis ſubſidia omnia petendo, Liguriam, Campaniam, Apuliam facile perdomabat, Ravennam difficulter oppugnabat. Odoacer triennio obſeſſus, multis eruptionibus hoſtẽ affligebat, ut pacẽ offerret Theodoricus quia pro voto bellũ haut eſſet, diviſoq; Italiæ imperio, alteram partem Gothi, alteram Rugii haberent, Regibus ſuis parentes, & contra externos militiam ſociam paciſcentes. Odoacer paci fiſus nimium, Græca perfidia Germanus periit, ad epulas invitatus & inter pocula obtruncatus, quando parum Theodorico erat, in Regni duntaxat partem veniſſe. Gothi Italia tota potiti agros, Rege dividente, acceperunt, Rugiis & Herulis permiſti in gentem unam coaluerunt.

A.C. 490. Ericus Puteanus l. 1. hiſtoriæ Inſubricæ.

A.C. 493.

❧ (o) ❧

CAPUT II.

De rebus gestis Theodorici Veronensis & Regum sequentium.

Cassiodorus, Cranzius l. 2. & 3 Suediæ.

I. HIc est Theodoricus ille, Veronensis cognomine dictus, cumque rebus omnibus feliciter compositis Romam ingrederetur, Senatus populusq; libentes eum suscipiebant, Boethio recitante solennem orationem. Ipse vicissim humaniter alloquebatur omnes, Senatus authoritatem & populi jura confirmabat, Episcoporum opes diminuebat, ne occasio ambitus essent. Italiæ adjectas patrias terras, Dalmatiam & Pannoniam singulari prudentia conservabat, ne Græci eas repeterent armis, quanquam non semel per nuncios suos reposcebant, demum quoque Anastasii Principis impulsu eas invaderent Bulgari, Ruthenica gens. Hos profligabat Vitiges, Rege eorum occiso & capta multitudine Gepidarum, qui in hostium castris militabant. Anastasius in Mesopotamia cum Persis conflictabatur, cæterum navibus missis Italiæ littora populabatur, & Clodovæum Galliæ Regē preciosis muneribus invitabat, ut Theodorico bellum inferret. Et Franci quidem Narbonenses agros subegerunt, Alarico Visigothorū Rege, Theodorici genero, qui locis illis imperabat, in acie cæso. Dum verò persequendo victoriam, Italiam peterent, ab Ostrogotis repulsi sunt amissis triginta millibus viris. Neq; deinceps redierunt. Alaricum patre spoliatum domi suæ educabat avus, futurum successorem in Hispaniæ & Galliæ partibus.

A.C. 500.

A.C. 504.

A.C. 507.

II. Romæ exortis litibus de indignarum jure potiore adversus peregrinos, cū severe nimis cives inveherentur in peregrinos, haut recordati quod ipse eorū Rex peregrinus esset, tantum effecerunt, ut *Boetius* & *Symmachus*, viri Consulares evocarentur Papiā ad dicendā causā. Rex negabat, placere sibi ea quæ egissent, ambosq; capitis supplicio afficiebat, opibus eorum in fiscum redactis. Conscientiæ doloribus ob id vexatus, febri ardente decedebat, Rex virtutum studio clarissimus, si animum moderari satis novisset in magnis fortunæ incremētis. Succedebat ei *Alaricus* è filia Amalasuntha nepos, genitus patre Alarico Principe è Visigothis & Consule Romano. Cæterū mater regebat, prudentissima & literis exculta optime, patris exemplo, quomodo filiū quoq; esse concupiscebat, adjunctis juvētæ Rectoribus viris literatis & virtutum amantibus. Restituebat exsules, & cum Francis pacē faciebat redditis agris quos pater eis abstulerat. Græ-

A.C. 526.

Cranzius l. 3. Suediæ c. 10 seqq. Sigon. l. 17 de Imp. Occid.

Græciæ Imperatorem adjuvabat
opibus & commeatu, ut Vandali
ejecti Africa, vicinis populis haut
nocerēt latrocinādo. Hoc Gotho
rum proceres ægre ferebant, Frā-
cis ac Græcis infensissimi, proinde
Alaricum Regem potestati matris
subductum libertate donabant,
A.C. & proculcato literarum studio de
533. armis induendis multū loquebā-
tur. Princeps licenter nimis volu-
ptates sectatus morbo corripitur,
obitque, ac mater doluit filium à
proceribus seductum vitæ finem
A.C. intemperantius vivendo præcipi-
534. tavisse. Relegatos eos in Campa
niam damnavit capitis, utq; mu-
niret se contra reliquos, cōsobri-
num suum *Theodatum* ad nupti-
as & regni societatem evocabat.

Cranzius l.3. Suedia c. 34. seqq. III. Rexerat ille Hetruriā sum-
ma cum laude, nec tamen perpe-
tuo bonus, Reginam criminaba-
tur velut quæ nimiū faveret Græ-
cis. Damnabatur illa ad carceres,
inde strāgulabatur. Græciæ Prin-
ceps Justinianus bello indicto,
Dalmatiam pariter ac Siciliam in-
vadebat, sed in Dalmatia per Bul-
garorum insidias victus est, meli-
us in Sicilia pugnavit Belisarius,
promotisq; copiis Apuliam & Ca-
labriam domabat, Romā victor
ingressus. Theodatus in secundis
A.C. rebus elatus, timidus in adversis,
Ravennam fugiebat, ubi occisus
536. est in lupanari. Succedebat *Vitiges*,
militiæ ductor veteranus, qui Be-
lisarium ex Hetruria depulsū per-
sequebatur Romam versus quam
nuper Luderus præfectus deditā
Græcis, captivus ipse non satis cō-
stanter defenderat, odio Theoda-
ti, & verò obsidebat eam Vitiges *Procopius*
cum maximis centū ac quinqua- *l.2. Cranzi*
ginta millium copiis, nec tamen *us l.3. Sue-*
expugnabat, quoniā cum valido *dia c. 34.*
præsidio Belisarius obtinebat. Ex- *seqq. Sigo*
acto anno abibant Gothi cū mor- *nius l.18.*
bis plurimis conflictati, veriti præ *de Imp.*
terea novarū copiarum adventū, *Occid.*
quas Narses per Dalmatiā adduce-
bat, & Mediolano imponebat re-
centes fessasq; ab itinere. Gothi cū
Burgundorum turmis sociati Me-
diolanum cingebant, & vi supe-
ratam diripiebant, incolis occisis.
Hoc unicum debebant sociis,
namq; post horum abitum deser-
tam locis omnibus Italiam perva-
gatus Vitiges commeatus prohi-
bendi studio, victorem Belisari-
um excitabat, ut Ravennam con-
tēderet ille, atq; expugnaret regiā
Gothorum. Vitiges captivus mit- A.C.
tebatur in Græciā, & propter Re- 540.
gii nominis reverentiā factus est
Patricius, oblata insuper militiæ
præfectura adversus Persas, qui
Syriam vexabant crudeliter.

IV. Neque hoc incommodum *Procopius*
accidebat Gothis, qui à Belisario *lib. 3.*
liberati ad bellum Persicum re-
ctius gerendū evocato, ipsi Vero-
næ convētu habito Regē eligebāt
Hildebrandum, & Transpadanas
regiones præsidio muniebāt. Rex
crudelius in proceres sæviendo,

quàm orienti fortunæ expediret, Ducem militiæ Horajum, Vitigis propinquum, obtruncabat, ipse
A.C. vicissim cæsus à Bellarogo satelli-
541. te. Inde regnabat *Arvaricus* gente Rugius, ex Odoacri, qui olim Italiæ dominatus fuerat familia, sed proceres Gothorum hunc
A.C. veneno tollebant nondum ex-
542. acto anno, quod cum Justiniano mallet pacisci fœdere quàm armis contendere. Hunc excipiebat *Totilas*, sorore Hildebrandi natus, fortis & felix, qui afflictas gentis suæ res singulari virtute restaurabat. Bessas & Vitalis militiæ Græcæ tribuni, discordes animis & rapinis potius quàm hostium actis intenti, Belisario absente, rem perdebant. Cæsis ad Veronam multis, fugatis plurimis turmis, prædas opimas referebat Totilas, Lucaniam & Calabriam recuperabat, Neapolim expugnabat. Ad Hydruntem victoris impetus hærebat, & Belisarius copias novas è Græcia adducebat.

Sigonius lib. 19. de Imperio Occid.

V. Is profectus in Latium, Pisauri continebat sese, donec Gothorum impetus velitationibus attereretur. Gothi expugnatis Spoleto & Placentia contendebant Romam, eamque biennio obsessam, hostibus in vicinia quamvis agentibus, superabant.
A.C. Civibus aut occisis aut ejectis,
547. maxima pars urbis incendio deflagrabat, mœnia evertebantur, Ne solo æquaretur, deprecatus est Vigilius Episcopus, & Gothi in Campaniam abeundo, urbem desertam velut negligebant, sed Græci totis viribus restaurabant mœnia, cives dispersos revocabant, commeatum apportabant, stativisque ad portas collocatis defendebant miseros. Hæc verò stativa facilè debellabat Totilas è Campania reversus, fugiebat Belisarius in Græciam, postquam milites ejus inter cives perfidos & hostes infensos quotidiè perirent fame ac præliis. Totilas fugato illo non jam capiens fortunam suam, in Siciliam navigabat, & maris quoque dominium asserebat, navibus in Peloponnesum emissis. Sed hæ procellis eversæ parum nocuerunt Græcis, à quibus Narses cum novis delectibus profectus in Thraciam, precio comparabat auxilia Longobardorum, ut sequi vellent in Latium. Stabant Gothi cum exercitu ad Anconam, & Græci maris itinere usi commeatum militesque suppeditabant, demum Narses accedebat propius, quo cognito Gothi ab urbe discedebant, ne terra marique conclusi difficilem nimis pugnam experirentur. Ibant in Hetruriam, ut Apennini claustris propiores, de hostis progressu melius specularentur. Narses refecto exercitu, sedecim millibus Longobardorum & Heru-

Procopius l. d.

Cranzius lib. 4. Suedia cap. 19.

Herulorum adjunctis, præsidia hostium ad Rubiconem fluvium expugnabat, Gothosque eodem itinere assecutus, magno prælio
A.C. cædebat. Sex mille viri occu-
553. buerunt, atque inter eos Rex ipse telo confossus in fuga defecit, fortuna sua major.

VI. Persecutus victoriam Narses Romam vi cepit, & Herulorum proceres, quicunque hactenus Gothorum castra sequebantur, ad Græcos transiverunt. Nec tamen despondebant animos Gothi, designabantque Regem *Tejam*, Insubriæ Rectorem. Hic ære conductis Francis tantisper resistebat hostibus, inque Campaniam delatus, pro defendendis Cumis, ubi Totilas deposuerat opes suas, fortiter multa agebat. Confligebat ad Nuceriam & vincebat
A.C. bat ad Nuceriam & vincebat
554. Græcos, sed cum non superesset victoriæ suæ, incassum deinde laborabant Gothi, & certatim ad Græcos, opibus salvis, deficiebant, recente exemplo Herulorum, qui fœdere quàm ferro pacisci maluerant. Cumarum præfectus nolebat urbem dedere, Francorum promissis nixus, qui Græcos Italiæ dominos haud laturi, majori cum exercitu accurrebant, Pedemontium & Hetruriam vastando, Campaniam insidendo, multum sese præferebant Græcis. Cumani videntes eò perventum esse, ut vel Græcis vel Francis serviendo, libertate carerent, elegerunt potius Græcos remotos quàm Francos nimium vicinos. Ergo dedebant urbem, & Franci itinere versus Romam acto morbis affligebantur, reliquias ad Vulturnum amnem delebat Narses. Quem Cæsar designabat Italiæ Exarchum, ut post tantas res bello gestas, pacis quoque commoda administraret. Gothis amicus nulla rebellione agitabatur, Francos nominis terrore compressit. Liberalis erga omnes instaurare passim belli damna cœperat, & benignitate celebris placebat omnibus, verum Senatus Romanus deferebat eum in aula Justini Cæsaris, quod vectigalia liberius profunderet, aut verò etiam clementiæ artibus affectaret regnum. Hic eum jubebat in urbem reverti, & mittebat successorem in provincia *Longinum*. nullis virtutibus insignem. Provocatus ille contumelia evocabat Longobardos, A.C. 567.
notos sibi commilitones, ut in Italiam advenirent modicis præsidiis instructam & à recenti calamitate adhuc languentem. Atque ipse, ut tutis locis degeret, concessit in urbem Romam, ubi senex obiit.

Procopius l. d. Cranzius lib. 4. Suediæ cap. 22 seqq.

Agathias lib. 1.

Sigonius lib. 20 de Imper. Occid. Puteanus lib. 2. historiæ Insubricæ.

CAPUT III.

De rebus gestis Alboini, Longobardi & Regum sequentium.

P. Diaconus lib. 1. Alb. Cranzius lib. 2. Daniæ cap. 19. seqq.

I. Longobardi è Germania Balthica & proximis Insulis, ubi nunc Dani habitant, profecti, venerant in Pannoniam, & cæsis Gepidis, horum agros occupaverant, spectatores novarum turbarum, quas Belisarius acerrimus Gothorum persecutor in Italia daturus esset. Porrò à Narsete evocati, sequebantur Regem
A.C. *Alboinum*, ferocissimum pro in-
568. dole gentis, & Pannoniæ agros donabant Avaribus, quando ipsi non reversuri non haberent illis opus. Facto itinere per Dalmatiam & Histriam, primo impetu capiebant Forum Julii, inde victricibus armis Insubriam & Galliam Cisalpinam pervadebant, miti tamen victoria usi, quod regiones urbesque pro suis retinere vellent, Papiæ regiam sedem constituebant. Rex demum Veronæ epulas dando proceribus suis, vinum apponebat eis in cranio Gepidarum Regis Cunimundi, quem olim conflictu sustulerat, lamina argentia obducto, unde iram concepit Regina, quæ Cunimundi filia erat, & Helmichem Regis satellitem auro copioso permotum, dormienti

Alb Cranzius lib. 3. Daniæ c 4. seq.

marito suo immisit. Gladio con- A.C.
fossus ille sine filio obiit, latro 454.
opibus onustus, comite Regina, fugiebat Ravennam, & non multo post ambo venenum hauserunt, opes Longinus Exarchus in fiscum redegit.

P. Diaconus lib. 2. A.C. 575.

II. Successit *Clephes*, qui Latii urbes aliquas subegit. Eum propinqui interfecerunt, quos propter delicta suppliciis afficere decreverat, & verò proceres comitiis habitis, inter maximas rixas, quia Regem eligere non poterant, triginta Duces pari imperio creabant. Benè gerebãtur omnia, dum vigebat concordia. Tauri-nos & Aquitaniam vastabant, immissis Saxonum Thuringia evocatorum turmis. Sed hos prohibebãt armis suis Franci, ne agros illos occuparent, & Saxones, quia in Longobardorum castra reverti nolebant, hanc conditionem Sigeberto Francorum Regi obtulerunt, ut transitum permittendo, vacuos ad Rhenum agros in Ubiis & Eburonibus adirent. Eisdem bellum faciebat *Caganus* Pannoniæ Rex, & Forum Julii expugnabat proditione Romhildæ viduæ usus, quæ Gisulphum Ducem, maritum suum, nuper morte amiserat. Hæc paciscebatur Cagani matrimonium, dedendo urbem, sed Caganus non servavit fidem, urbem diripuit, sponsam ad palos deligatam sagittis confixit. Rediit in Pan-

Cranzius lib. 3 Daniæ cap. 10. seqq.

Pannoniam, divespræda, & Longobardis pacem dedit. Tandem rupto inter proceres concordiæ vinculo, Drotula Suevus ad Smaragdum Exarchum confugiebat, eique urbes Hetruriæ prodebat. Hoc facinus admonuit proceres, ut Optimatum imperio abolito
A.C. 585. Regem designarent *Autharem* Clephis filium. Itaque Smaragdus Hetruria expulsus est, & Drotula supplicio affectus. Promulgavit leges contrà latrocinia hactenus licita, & sine filio defunctus morte, reliquit viduam *Theudelindam*, quæ matrimonium simulac regnum obtulit *Agilulpho* Ferrariæ Duci, procerum consensu obtento. Is cum Smaragdo Exarcho & Francorum Rege Clothario bellis certavit, cum Phoca Cæsare fœdus pepigit. Smaragdi successor Callinicus, dum pacem peteret ac vicissim promitteret, bellum moliebatur. *P. Diaconus lib. 3. Cranzius lib. 3. Daniæ cap. 13. seqq* A.C. 592.

III. Superabat Parmam, & Regis filiam cum genero captivam abducebat, qua injuria excitus Rex provincias Græcorum diripiebat, Patavium, Cremonam, Mantuam, expugnabat, Exarchi copias apud Beneventum profligabat, Romam integro anno obsidebat, dura comminatus, nisi eum malæ tempestates & morbi depulissent. Parma recepta, pacem fecit cum Eleutherio, novo Exarcho, qui Longobardorum turbis commodo suo usurus, in partibus Italiæ, quas Græci adhuc tenebant, Regem sese constituebat. Decedebat A.C.
Agilulphus, & post eum regna- 616.
bat filius *Advaldus*, matris consilio addictus, nec malè, nam defuncta illa in luxuriam solutus & crudeliter omnia acturus, procerum communi voto abdicatur. Successit *Abroaldus* vir pace & bello utilissimus. Paulo ante cæsus Eleutherius finivit rebellionem, & secutus eum Isaacius convehendis opibus intentus, pacem servavit. Porrò regnavit *Rotharis*, qui sublatis induciis, cum Exarcho Calliope dimicavit apud Mutinam, Liguriam occupavit, Tarvisium solo æquavit. Huic successit *Rodoaldus*, qui vivendo intemperantius cum per lupanaria vagabatur, occisus est. Hunc excepit Theudelindæ reginæ frater *Aribertus*, Bavariæ princeps, qui laudabiliter egit omnia, & moriens regnum duobus filiis suis æqualiter distribuit, ut *Godebertus* Papiæ, *Berthariis* Mediolani aulam haberent. Initio benè inter eos convenit, deinde verò malevolorũ consiliis inducta discordia, unus alterũ de insidiis suspectũ odio implacabili oneravit. Godebertus itaq; accersit *Grimoaldum*, Beneventanũ ducem, ut haberet subsidium contrà fratrem. Verum is Papiæ receptus, quem servare debuisset, *P. Diaconus lib. 4. Cranzius lib. 3 Daniæ cap. 15. seqq.* A.C. 626. A.C. 638. A.C. 653. A.C. 657. A.C. 662. *P. Diaconus lib. 5.* A.C. 663.

eum opprimit, cæsoque per fraudem Godeberto, corripit dominatum, Berthario indicit bellum, qui ab exercitu imparatus, fugit primum ad Caganum Pannoniæ, inde ad Dagobertum Franciæ regem se contulit.

A.C. 673. IV. Grimoaldus prælio congressus prope Astam, debellabat Francos. Mox etiam Constans Imperator classe instructa, veniebat Tarentum cum exercitu, bellum suo ductu & velut manu Longobardis illaturus. Luceria, reliquisque in itinere oppidis occupatis, Beneventum aggrediebatur. Subsidio ibant Longobardi, & fugatos primum inde prælio cæsos Græcos depellebant. Rex arcum tendendo connisus, obiit demum profluvio sanguinis, quo comperto Bertharius exul revertebatur in Italiam, & magna cum

A.C. 680. laude justitiæ præerat. Successit ei filius *Cunimundus*, quem regno spoliavit *Alachisus* Dux Tridentinus, non tamen diu potestate gavisus. Quia enim crudeliter in cives militesque sæviebat, obtruncatus est, & Cunimundus reducebatur. Hic moriens relinquebat filium *Ludbertum*, eumque commendabat Asprando tutori. Sed illos bello invadebat *Reginobertus* Dux Taurinorum, & victor solium occupabat. Brevi functus imperio successorem eligebat filium suum *Aribertum*, quem legitimus hæres Ludbertus armis persecutus, conflictu ad Papiam habito vincebat, perempto Ludeberto, dum incautius nimis in prima acie obequitabat: *Asprandus* in Bavariam discessit. Exactis annis aliquot mercenarias Bavarorum legiones adduxit in Italiam, pugnavit cum Ariberto, vicitque, & Rex in fuga mersus est Ticini aquis. Sed nec Asprandus ultra paucos menses provixit, & successorem habuit *Luitprandum*.

P.Diaconus l.6. Puteanus lib.3.

A.C. 700. A.C. 701. A.C. 702.

A.C. 713.

V. Is bello ac pace majores suos longe antecelluit. Cum Exarcho Paulo, qui Papam Gregorium Cæsaris jussu mulctabat opibus, rem armis disceptavit, Papæ multa lucratus, sibi quoque Bononiam urbem acquisivit. Pace deinceps facta cum Græcis, in Galliam expedivit validas legiones, quibus adjuvit Carolum Martellum, ut Mauros in Narbonensibus agris profligaret. Pontifex malam gratiam liberatori suo retulit. Cum enim Rex ducem Spoletanum, majestatis reum, persequerentur armis, pecuniam & milites à Pontifice accipiebat Spoletanus, quod Regem permovit, ut Romam obsidione cingeret. Periculo involutus ille instabat precibus apud Martellum, qui exoravit Regem amicum suum; ut obsidionem solveret.

Cranzius l.3 Dania c.34.seqq.

A.C. 739.

A.C. 744. VI. Defuncto illo successit *Hildebrandus*, cui ipso inaugurationis die è templo prodeunti hastamq;

gentis

gentis ritu præferenti, insedit cuculus. Dejectus procerum omnium voto, quia morosior erat, locum dedit *Rachisio* Duci Forojuliensi. Hic bello invasit Papæ ditionem, & Perusiam cinxit, sed in castris eum convenit Zacharias Papa, atque religionis metu injecto, hoc impetravit, ut urbem liberaret, regno decederet, ac monasterium ingrederetur, factus Benedictinus in Cassino.

A C. 750.

Cranzius lib. 3. Daniæ c. 37. seqq.

Ejus frater *Aistulphus* regnavit deinde, qui Ravennam expugnavit, & Græcorum dominium in mediterrania Italia finivit. Porrò contendit Romã, & nummum aureum à civibus omnibus exegit eo nomine quo illi eum quotannis Græciæ Cæsari persolvissent, cunctantes bello invasit, urbemque obsedit, Latium diripuit. Stephanus Papa rogabat auxilium Cæsaris, nec tamen ab illo præter Legatos, quicquam extorquebat, & verò Legati à Rege dimissi Papæ authores erant, ut opem quæreret, ubi gentium posset. Evocabat ille Pipinum Galliæ Regem, qui per sacra omnia velut obligatus, ad ferendam opem Papæ, cujus hortatibus cumprimis impulsi proceres, hunc sibi Regem imposuerant, cum exercitu superabat Alpes, Longobardos profligabat, ereptis unà terris omnibus, quas illi nuper ab Exarchis bello ceperant per Marchiam Anconitanam.

A.C. 756.

VII. Donabat illas Papæ, ut sacros reditus ex iis perciperet. Tanto damno affectus Rex moriebatur, dolore animi constrictus. Succedebat *Desiderius*, Papæ & Francorum amicus, cum regnum petebat, donabat Ecclesiæ Ferrariam, ut immensis divitiis ejus aliquid accederet. Pœnitebat verò facti, cum novus Papa Adrianus eligebatur, & reposcebat omnia, nisi vellent armis vexari.

Cranzius l. 3 Daniæ c. 41. seqq.

Expugnatur Ravenna, & maximæ copiæ parantur ad obsidendam Romam, confugiebat Papa ad Galliæ Regem Carolum, qui per divortium à se dimiserat nuper filiam Desiderii Bertham. Et veniebat ille. Stabat Desiderius cum exercitu suo in faucibus Alpium, neque alio loco pellere hostem facilius poterat, quando serium pugnandi consilium adhibere voluisset. Sed cohortes aliquot per cautes aviosque calles à Carolo jussæ circumduci, & à tergo sese ostentantes, Regem terruerunt. Cum pugnare posset, fugere maluit, inque fuga prope Vercellas non levi affectus damno, pervenit demum Papiã, ubi decem mensium obsidione tolerata, fecit deditionem. Exsul abiit Leodium, sed filius ejus Adalgisus nave pervenit in Græciam.

A.C. 774.

Puteanus lib. 4. histor Insub.

Carolus Romam profectus magno cum gaudio civium omnium excipitur, & Longobardiæ regnum sibi retinet,

Ecclesiæ reddendo, quæ ei patris liberalitas donaverat, alia præfectis è gente Francica permisit.
A.C. 788. Demum, cum Adalgisus exercitu Græcorum instructus veniret ad recuperandum imperium, à Grimvvaldo Beneventano duce victus & acie peremptus est, Carolus possessionem stabilivit.

LIBER IX.

Quo continentur res gestæ Cæsarum Occidentis è gente Francica.

CAPUT I.

De rebus gestis Caroli Magni & Cæsarum sequentium.

Rhegino lib 2. Eginhardus, Bergomensis lib. 11. Chronici.

I. Carolus post devictos Longobardos & pacatam Italiam cum exercitu movit in Saxoniam, & Slavos perdomuit. Inde reversus in Latium, & sediciosis civibus, qui Papam exagitaverant, capite mulctatis, Cæsar Occidentis constituitur.
A.C. 800. Ad eum legatos mittebat Irene Græcorum Augusta, de matrimonio simulac de pace acturos, sed proceres Orientis dejecta Irene, Nicephorum Patricium imperio admovebant, Siciliam & Neapolim sibi reservabant, reliquas Italiæ provincias Carolo permittebant. Ultimum ei bellum fuit cum Danis, quorum Rex Godofredus A.C. 808.
vastabat Oborritos & Frisios. Cepit tunc munire Hamburgum, celebrem ad Albim urbem, & dum copias parat, interim Godofredus à satellitibus occiditur, Danorum classis victoria desperata domum redit, Cimbrorum pars Imperio adjungitur, eorumq; agri Obotritis donantur.

II. Rebus ubique compositis obiit Aquisgrani, restaurator imperii per Occidentem immortalis gloriæ. A.C. 814.
Successit ei filius *Ludovicus Pius*, patris exemplo optimus & felix, qui pacatum ab externis hostibus imperium habuit, collisus domesticis turbis, quas ei conciverunt sacri ordinis viri per Galliam

Aimonius lib. 4. & 5. Puteanus lib 4. historia Insubrica.

liam & Italiam. Viderat horum luxum, & quæ luxum immutabili serie consequi solent, ambitionem, avaritiam, otium. Pro corrigendis illis moliebatur quædam, sed ne perficeret, impediebant Papa, Episcopi, Religiosi, copiisq; eductis filios ejus omnes dominandi avidos, Lotharium Franciæ, Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bavariæ Reges, impellebant, ut junctis operis patrem obsiderent Basileæ, eique
A.C. 833. potestaté abrogarent, divisis inter se provinciis. Scilicet, cum pietatem prostravit ambitio, nullum scelus leve est. Vixit ille privatus in urbe Suessionum anno integro, deinceps Principes Germaniæ indignati seriò, tantum licuisse Religiosis in depellendo Cæsare, vi, minis, promissis persuadent filiis Cæsaris, Ludovico & Pipino, ut restituerent patri opes, imperium, libertatem, deprecarentur quoque. Et obtinuerunt, nam filius maximus Lotharius difficilem quidem se præbuit, verum desertus ab aliis, fecit idem quod alii.

Bergomen. sul. d. III. Solus tamen contumaciæ pœnam hanc luit, ut deportaretur in Italiam, constituto in Alpibus præsidio, ne inde exiret quando pater adhuc vivebat.
A.C. 840. Hic demum obiit Moguntiæ, & tunc successit *Lotharius*, qui contraria omnia illis, quæ hactenus egerat, deinde habuit, fratres ad- *Rhegino & Aimonius l. 4.* versos, Religiosos hostes. Volebat fratres sibi velut majori, subjectos esse, quod illi recusabant, & collectis Germanorum, Burgundorum, Belgarumque copiis ducebant in Galliam Lugdunensem, ac prope Fontiniacum acerrimo prælio congressi, magnam nobilitatis Franciæ stragem edebant, quadraginta mille viris peremptis. Denuo pugnabat Lotharius ad Argentoratum, & vincebatur, tunc demum ad pacis leges seriò conversus, ne periret omninò, per legatos suos compellabat fratres de reconciliatione amplectenda. Salveldiæ pax descripta est, ut Lotharius haberet Italiam, Ludovicus præesset Germaniæ, Carolus obtineret Galliam.

IV. Lotharius profectus in Italiam, lites capiebat adversus Episcopos, qui Regum donaria tractabant pro arbitrio, inq; luxum suum profundebant. Hoc imprimis obtinebat, ut Papa juramento *Bergomen. sul. d.* fateretur se Imperatoris vasallum esse, & plurima Imperii bona possidere. Coronabatur Rex Longobardorum, & quoniam Saraceni prædas terra mariq; ex Italia petebant, ipse armorum pertæsus, eo mittebat Ludovicum filium suum, qui in aula patrui Ludovici tantisper vixerat, ejusdem bellorum adversus Bohemos & Vandalos gestorum comes. Pulsi Saraceni reverteban-

tebantur in Siciliam, & Ludovi-
A.C. cus imperium adibat vivo adhuc
855. patre, qui curis fractus, suadente pariter Johanne VIII. Pontifice Romano, ingrediebantur monasterium in urbe Trevirorum.

CAPUT II.

De rebus gestis Ludovici secundi & Cæsarum sequentium.

Rhegino l. 2. Bergomensis l. d.

I. Ludovicus pro defendenda Italia adversus hostes exercitum ducebat in Campaniam, & prælio apud Beneventum habito superior, exercitus partem dimittebat ad obsidendam Barin Apuliæ castellum, pyratarum receptum, eique præficiebat Adalgisium è Longobardis oriundum, Capuæ ducem. Hic statim à Græcis vicinis seductus imperium genti suæ debitum conabatur invadere, & copiis subito collectis persecutus Cæsarem parva equitum manu stipatum, capiebat illum vivum, cæsis sociis, ac postquam juramento promiserat, se nec Beneventum aditurum unquam, nec Adalgisio bellum indicturum, demittebat. Cæsar abibat Romam, & re exposita coram proceribus, consilium eorum rogabat. Decernebant omnes, quod juramentum non esset vinculum iniquitatis, ac hostem declarabant Adalgisium, qui post expugnatam à Germanis Capuam & devictos Græcos, profugiebat in Corcyram, exsilio punitus, donec eum Papa Romanus intercessione sua liberaret.

II. Cæsar obiit Mediolani, & A.C.
succeffit ei *Carolus Calvus*, filius Lu- 875.
dovici Pii Cæsaris. Venienti Romam obsequium deferebat Papa Johannes, & coronam imponebat. Quod patruelem ejus Ludovicum Germaniæ Regem non leviter anxit, ut cum virtute bellica anteiret multum, dignitate quoque præcellere vellet. Ergo filium suum Carolum mittebat cum exercitu in Italiam, ut Calvo terrorem incuteret, sed in Alpium jugis ob interclusas vias detentus, tamisque malo admonitus, pedem referebat, & populationibus Galliam exhauriebat. Cæsar auxilio evocabat Bosonem Provinciæ, Berengarium Forojulii, Guidonem Spoleti Duces, & magno cum exercitu contendebat in Germaniam. Dum molitur iter, decedit Ludovicus, & vero Cæsar pergit ad Rhenum, confligit non procul Andernaco, victusq; longe recedit in Galliam.

Rhegino l. d. Bergomensis l. d.

III. Germani priores deponunt arma, volente Pontifice Johanne, postquam Saraceni tumultibus novis impleverant Latium. Cæsar proficiscebatur Mantuam, ut vicinior hostibus esset, sed mor- A.C.
bo oppressus decedebat, non citra 877.
suspi-

ſuſpicionem veneni à Zedechia Medico Judæo propinati, quem Carolus Ludovici filius auro corruperat, ſi fama verum nunciavit. Hic Carolus venerat cum valido exercitu in Italiã, caſtra metatus prope Veronam, cumque poſt obitum Calvi nollet Pontificis imperio reverenter ſubjectus eſſe, deque Romæ obſidione palam comminaretur, factum eſt, ut Duces Italiæ multos in partes ſuas adductos odio Papæ impleret, qui in Galliam diſceſſit, & Calvi filium *Ludovicum Balbum* promiſſis magnis invitavit, ut Regnum Italiæ peteret exemplo patris. Obtinuit quidem, at brevi tempore, nam & per ſe ineptum ad res gerendas Cæſarem efficiebat perpetua invaletudo, quacum conflictabatur. *Rhegino l. d.*

CAPUT III.

De rebus geſtis Caroli Craſſi & Cæſarum ſequentium.

A. C. 879. I. POſt Balbi obitũ imperio potitus eſt *Carolus* ille, cognomine *Craſſus*, & mox à Romanis exceptus magnifice, contra Saracenos fortiter pugnavit. Dum in Italia abeſt cum exercitu, Normanni è Danicis & Suedicis agris profecti, centum mille viri Rhenanas provincias immaniter diripiebant, & Friſia potiti, cum non poſſent eam habitare omnes, per Sequanam invecti Galliam non videbantur dimiſſuri eſſe, niſi parte agrorum obtenta. Cæſar infeliciter pugnando, amiſit Normaniam, in qua hoſtibus locum habitationis dando, favore procerum excidit, ut deſerto illo, quando non ſufficeret imperio recte adminiſtrando ob animi corporisq; languorem, ſurrogarent *Arnolphum* Bavariæ Principem. Craſſus in quodam Sueviæ pago ad lacum Bodamicum obiit. *Aimonius & Rhegino l. d.* *Cranzius l. 2. Norvagiæ c. 1. ſeqq.* A. C. 887.

II. Arnolphus Cæſar nullam fere provinciam pacatam accepit, adeo omnia vel per incurſiones exterorum, vel per factiones civium turbata erant. Normanni per Galliam vagi, inde ad Rhenum pergendo Triboccos & Vangiones devaſtabant, caſtrisq; ad Moguntiam poſitis opperiebantur Cæſarem. Is Germanorum copias adducebat, & hoſtes profligabat, cæſis duobus Regibus eorum Godefrido & Sigefrido. Interim Zuendeboldus Bohemiæ Rex incurſabat Auſtriam, quem Cæſar per Hunnos devictum patriis terris ejecit, inſuper Hungaris loca ad Tibiſcum habitanda conceſſit, ut porro opera horum uteretur, cum opus eſſet. Saraceni affligebant Italiam, ſæpius triumphati, nunquam victi, odio Latinorum quoq; defenſi à Græcis, & quia Cæſar in adducendo exercitu lentius *Luitprandus l. 1.* A. C. 891. *Dubravius l. 4. hiſtoria Bohemica.* *Puteanus l. 5. hiſtoria Inſubrica.*

lentius ageret, Formosus Papa congregabat principes Italiæ, & horum potentissimum Guidonem Veronensem designabat Regem: sed statim ab eo deficiebat, postquam dominium urbis sibi Guido, arrogaret, itaque Berengarium Thusciæ Ducem opponebat ei velut Regem alterum, itaque Reges isti pro Italia bellum in Italia gerebant. Ac prima quidem prælii alea ad Trebiam amnem tentata, convertit in Berengarium stragem Cædebantur Thusci, fugiebat Rex, sed ut vires denuo colligeret. In agro Brixiano iterata pugna concurrebant exercitus, nec ulla virtute conciliare sibi fortunam victus semel Berengarius poterat. Guido occupabat Mediolanum, Berengarius abibat ad Germanos rogabatque opem. Ergo Cæsar descendebat in Italiam, Bergomi Comitem novi Regis amicum summum è patibulo suspendebat, Regem ipsum insectatus ad amnem Tarum velitatione superabat, qui rupta vena sanguinem vomendo clanculum obiit in monasterio. Ejus filius Lambertus fugit Spoletum, ubi deprehensus, noctu excessit, matremque Camerini convenit. Spoletum diruitur, Camersinum obsidetur, & vero cum Regina videbat, se in maximo periculo versari, captum forte per eruptionem, quendam Cæsaris ministrum, atque libertati restitutum multo auro permovit, ut veneno infectum Dominum suum incurabili morbo oneraret. Quo facto Cæsar correptus languore, solvit obsidionem, inque Germaniam reversus, putrefacto corpore maximisque cruciatibus maceratus, Ratisbonæ discessit. A.C. 899.

III. Successit ei filius *Ludovicus* ultimus Carolinæ stirpis. Tunc vero Lambertus Italiæ regnum, quo pater exciderat, recuperavit, neque Ludovicus impedire poterat Ungarorum armis oppressus. Severius imperando Lambertus, procerum odia concitabat, qui eum in venatione per emptum satellitis ope ad tumulum efferebant, loco ejus Regem eligebant Berengarium Thusciæ Ducem, quem pro hoste declaratum bello vexabat Ludovicus Boson Aquitaniæ Regulus. Ducebat ille in Thusciam, victoque Berengario obtinebat regnum, Romæ coronabatur. Biennio pòst profugus Berengarius, qui omnem casum fortiter, quasi fiducia quadam resurgendi, tulerat, occulte favorem procerum sollicitabat, conductisque militibus in Dalmatia & Rhetia, pulsabat Veronæ portas. Boson tanquam cum bello periculum deinde profligavisset, nec timeret hostem Italia expulsum, magna securitate deponebat arma, exercitumque dimiserat. Ergo Berengari-

Rhegino l. d. Luitprandus lib. 2.

Puteanus l. 5. historiæ Insubricæ

A.C. 903.

garius noctu, urbis custodes corrumpendo, olim suos, annitentibus civibus uni haut semper fidis, intromissus Bosonem nihil tale veritum capiebat, oculis mulctabat, inque Galliam remittebat. Interim Hungari ad Tibiscum nuper ab Arnolpho collocati, in Germaniam irrumpebant, Austriam & Bavariam expilabant.
A.C. 907. Occurrebat Cæsar ad Danubium, factoque prælio, quo flos nobilitatis Germanicæ periit, victus est. Data est ingens auri summa, ut in patriam redire vellent. Imminebant & Slavi. Tantis turbis imper
A.C. 912. Ludovicus, ægritudine animi confectus est Ratisbonæ. Proceres imperium deferebant *Conrado* Franconiæ Duci, qui in Italiam non venit unquam, patriæ turbis implicitus. Cum reliquiis Hungarorum, qui præda onusti cœteros tardius assequebantur, decertavit
A.C. 914. prælio ad Oenum, & cum strage propulsos Germaniæ finibus omnino ejecit. Cœterum illi ad rapinam, cædem, stragem hominum atque urbium properando, deflexerunt in Italiam, & longe lateque vastando omnia, Papiam obsidebant. Berengarius invadebat castra eorũ, capiebant fugam Barbari, hoc tantum rogantes, ut cum Berengario prædam omnem reddidissẽt, liceret ipsis incolumi abitu defungi. Negabat ille, quod prædam restituendo possent damna compensare, ac jubebat, ut armis positis dederent se suaque omnia. Quod non ferentes, ac desperatione ad audendum incitati confligebant cum Italis, ac victores Tarvisinam Marchiam cum incolarum omnium occidione percursabant Venetias compactis lintribus aggressi, exustis suburbiis. Rivum altum primi ultimique mortalium petiverunt, sed majorum navium classe circumdati regrediebantur celerius, & denuo continentem insidebant. Nec potuerunt aut voluerunt Italia expelli, donec Berengarius auro soluto ad emigrandum permoveret eos. Scilicet cum emere abitum suum non possent, vendebant.

Luitprandus l. 2.

M. Antonius Sabellicus l. 3. rerum Venetarum.

LI-

LIBER X.

Quo continentur res gestæ Cæsarum Occidentis ê Germaniæ nationibus variis.

CAPUT I.

De rebus gestis Henrici Aucupis & Cæsarum sequentium.

A.C. 918. I. Conradus morti proxim9 successorem designavit *Henricum* Saxoniæ ducẽ, cognomine *Aucupem*, quocũ hactenus inimicitiam aluerat. Erat Henricus sapientiæ & fortitudinis laude celebris, sed nec ipse Italiam adire potuit ob res Germanorum valde turbatas. Hungari denuò invadebant Sueviam & Rhenanas provincias, ad Albim & Visurgim crudeliter grassati, Magdeburgum diruebant, Bremam exurebant, prædaque graves, censum annuum solito majorem pacti, discesserunt. Cæsar deinceps jubebat delectum haberi virorum toto Imperio, qui belli artes erudirentur in pagis, vicis, urbibus, & tyrones illos ducendo adversus Slavos Vandalosque, gentes omnes ad Viadrum ad Havelam habitantes perdomabat, Brandeburgum expugnabat, armisq; porrò in Cimbriam delatus, Slesvicum condebat, Barbarorum pacator. Sub his experimentis induratæ virtutis Saxones, non admodum timebant, si forte Hungari elapsis induciis reverterentur in Germaniam. Aderant eorum Legati, nec solum annuos censùs, verum insuper donativa singularia exigebant, quod uti novum Germani contemnebant, & scabiosum canem Legatis offerebant.

Luitprandus l. d. Ditmarus lib. 1. Frisingensis lib 6. c. 16. seq.

A.C. 922.

Cranzius lib. 3. Saxoniæ cap 7. seqq

II. Hungari irritati contendebant in Bohemiam, inde Franconiam omni flagitiorũ genere deformatam incolis opibusq; spoliabant, tunc Saxoniã adorti, castra ponebant ad Merseburgum. Cæsar cum exercitu occurrebat, signisq; collatis quadraginta mille viros occidebat aut capiebat, cæteris in fugam versis. Pater patriæ merito suo vocatus. Comitiis Gôttingæ habitis equestres ludos A.C. 933.

ludos à nobilibus viris peragendos certis locis temporibusque instituebat, non solum ut in pace de bello cogitarent, verum etiam, ut amicitiam excolerent constantius. Interim apud Italos fabulam suam pertexebat Berengarius, quem proceres onerum impatientes oderant post cladem ab Hungaris acceptam. Eis obsecutus Rodulphus Burgundiæ Dux, copiis adductis fugabat Berengarium, atque is profugus Veronæ degebat, de Hungaris evocandis certò secum statuens, verum cæsus in templo ab Aulæ-magistro Lamberto, vitam finivit. Rodulfus adactis in fidem populis reversus est in Burgundiam, post abitum ejus Hungari populando Hetruriam affligebant, Papiam sedem Regum evertebant. Hic tumultus retexuit procerum animos, ut Rodulpho abdicato Regem sibi præficerent Hugonem Comitem Arelatensem. Is prudenter agendo omnia magnam sibi parabat autoritatem, ut nequaquam ludibrio, quomodò Reges cœteri fuerant, sed admirationi esset. Tantum quod conjugem Maroziam habebat, communem meretricem, à qua divertebat, & ipsa Romæ Paparum voluptates sequebatur. Bellum gessit adversus Mauros, qui navibus congregatis improviso Genuam obruebant, spoliaque opima auferebant occisis incolis, pueros venales abducebant Marrocum. Inde Fraxinetum in Alpibus Cottiis oppidum emuniendo, vicinos infestabant, donec eos Hugo pelleret.

Luitprandus l. d. Petavius lib. 6. historia Insubrica.

Puteanus lib. 6. historia Insubrica.

III. Post Hungaros cæsos Germania pace fruebatur, & Henrico succedebat filius *Otto*, paternarum virtutum felicissimus imitator. Hic copiis in Italiam abductis fortiter hoc egit, ut Regnum illud quando neque sub Rege neque sine Rege poterat esse, in potestate Imperii permaneret. Berengarius junior animos procerum sibi conciliaverat, petitisque Germanorum auxiliis Mediolani sese Regem vocibus populi efferebat, vasallum Cæsaris. Perculsus Hugo in morbum incidit, exituq; præpropero decessit, relicto filio Lothario, qui in Burgundiam tantisper secessit. Ubi pecunia & exercitu instructus rediit in Italiam, & Longobardiam totam occupavit. Hungari verò divitiis Italicis per excursiones frui assueti, non destiterunt Lotharium armis iterum vexare, idque impunè faciebant, quoniam Lotharium plurimi hostes undique circumstabant. Sed Berengarius pro liberanda Insubria, quos ferro protelare non poterat, exemplo avi perdomabat auro, ut in patriam redirent, deq; expeditione adversus Germanos occipienda appararent. Lotharius brevi finiebat, veneno an morbo, incertum erat, vidua ejus Adelhei-

A.C. 636.

Luitprandus lib. 2. Ditmarus lib. 2. Frisingensis lib. 6. cap. 19 seq. Cranzius l. 3. Saxonia cap. 15. seqq.

dis metu Berengarii confugiebat ad Azonem Comitem Canusinum, Cæsaris studiosum, quem ingratus nimium Berengarius spernebat, datæ sponsionis immemor. Ergò Cæsar properato itinere veniebat in Hetruriam, ductaque Adelheida, viragine pulchra, regnum sibi asserebat. Cedebat Berengarius ultrò, tantum si retineret Insubriam, & Cæsarem in Germaniam abeuntem cum gratia dimittebat.

Bergomensis lib. 12. Chronici. IV. Mox facti pœnitens, conquisitis Græcorum auxiliis infesto milite cingebat Papiam, & propositi tenax Conradum Lotharingiæ Ducem Cæsaris generum, qui res repetitum venerat, verbis superbis repellebat. Conradus armis dirimebat litem, & victus prælio Berengarius rogabat pacem. Sed Conradus in Germaniam reversus fortia gesta deturpabat insigni perfidia, concitatis domesticis turbis, quas prætereà adjuvabant Ludolphus Cæsaris filius & Episcopus Moguntinus. Hi armis insurgebant adversus Cæsarem propter secundò ductã conjugem Italicam, & interversam hæreditatem, quæ proli è prima conjuge susceptæ deberetur. Prævaluit fortuna Cæsaris, & cæsis ad Ratisbonam sediciosorum copiis, provoluti illi ad genua victoris deprecabantur culpam, veniam uterque accepit opibus ablatis, Cunradus pulsus ducatu suo prædia aliqua obtinebat unde pacè viveret, Ludolphus ad vitam privatam redactus est.

V. Hungari audiverant de motibus illis, ac proinde centum mille virorum exercitu collecto, ut vulgò dicerent, nisi à terra absorberentur aut cœlo ruente opprimerentur, se vinci non posse, in Bavariam progrediebantur. Conspiraverat cum illis Heroldus Episcopus Salisburgensis, magnus amicus Ludolphi, sed evocatis Imperii legionibus propè Augustam magno prælio dimicabatur, A.C. 955. & vincebant Germani tanta cum strage Barbarorum, ut deinceps nunquam reversi fuerint. Cecidit hoc prælio Conradus gener Cæsaris, & Heroldus captivus oculis mulctatus est. Horum exemplo Berengarius in Italia sæviendo, Clericos imprimis oneribus impositis premebat, Hetruriam percursabat, Romam obsidebat. Cæsar mittebat Ludolphum filium suum, ut Berengario arma opponeret, sed ille veteris iræ plenus haut satis bona fide agebat, ac porrò cum audiret, fratrem suum minorem Ottonem Germaniæ Regem in comitiis Aquisgrani habitis designatum esse, doloribus animi confectus obiit. Secutus *Puteanus lib. 6. historia Insubrica.* Cæsar in Italiam expugnabat Veronam, restaurabat Papiam, Roma ejiciebat sediciosos, quos inter Papa ipse erat, qui intrà Græcorũ præsidia receptus, pro juvando Beren-

Berengario conabatur multa. Berengarius demum captivus mittebatur in Germaniam, & Bambergæ obiit, filius ejus Albericus ad Saracenos fuga evasit.

VI. Et quia noverat Cæsar, Duces Beneventanum ac Capuanum in fide Regum Longobardicæ gentis, necnon Cæsarum è Francica gente subditos fuisse, hoc tempore, quo dominium Italię armis quęsiverat, eosdem sibi devinciebat, non obstante quod illi sæpè cum Græcis vicinis in Calabria adversus Mauros prędones fœdus inivissent. Hi loca plurima eripuerant Græcis, sed omninò ejectos cupiebat Cæsar, itaque Nicephorum Græcię Principem compellabat per legatos de matrimonio procurando inter filium suum Ottonem & Theophaniam filiam ejus, addita dote, Calabria & Apulia. Convenerat omninò, verum Græci solita levitate agendo, viros principes ad deducendam sponsam in Gręciam profectos cum ludibrio explodebant, verberabant, spoliabant. Tantum nefas ulturus Otto, Calabrię urbes plurimas expugnabat, incolis opes auferebat, peregrinos naribus amputatis dimisit in Græciam, qui domum reversi Nicephorum perfidię autorem dederunt neci, & verò successor ejus Zemisces cum insigni comitatu ablegavit sponsam in

A.C. 970. Italiam, ut copularetur Ottoni Regi. Nuptię celebratę sunt Romæ, & dotis loco accesserunt omnes terrę quas Græci in Italia habebant. Pandulphus creatus est Dux Calabrię, eiq; jussum, ut Saracenos in Fraxineto habitantes obsidione clauderet. Cęterū in Germaniā rediit Cęsar, ac obiit Magdeburgi, rarum in longo principatu humanæ felicitatis exemplum. A.C. 973.

VII. Habebat ex fratre filium Henricum Bavarię principem, qui Ottonem patruelem suum conabatur à successione removere, excitis Heroldo Daniæ & Boleslao Bohemię Regibus, ut turbas in imperio darent. Verum Otto comitiis habitis proceres omnes juramento sibi obstringebat, copiisque eductis vastabat Cimbrorum agros, & Regi de pace legatos mittenti obsecutus, VVismarię leges dixit. Bavarus profugit in Bohemiam, ei Cęsar ademit Ducatum, & quanquam Boleslaus intercederet pro exsule, passus tamen repulsam, ac ab infusis Germanorum turmis Bohemiam vastari impunè, videns, tantisper quievit, donec negligentes eos in castris ad Pilsenam opprimeret, magnaque cum strage proturbaret. Bavarus recipitur à Cęsare in gratiam, & injuriarum oblivio publicis colloquiis sancitur. Crummavię, quam tunc miles Cæsarianus obtinebat.

Dithmarus lib. 3. Frisingensis lib. 6. c. 25. seq. Cranzius lib. 4. Saxoniæ c. 17. seqq.

VIII. Cum Gallis bellum gessit pro asserenda Lotharingia, & Galli quidem subitò confectis itine-

ribus oppugnabant Aquisgranum, vix elapso Cæsare, quem intrà urbem illi opprimere volebant. Cæsar vicem relaturus in ipsam Galliam penetrabat, actis prædis in conspectu Parisiorum urbis, cumque hostis æquo loco ad prælium nullibi compareret, domum revertitur, sed in transitu Axonæ spolia plurima amittit, hoste à tergo instante. Noverant Galli, quod Cæfar omni studio persequi bellum decrevisset, itaq; Rhemis pace finiebant negocium, & Lotharingiam restituebant, quam in partes divisam accipiebant Episcopi vicini, Leodiensis, Trevirensis, Coloniensis. Novus hostis in Italia erumpebat, Basilius Macedo Græciæ Imperator, qui junctis sibi Saracenis Apuliam & Calabriam armis recuperare conabatur, dotales Theophaniæ & à Saracenorum dominio Germanorum virtute liberatas. Præsidiis ejectis, milites suos imponebat B. filius, verum Otto superatis Alpibus pacabat Istriam, Dalmatiam, Liguriam contrà Saracenorum latrocinia, & imperando urbibus certum numerum bellatorum, annonæ & armorum onera, copias maritimas tradebat Ottoni Sueviæ Duci, ut è portu Ostiensi solveret, ac mari incumbendo vires hostium exploraret. Cæsar pergebat Tarentum, expugnabat urbem, hostes acri prælio victos in fugam conjiciebat. Lætus victoria de eventu cepit optimè sperare, castris ad Beneventum positis. Denuò invadebant eum Græci, & Beneventani primam aciem sustinentes, animis proditoriis deserendo prælium, loco suo discesserunt. Germani luxatis ordinibus in fugæ societatem venerunt, multi in fuga occisi sunt, & Cæsar ipse abjecto paludamento A.C.
naviculam petiit, victus prælio, sed 982.
animi invictus, reversus ad suos restauravit copias, Beneventum diripuit, nec audebant hostes longius persequi Germanos, qui in Latio hyberna occupabant. Romæ epulas instruebat Cæfar, ad quas invitabat proceres, necti deinde vinculis & occidi jubebat, quoniam hostibus amicitiã condixerant. Veronæ commoratus, novisque è Germania subsidiis, quæ Otto filius ejus adduxerat, confirmatus, prorogavit bellum, & navibus conscensis urbes in littore positas aut defendebat aut oppugnabat, demum in sinu Rheginensi pugna commissa profligabat hostes, sed telo percussus,
quoniam vulnus curari non poterat, A.C.
Romam adiit, ubi defunctus 983.
& in templo Divi Petri sepultus est, magnorum haut indignus avorum.

IX. Filius ejus *Otto tertius*, ex Theophania Orientis Regina nobilissima, ad imperium pervenit juvenis. Germania pace fruebatur, & verò Cæsar profectus in *Dithmarus lib 4. Frisingensis lib. 6.*

Itali-

cap. 16. seqq. Cranzius lib. 4. Saxoniæ cap. 22. seqq.

Italiam, ubi priscæ suberant vestigia fraudis, Romam factionis plenam adiit, voces audiebantur de restauranda urbis dignitate & pellendis Italia peregrinis. Crescentio autore fiebant ista, qui Romæ Consul erat, sed præsente Cæsare, memor eorum quæ pater atque avus ejus Romæ egerant, supplex factus impetravit delicti veniam. Vix discesserat in Germaniam, tunc denuò Crescentius movet turbas, Gregorium V. Papam, Cæsaris propinquum, urbe ejicit, & Placentiæ Episcopum Johannem illi surrogat, urbem futuræ obsidionis metu vallis munit, commeatu & militibus instruit. Repetebat Cæsar Italiam, & in Veronensium agris delectu habito contendebat Romam, cives sub oneribus novis gementes aperiebant noctu portas, Crescentius in arcem suam fugiebat, quæ tamen facilè expugnabatur, Crescentius è patibulo suspensus est, Johannes Papa furentis plebis manibus laceratus, sediciosi plurimi capite mulctati sunt. Leges descriptæ, ne Clerici nimis efferrentur vestitu, luxu, curiositate, quæ paucis acceptæ, plurimis verò bilem moverunt, ut Germanorum disciplinam perosi, de Cæsaris nece procuranda consultarent. Cæsar tunc Romæ aderat, in magno periculo versatus, quia militem non habebat. Veniebat Romam Hugo Marchio Thusciæ, & Senatum demulcebat verbis, ne Cæsarem, quem in potestate sua habebant, læderent, itaque Cæsar incolumis abiit, & per copias subitò collectas Romanos agros vastavit, urbem aliàs ulturus quandò melior occasio rerum gerendarum esset. Crescentii viduam Romæ secretius convenire solitus, de conjugio spem illi faciebat, sed cum abituriret nec amicæ voto satisfaceret, preciosis chirothecis, veneno infectis ab ea donabatur, unde pustulas malignas sibi attrahebat, ac mortuus in Germaniam delatus sepeliebatur Aquisgrani, nullo filio relicto. A.C. 1002.

CAPUT II.

De rebus gestis Henrici Sancti & Cæsarum sequentium.

Dithmarus lib. 5. & 6 Frisingensis l. 6 c. 27. Cranzius lib. 4. Saxoniæ cap. 27 seqq.

I. SUccessit ei *Henricus Sanctus* Bavariæ Dux, cognomine illo donatus ob insignem ergà Monachos favorem. Postquam Ottonis ex Italia discessus Clericorum potentiam erexisset, ità ut Ardoinum Marchionem designarent Regem Italiæ, Germanis in perpetuum exclusis, Cæsar per Noricum contendebat in Hetruriam, Verona, Brixia, Papia deditionem faciebant, & desertus ab omnibus Arduinus confugiebat ad

Græcos. Secutus in Apuliam Cæsar prœlio ad Salernum hostes profligabat, nec deprecanti quàvis Ardoino gratiam impertiri volebat, Normannis verò qui castra ipsius intraverant, loca aliqua donabat, ut Græcorum excursiones prohiberent. Vandalos quoque in exercitu habuerat, submissos à Mistevone Lutitiorum Principe, qui petebat nuptias filiæ Bernardi Saxoniæ Ducis, verum quia nondum abdicaverat paganos ritus, Vandalicum canem, ut Saxo dicebat, nolebat generũ adsciscere. Quod sævidictum torsit Slavos, utque genti suæ contemptum demerent, cum magno exercitu Saxonicas terras aggressi, devastabant omnia, Hamburgum & Brandeburgum evertebant, monachos imprimis occidebant. Cæsar in his turbis componendis occupatus moriebatur Groningæ propè Halberstadium, cum successorem denominaverat Conradum Franconiæ Ducem. A.C. 1024.

Viterbiensis. Frisingensis l. 6. c. 28. seqq. Cranzius l. 4 Saxoniæ cap. 36 seqq.

II. Conradus proficiscebatur in Italiam, ut inclinatos ad defectionem animos multorum converteret. Peregrinabatur ibi gentium Wilhelmus Aquitaniæ regulus cum filio suo, ut eum commendaret Principibus Italiæ, si forte Regem proprium designare vellent. Et Papiæ quidem cives assentiebantur, sed quia soli rebellionem ceperant, nec alios exemplo suo permovere possent, fugiebat Gallus, & Cęsar in adventu suo omnes paratos ad obsequia habebat, Papiam mulctabat ingenti summa argenti. Burgundiam Imperio adjungebat bello, postquam Rudolphus Dux sine hærede obierat, & Genevæ leges promulgabat contrà Gallos ac Italos, ne quis eam ereptam Germanis, unquam suæ potestati arrogaret. Decessit Trajecti, Princeps strenuus, & imperium commendavit filio suo Henrico Bavariæ Duci. A.C. 1039.

Viterbiensis. Frisingensis l 6. c. 32. seqq. Cranzius l. 4. Saxoniæ cap. 39. seqq.

III. Is cognomento Niger cum Hungaris bella magna gerebat, qui Petrum Regem suum ejecerant. Cæsar restituit eum, & victoriæ jure sibi retinuit Austriam, donavitque Alberto Bavaro ob res fideliter gestas in expeditione illa. Lotharingiæ Ducem sediciosum pacavit, inde majorum exemplo abiit in Italiam, ubi non tantum Græci adversus Normannos, verum etiam Papę invicem contrarii de principatu dimicabant. Cæsar adventu suo omnes in fugam vertebat, Benedictum, Silvestrum, Gregorium, & remotis contentiosis illis instituebat Papam Clementem, eoque non multò post defuncto, Damasum Brixiensem. In Apulia militabat Ardoinus præfectus è Longobardis, sed Cæsari fidus, & cum Rainulpho Normanno sociatus urbes maritimas omninò à Græcis incolis atque Saracenis advenis purgabat, naves à Siculis auxilio missas fugabat.

Interim Lutitii & Vandali finitis induciis, quas eis Cunradus obtulerat, in Saxoniam progressi, horrendis modis depopulabantur omnia, cæsis ad internecionem copiis, quas Cæsar ad limites deposuerat, ne hostes Albim superarent. Cæsar propterea animo æger
A.C. Bordfeldiæ ad Hercyniam silvam,
1056. ubi venationibus operam dabat, obiit.

Scaffnaburgensis. Frisingensis l. 6. cap. 34 Cranzius lib. 5. Saxoniæ cap. 1. seqq.

IV. Commendaverat filium suum *Henricum*, cognomine *Mitem*, proceribus Imperii & Papæ Romano. Tutelam feliciter administrabat mater ejus Agnes, ut Germania pacem haberet, solum quod arma extrà Italiam auxilio missa Ungaris, domesticas turbas horum finirent. Episcopi & Novatores Politici de abdicanda matre in comitiis persuadebant Principi juveni, & ipsa quidem è decreto procerum ingrediebatur monasterium, Principi addebantur juventutis Rectores, Episcopus Bremensis & Marchio Saxoniæ. Qui tamen & Principem negligenter habendo, & rem publicam minus fideliter curando, efficiebant, ut solutis fœderibus quilibet Episcopus, Abbas, Princeps commodo suo intenderet, commune bonum proculcaret, maximisque turbis occasionem præberet. Cæsar ætatis compos videbat latrocinia passim invaluisse, & proinde Hannoni Archiepiscopo Coloniensi, qui vices imperii hactenus susceperat, mandat, ut tabulis affixis vetarentur. De Saxonibus constabat, quod imprimis ipsi latronum catervas emitterent, ad quos in officio continendos ædificabat castella, & milites imponebat pro defendendis finib. Thuringis imperabat decimas Episcopo Moguntino persolvendas. Itaque objecit se bello civili admodum difficili. Saxones & Thuringi protestati de libertate sua cupiebant, ut castella everterentur & decimæ abrogarentur, secus Imperatorem alium electuri. Cæsar ducebat in illos veluti sediciosos, Bavarorum & Hassorum turmis instructus, confligebat in Thuringiæ saltibus, vince- A.C.
batque, sed tamen elapsi Principes 1075.
eorumq; complices acrioribus odiis deinceps bellũ instaurabant, nacti præconem funestæ concertationis Hildebrandum, Papam gnaviter impudentem. Vulgabat ille tota Germania literas, ne quisquam Episcopus à Cæsare vocationem ad sacrum munus peteret, vel oblatum susciperet, quod istud jus omninò pertineret ad Papam Romanum.

V. Præterea recipiebat Saxonũ provocationem ad Curiam Romanam adversus Cæsarem, perversissimo ausu extollens sese, & Dominum suum deprimens. Gratissimum hoc erat Episcopis, adeoq; amplectebantur illi exitiosum Germanicæ libertati decretum. Sed

repugnabat Cæsar, habitisque Wormaciæ comitiis Papam increpabat, Episcopos dominio subesse Cæsaris asserebat, de Saxonibus bello persequendis consultabat. Fruità hoc erat, nam Episcopi in gratiam Papæ seorsim conveniebant Oppenheimii, & excomunicationis literas Romano stylo descriptas prælegebant, Cæsaremque jubebant proficisci Romam, ubi delictorum suorum veniam rogaret. Cogitabat ille quidem de exercitu conscribendo, hoc tamen citrà discordias civiles haut fieri posse, ratus, Saxonumque hostilitate nondum liberatus, peregrinationem ad limina Sanctorum præferebat. Quamobrem ipsi Italiæ proceres non leviter commoti animis, Cæsaris novam religionem traducebant, quem cum armis ad pellendum Hildebrandum adfuturum censuerant.
A.C. Cæsar nudis pedibus adibat Pa-
1077. pam, & absolutionem impetrabat, arbitratus rem benè gestam, omnium facinorum, quæ Papæ legatus in absentia ejus per Germaniam maximo studio patrabat, ignarus, serò demum percipiebat reversus domum. Episcopi Moguntiæ congregati novum Cæsarem eligebant Rudolphum Sueviæ Ducem, verum cives impetu facto omnes illos Turbatores urbe ejiciebant, tantum nefas haut laturi.

VI. Nec minus Episcopi discesserunt in partes, inter quos Argentinensis redeunti ex Italia Cæsari occurrit, nuncio perlato de motibus novissimis per artes Papæ concitatis. Cæsar nihil cunctatus accipiebat copias à Bulionæo Lotharingiæ Duce, Suevia pellebat Rudolphum, qui in Franconiam ducebat, & insecutas Cæsaris legiones ad Wurciburgum concidebat. Hoc tamen damnum resarciebat Fridericus Rheni Comes Palatinus, suplementa mittendo, & Rupolphus in Thuringiam profectus novo prælio decertabat, victusque Cæsaris partes admodum erigebat, qui Brixiæ comitiis indictis Papæ diem dicebat, excommunicationem ejusdem nihili faciebat. Tandem conflige- A.C.
bat ad Elistrum, & Bulionæus ob- 1080.
latum sibi in concursu Rudolphũ in pectore vulnerabat, mox impetu aliorum dextera illi resecabatur, ipseque equo delapsus initium cladis erat. Saxones effusa fuga deserebant prælii locum, Rudolphus Merseburgi obiit cum gemitibus multis. Arbitrabatur Cæsar, debellatum esse, itaque copias promovebat in Italiam, Romam expugnabat, Hildebrandus fugiebat ad Normannos, Cives obstricti juramento partes Cæsaris defendebant, sed cum ille fatigabat Italos, à Papæ nuncio admoniti Saxones, eligebant Cæsarem Hermannum Comitem Lucemburgensem, ejusque

aulam Isslebiæ constituebant. Is profectus in Franconiam, obsidebat Wurciburgum, Cæsarisque exercitum fugabat. Nec tamen partium studiis proderat, deserendo Saxones, seque suosque reconciliando Cæsari, tantum quod Egbertus Saxoniæ Marchio perseverando in armis, exercitum spe prædæ circumduceret per Misniam, hic verò etiam non
A.C. procul Numburgo in molitoris
1090. casa deprehensus & occisus est. Tantæ virtutis Cæsar, post tot hostes victos succumbebat filiis suis, quos Episcopi ad imperium evehere conabantur, odio patris. Et major quidem Conradus Italiæ Rex in gentibus illis potestatem supremam, Mathildis Hetruriæ Ducis, fœminæ cæteroquin prudentissimæ, opibus adjutus, obtinebat, sed à Germania exclusus Principum decreto, & Florentiæ defunctus, Episcopos destituebat. Minor Henricus prævaluit, Rufeaci coronatus ab Episcopo Mogun-
A.C. tino. Pater cessit filio non de-
1106. lectatus bellis, quæ hactenus ad fastidium gesserat, curisque fractus exsul abiit Leodium, ac ibi decessit.

CAPUT III.

De rebus gestis Henrici Quinti & Cæsarum sequentium.

I. Henricus nõ minoribus Paparum & Episcoporum odiis agitatus, successit velut in iras patris defuncti, easdem ob causas, quia nolebat Clericorum investituram per leges conventionis publicæ in solidum Papis donare. Evocatus Romam, ut causam diceret, cum exercitu veniebat, & capta urbe manibus Papæ coronatus hoc promissum ab eo accipiebat, quod dare vellet Cæsari quæ essent Cæsaris. Post abitum Cæsaris, liberatus metu, contraria decreta formabat in Concilio Lateranensi, proscribendo Cæsarem & imperium ei abrogando. Itum est ad Saxones, qui Ducem habebant Lotharium, ei imperium offerebat Albertus Moguntinus, qui idem Henrico olim corripiendæ potestatis autor fuerat. Dimicabatur ad Moguntiam, & Saxonibus cæsis Lotharius capiebatur, à Cæsare dimissus cum promisisset, obsequium sese rectiori animo deinceps præstiturum, Albertus Magdeburgi latebat tantisper, & verò Cæsar honestis conditionibus pacabat Saxones, ac-

Viterbiens. Crantzius lib. 5. Saxoniæ cap. 20. seqq.

ceptisque copiis Suevorum ac Bavarorum denuò abibat in Italiam, Thusciæ regiones à Papa repeti-
A.C. 1117. turus, quas ille defuncta Mathilde censibus sacris adjunxerat. Papa confugiebat in Angliam & Normannorum subsidia rogabat, quæ dum colliguntur, annus erat, interim expugnabatur Roma. Eo non obstante malebat Cæsaris hostis esse Papa quærendo auxilium in Gallia, sed repulsam accepit, nec enim volebant Galli arrogantes Papæ spiritus & longas manus defendere. Rem ergò alia via aggressus, in Germania turbas cōcitabat, juvante cumprimis Alberto, & Lotharius immemor fidei nuper datæ, exercitus sui reliquias sediciosis monachis tradebat. Cæsar hoc modo coactus Italia egrediebatur, militesque suos apud Guelfonis silvam in aciem educebat, haut dubiè adversus perfidos Monachos victor futurus, nisi tribuni ejus falsæ religionis opinione seducti, maluissent arma projicere, quam illa hostibus objicere. Cæsar inferiori Saxonia ejectus, hoc insuper comitiis Wormaciæ habitis decrevit, ut Episcopi unicum haberent dominum, Papam, quia sic volebant ipsi.

A.C. 1125. II. Deinceps commoratus in Belgio, obiit Trajecti, non relicto filio. Successit Lotharius Saxoniæ Dux, quem non levem adversarium habuerat. Sub eo Germania pacem habuit, favebat enim Cæsar Monachis & Papæ decreta omnia reverenter habebat, cum ingenti damno potestatis civilis. Papa evocabat eum in Italiam, ut Rogerium Apuliæ Ducem profligaret, qui opes tantas, quantas Papa exigebat, nolebat Romam mittere, pro deliciis monachorum apparandis. Cæsar veniebat, & pro Imperii majestate asserenda occupabat provincias omnes intrà Apenninū sitas, Capuam expugnabat pulsis Rogerii militibus. Hic discesserat ex Apulia in Siciliam, neque de Sicilia invadenda curabat Lotharius, quia naves nullas habebat. Salerni repertas Leges veteres secum attulit Pisas, unde posteà Florentiam deportatæ sunt. Post discessum ejus Rogerius è Sicilia cum novis copiis advenit, & amissas nuper ditiones recuperavit. Cæsar verò decessit in itinere Tridenti, peste correptus, sepultus Laureaci, quod est monasterium Saxoniæ. A.C. 1137.

III. Habebat generum, Henricum Superbum Bavariæ & Saxoniæ Ducem, qui certò sibi promiserat dignitatem Imperatoriam, verum proceres illo omisso eligebant Conradum Sueviæ & Franconiæ Ducem, adversus quem turbas daturus Henricus, in comitiis Ratisbonæ actis proscribebatur, opibus mulctatus omnibus, Saxonia dabatur Alberto Urso Marchioni Brandenburgensi, & Bavariam accipiebat Leopoldus Austriacus.

Viterbiensis, Cranzius 16.

Saxonia c. 1. seqq.

Viterbiensis, Cranzius lib. 6. Saxonia cap. 8. seqq.

ſtriacus. Verum Saxones non omninò expertes veteris virtutis, exſulem Henricum complectebantur, ejecto Urſo, & quamvis ille propediem animi dolore extingueretur, hoc tamen pertinaces conſilii apud Cæſarem obtinebant, ut Saxonia redderetur defuncti Superbi filio, Urſus verò abſtineret. Contrà Leopoldum armis rem gerebat Welpho Superbi frater, atque is demum propè caſtellum Winsbergam in conflictu periit. Deinde pax erat, itaque Papæ quem obſervabat admodum, ſuaſu, & Bernhardi Clarevallenſis alloquiis permotus Cæ-
A.C. ſar, expedivit in Palæſtinam cum
1147. exercitu ducentorum millium virorum, ut laboranti Hieroſolymorum regno ſubveniret, quod Turcorum viribus indies auctis valdè premebatur. Ad Conſtantinopolim terra uſque progreſſus, de belli ratione cum Emanuele Comneno deliberabat, ſed infidus Græcus nonniſi armorum terrore poterat cogi, ut forum venalium rerum apponeret. Porrò navibus delatus Hieroſolymas, aſſumptis Gallis, quos eodem adduxerat Rex Ludovicus, contendebat in Syriam, ac fortiter depulſis legionibus, quas non ſemel emittebat Aladinus Iconii Sultanus, perveniebat Damaſcum. Obſidebatur urbs potentiſſima, nec tamen capta eſt, quia veterani Europæi invidebant gloriam tantam novis militibus, & verò hi cum nollent ingratis vincere, terra marique patriam repetebant, atque rem Turcicam ſuperiorem relinquebant.
Cæſar obiit Bambergæ, & fratris A.C.
ſui filium Fridericum virum indu- 1152.
ſtrium conſtituit ſucceſſorem.

CAPUT IV.

De rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ & Cæſarum ſequentium.

I. FRidericus ille cognomine Barbaroſſa, multiplici ſorte domi foriſque rem ſuam geſſit. De Bavariæ ducatu contendebant Henricus Leo filius Superbi & Albertus Marchio Auſtriæ Leopoldi hæres, adeoque Cæſar litem decidendo, Bavariam reſtituebat Leoni, & Norici partem aſſignabat Alberto cum Principis titulo. Italia collidebatur inteſtinis motibus, quos Lotharius conniven-do & Conradus negligendo foverant. Ergò Fridericus ducebat copias in Mediolanenſium agros, Papiam deditione capiebat, Dertonam expugnabat. Romæ coronatus Papæ manibus, ut hoc officio invitaretur ad profligandos cives ſeditioſos. Hi n. Paparũ dominatũ non laturi amplius, rogabãt Cæſarẽ de imponendo

O. Friſingenſis l. 1. de rebus geſtis Friderici, Cranzius lib. 6. Saxoniæ c. 15. ſeqq.

urbi præsidio & Clericis in ordinē redigendis, qui in cœtibus sacris exemplo Apostolorum prædicare, non etiam in foro civilia negocia administrare deberent. Honesta quidem oratio, & Papa vulgi furorem veritus, clanculum ab urbe fugiebat, sed tamen haut conveniens tempori, noverat que Cæsar mutabiles hominum animos, qui ad quamvis fortunæ auram impulsu volubiles Principum opibus insidiati sæpius, cum Monachis in gratiam redire voluissent. Proinde civium postulatis rejectis, Papam defendebat, qui tamen post abitum ejus Siciliæ Regis armis vexatus non leve damnum accepit. Cæsar reversus ad Germanos, & Wurceburgi comitiis actis, Papæ nuncium coram alloquebatur, & prodebat ille non obscuras simultates, memor invasionis ejus, quam Siculi perfecerant, Cæsarique exprobrando quod non tulisset opem Papæ, *cujus beneficiarius in Italiæ regno esset.* Tam superbum dictum bello ulturus, nisi Papa æquiori responso animum ejus inflexisset, interim quoque Insubrum populos concitabat ad rebellionem, & armis undique corrasis, postquam se Cæsaris potentiæ resistere satis posse confidebat, ipsum excommunicabat.

A.C. 1159. II. Cæsar obsidebatur Laudæ, sed elapsis inde, urbem quidem tueri haut poterat, quin impetu hostium caperetur, cæterum ipse Cremam expugnabat, incolisque dimissis Romā, exscindebat, porro Mediolanum anno integro claudebat, ut fame coacti cives deditionem facerent. Tunc vero incendebatur, sale projecto inter rudera & aratro per solum inducto, ut desertæ fidei pœnam solverent. Exercitus in agris Romanis deponebat stativa, verum Papa misit adversus illos copias suas quadraginta mille virorū, pugnabatur ad Tusculum, cædebantur Romani A.C. 1167.
& Papa victoribus non satis fisus abibat Beneventum, ubi propior esset Imperatori Græciæ, qui idem hostis Friderici, advectus classe improviso occupaverat Anconam, civitatem imperialem. Nec tot locis simul dimicare poterat ille, cumprimis quando pestis absumebat viros quosvis optimos, & Saxonum copiæ frustra expectarentur hactenus. Eas Dux Henricus, bello contra Vandalos suscepto, in Obotritorum & Slaverum terras abduxerat. Proinde Cæsar in Germaniam abibat, spatiumque dabat Insubriæ populis, ut novam urbem Papæ sumptibus conderent, Alexandriam, ubi exsules receptum haberent. Eam Cæsar in expeditionem reversus obsidebat conatu irrito, quoniam aquæ perpetuis imbribus auctæ in fluviis milites impediebant, ne propius ad urbem consistendo mœnia invaderent. Accedebat

quod Saxoniæ Princeps copias suas, quæ flos erant Cæsarianæ militiæ, avocaret. Neque verbis ullis poterat adigi, ut pro tuenda Cæsaris dignitate manere vellet, apparebatque satis, eum Cæsari infensum, Papæ amicum, esse.

III. Spoliatus parte copiarum Cæsar, deflectebat in Hetruriam, prædas acturus, sed eum civitates sociæ ad Papiam vincebant acri prælio. Earum potentissimi Veneti in Adriatico mari, classem quoque Cæsaris sexaginta quinque navium, ad Polam Histriæ demergebant, capto Othone Cæsaris filio. Tunc demum Papa excommunicationem repetendo, Proceres militiæ ad renunciandam Cæsari obædientiam impellere velle videbatur, & verò Cæsar de pace facienda sollicitus Papam conveniebat Venetiis, atque post longas verborum concertationes fœdus perpetuum cum Papa inibat, sex annorum inducias cum urbibus fœderatis paciscebatur. Inter alia hoc etiam pollicebatur, *quod vellet exercitum ducere in Palestinam.* Ità enim tunc ævi solebat amicos suos Papa beare, eosque votis promerendæ salutis obligatos gladiis Barbarorum trucidandos objicere. Cæsar omissis Italis redibat in Germaniam, omniumque Principum consensu proscriptum Leonem, qui nuper in Italia deserto Cæsare exercitum totum periculo exposuerat, mulctabat

M. Antonius Sabellicus l. 7. rerum Venetarum.

A.C. 1177.

ditionibus ejus, Bavariam donabat Othoni Wittelsbacchio, Saxoniæ partes accipiebat Bernhardus Anhaldinus, Westphaliam obtinebat Bernhardus Coloniensis. Tantum quod intercessione Regis Angliæ, soceri sui, conservaret pro se & posteris suis Luneburgicum & Brunsvicensem tractum. A.C. 1182.

IV. Interim copiæ deligebantur validæ satis, centum & quinquaginta mille virorum. Priusquam Cæsar iter ingrederetur, conveniebat eum Papa nuncio misso, ut Thusciam donare vellet curiæ Romanæ, vicissim rogabat Cæsar, ut filium suum Henricum Siciliæ & Apuliæ hæredem propter reginam Constantiam matrimonio ductam, vellet inaugurare Italiæ Regem. Hoc Papa recusabat, sed nec Papę volebat donare Cæsar illa quæ in bonis Imperii erant. Papa more suo de excommunicatione proclamanda comminabatur, obstabant verò civitates sociæ, veritæ ne Cæsar provocatus novis injuriis pacem abrumperet, copiasque suas Italiæ infunderet. Ergò sepositis contentionibus pergebat Cæsar in Hungariam, liberali transitu ubique potitus, Græcorum terras armis pervasit, & Hellesponto superato Asiam victoriis peragravit, Copatinum Sultanum Cæsariæ profligavit, Iconium cepit. Dum verò Serram Armeniæ fluvium transire cona- A.C. 1190.

 batur,

batur, rapidis ejus vorticibus submersus periit, maximi animi Princeps. Sepultus est Tyri. Exercitus curam patre defuncto in se recepit filius ejus Fridericus, qui Antiochiam præsidio firmavit, Laodiceam & Berythum expugnavit, sed cum in obsidione Ptolomaidos commorabatur, decessit lue propter insueti aeris teporem contracta.

V. Successit ei filius *Henricus Sextus*, patrii ingenio & animo non admodum dissimilis. Siciliæ ac Neapoleos regna conjugis suæ Constantiæ, quæ Rogerii filia erat, dotalia, ab injusto successore Tancredo, Rogerii notho & procerum favore ad regnum evecto, armis repetivit, civesque sediciosos plurimos crudelibus suppliciis necavit. Papæ, qui faverat Tancredo, hanc insuper gratiam rependit, ut Picenum, Æmyliam, Umbriam, selectiores aulæ Romanę portiones corripiendo, monachorum opulentos reditus valdè accideret, frustrà verò etiam Papa de sacrorum interdictione vulganda mussabat, neque enim Italiæ civitates potentiam Cæsaris reveritæ assentiri volebant. Constituerat deinceps, pacta cum Alexio Græcorum Cæsare amicitia, promovere expeditionem sacram, quam pater ejus feliciter inchoaverat, milites jam conscripserat, præmissisque navibus Joppen Phœniciæ portum expugnaverat. Reliqua mors impediit. Decessit Messanæ, non sine veneni suspicione, quod illi conjux propinaverat.

Nauclerus, Cranzius l. 7 Saxoniæ c. 2 seqq

A.C. 1197.

VI. Friderico filio suo Curatorem adjunxerat fratrem suum *Philippum* Sueviæ Ducem, eique imperium deferebant Alemanniæ proceres, verum Papæ nuncius hortabatur Rhenanas provincias, ut *Ottonem* Saxoniæ Ducem Leonis filium eligerent Cæsarem, atque is coronatus Aquisgrani, difficilem adversarium Philippo constituit. Qui Moguntiæ inauguratus, & porrò Haganoæ comitiis habitis jus suum confirmando, firmas copias educebat, Rhenanas provincias subigebat, cæsoque Saxonum exercitu propè Spiram, cogebat Othonem fugere Brunsvicum, sed urbem frustrà obsidebat, quam cives viriliter defendebant. Et verò Ottonis res indies ruebant in pejus, neque enim in Bremensium & Obotritorũ agris tantas, quæ possent sufficere, copias parabat, ac sectatores ejus pacis cupidi, Papæ consensu obtento, finiebant lites, dando Beatricem Philippi filiam in matrimonium Ottoni Duci, qui defuncto socero Cæsaris dignitatem habeat, viventi illi subjectus usque sit. Papam reconciliavit, Richardo nepoti ejus filiam suam minorem copulando, utque ille Marchiæ Anconitanæ, Thusciæ & Spoleti Princeps esset. Pacis compos Cæsar expedire volebat arma sua adversus Daniæ Regem, qui in turbis

Urspergensis, Nauclerus, Cranzius lib 7. Saxoniæ c 8 seqq.

A.C. 1198.

Bergomensis lib. 13. Chronici.

bis illis Hamburgum & Lubecam occupaverat. Fortè post venæ se-
A.C. ctionem quiescebat Bambergæ in
1208. lectulo, & importunius irrumpebat Otto Palatinus Wittelsbacchius dudum Cæsari infensus, quod ei filiam elocare noluisset causis justis adductus, itaque gladio confodiebat eum, antequam hoc satellites adverterent.

Nauclerus, Cranzius lib. 7. Saxoniæ c. 9. seqq.

VII. Otto quartus succedebat ex pacto quondã Cæsaris & procerum voluntate descripto. Romam profectus coronabatur ab Innocentio Papa, qui insimul rogabat eum, ut Lotharii & Philippi exempla sequendo Romanæ curiæ opes augere vellet. Sed de Imperii opibus conservandis sollicitus magis Cæsar, reposcebat à Papa Thusciam, Anconam, Spoletum, & à Siculis reddi sibi jubebat Calabriam & Apuliam. Hinc bellum exortum est, pellitur Cæsar Roma, nec tamen sine civium aliqua clade, quorum multi occidebantur, Latium diripiebatur. Papa vulgabat Cæsaris excommunicationem per Germaniam, jubebatque Episcopos, ut filium Barbarossæ Fridericum Siciliæ Regem, Sueviæ Ducem ad Imperium evcherent, cui ante multos annos promiserant istud. Moguntinus parebat, verũ
A.C. Cæsar ex Italia redux, comitia No-
1212. rimbergæ agebat, ubi Principibus coram demonstrabat, acta sua contrà Papæ tyrannidem legitima esse atque Imperii commoda tueri. Laudabant illi consilium, & Cæsar ipse incurius fulminis bruti, Episcopos Papæ complices sævissimis rapinis affligebat, potuissetq; decreta illorum armis rescindere, quando propriæ utilitatis curam unicè habendo, exterorum negociis abstinuisset. Philippus Galliæ Rex fœdus offerebat Friderico, & bellum transferebat in Flandriam. Otto magni animi semper armabat in Gallos, auxilioque vocabat
Johannem Angliæ Regem, qui A.C.
classem Gallicam in Britannico 1214.
Oceano adortus, naves ducentas capiebat, paucis fuga elapsis. Gallus desperata maris fortuna terrestrem expeditionem accelerabat, magnumq; exercitum in Belgicam promovendo, ad pontem Bovinũ non procul Tornaco dimicabat cum hoste, cædebantur Flandri & auxiliares horum, Angli, Germani, Lotharingi.

Cranzius lib. 7. Saxoniæ c. 34. seqq.

VIII. Dum in Belgio aberat Otto, multorum Principum favore excidit, qui ad Papæ gratiam respiciendo *Fridericum* Cæsarem inaugurabant Aquisgrani. Igitur Otto desertus ab omnibus, cum se viribus inferiorem cerneret, abiit Brunsvicum, privatam vitam
electurus, ac peste correptus de- A.C.
cessit. Fridericus per Germaniam 1218.
ordinatis rebus, Romæ poscebat coronam sibi imponi, idque recusabat Papa, nisi voto sese obstringeret, quod in Asia cõtrà Barbaros militare vellet. Sed donando Papæ Comitatũ Fundanũ in Apulia, facilè obtinuit indulgẽtiã Apostolicã,

& vix

& vix illud congiarium acceperat, ecce novas turbas! Nam Comites quosdam Thusciæ, qui Apuliam diripuerant, suppliciis justis afficiendo, Papam offendebat, & Cæsar Ecclesiæ hostis proclamatus, exponebatur rapinis Saracenorum. Ne tamen ex odiis bella nascerentur, proceres Italiæ demulcebant verbis alii, alii minis etiam compellebant Papam, ut Johannis Brennæ Palæstinæ Regis exsulis filiam Jolantham vellet Cæsari nuptum dare, & abolita excommunicationis nota, decretam adversus Turcos militiam opibus ac consilio juvare. Cæsar navigabat in Syriam, prælioque victum Mahaladinum Ægypti Sultanum cogebat, ut Palæstina decederet, captivos restitueret, decem annorum inducias faceret. Absentis provincias miserè infestaverat Papa, & confictis literis Cæsarem peremptum conatus persuadere, Johannem Brennam copiis ei additis permoverat, ut Calabriam, Apuliam, Siciliam occuparet. Reversus ille domum, soceroque in ordinem redacto, Papæ ingentem auri summam donabat, ne lites porrò urgeret, quandò filium suum Conradum Germaniæ Regem designaturus, procerum vota studiosè ambiebat.

Nauclerus.

Cranzius lib. 8. Saxoniæ c. 4. & seqq.

IX. Verum ne hoc quidem modo crudelem Papæ animum demereri poterat, qui obstabat summo nisu, & sociam militiam civitatibus Hetruriæ, Insubriæ, Flaminiæ imperabat. Cæsar aut sibi aut Papæ succumbendum esse statuendo, contrà Papam ejusque complices terra marique copias educebat. Nec segnius Papa impetratis Venetorum navibus Anconam tuebatur, legiones suas cruce signatas per Latium distribuebat, Cæsarem Dei hostem, Tyrannum, Saracenorum commilitonem improbo ore criminatus. Qui tamen innocens vitæ scelerisque purus Italiam totam armis perdomabat, legiones sacratas in conspectu urbis orco A.C. 1239.
mactabat, naves omnes debellabat capto Venetorum Principe Theupolo, & in littore de patibulo suspenso. Papa veritus, ne caperetur Roma, fugiebat in Galliam, & connivente Rege Concilium Lugduni habebat pro cogenda stipe, unde novus exercitus conscribi posset. Neque hoc satis, Cæsari quoque diem dicebat, ut actorum suorum rationem redderet, secus, cum emaneret, diris subjectus esset. Cæsar pergebat armis rem gerere, & sexagintà millium exercitu per Italiæ stationes collocato, Latium imprimis, ubi Papa opes repositas habebat, devastabat. Is furens gemensq; perscribebat ad Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopos, de novo Cæsare eligendo. Tantum A.C.
effecit, ut *Henricus* Landgravius 1246.

Thu-

A.C. Thuringiæ in comitiis Franco-
1246. fordiæ habitis Imperium susci-
Albertus Stadensis. peret. Adversus hunc prælio di-
micavit Cæsaris filius Conradus,
sed fugatus est ac victor Henri-
cus contendit in Sueviam, debel-
laturus urbes Conradi præsidio
munitas. Dum assidebat in ca-
stris ad Ulmam, jaculo perfossus
exspirabat. Eodem fere tempo-
re Cæsar in Parmæ obsidione da
mno magno affectus, sublatis ca-
stris abiit in Apuliam, altero etiã
nuncio minus grato perculsus,
quod filius ejus Encius Sardiniæ
Princeps in itinere versus Muti-
nam à Bononiensium turmis in-
terceptus esset.

A.C. X. Germani in locum perem-
1248. pti Landgravii surrogabant *VVil-*
Cranzius l. 8. Saxoniæ c. 18. seqq *helmum* Comitem Hollandiæ,
atque is coronabatut Aquisgra-
ni Hunc quoq; armis perseque-
batur Conradus, paratum mili-
tem à patre suppeditatum cir
cumducendo in Rhenanis agris.
Sed Cæsar optimus & felicissi-
A.C. mus, Papæ terror, à propinato ve-
1250. neno, Manfredi nothi sui fraude,
vitam finivit. Conradus percepto
patris sui obitu veniebat in Itali
am, & rebelles subditos, Papæ fu-
roribus impletos, crudeli bello

ulciscebatur. Ipse quoque vene- A.C.
no peremptus est. Wilhelmus vix 1254.
quicquam in Imperio egit, Fri-
siorum turbis agitatus, contra *Vbbo Emmius l. 10. histor Frisicar.*
quos profectus exercitum unum
Brederodio tradidit, alterum ipse
rexit incedendo per loca palu-
stria glacie constricta, sed eum
per insidias aggrediebantur ma- A.C.
nipulares Frisiorum & prope 1256.
Hoochvvoldam occidebant. Se-
cutæ sunt procerum gravissimæ
dissensiones, nec Papa amplius
de turbato Germaniæ statu cu-
rabat, Siciliæ rebus implicitus.
Anglorum Regis frater *Richar-*
dus Cornubiæ Dux evocabatur
à quibusdam, verum propediem
desertus, cum bello Gallis indi-
cto novum Imperio per se maxi-
me discordi hostem superindu- A.C
re vellet, pauper Imperator redi- 1261.
bat in Angliam, unde comes di-
ves exierat. Compellabatur per
nuncios *Alfonsus* Castellæ Rex,
magnis virtutibus atque erudi-
tione nobilis, ut in Germaniam
veniret ad suscipiendam potesta-
tem Imperatoriam, sed ille bellis
adversus Mauros gerendis oc-
cupatus, domo abire non
poterat.

LIBER XI.

Quo continentur res gestæ Cæsarum Occidentis è familia plurimùm Austriaca.

CAPUT I.

De rebus gestis Rudolphi Habsburgensis & Cæsarum sequentium.

A.C. 1273. I. TAndem ad indigenas conversi Electores accersebant *Ottocarũ* Bohemiæ Regem, qui multas Germaniæ regiones in potestate sua habebat. Ei videbatur, esse beatiꝰ domi pacem colere, quam foris sectari gloriam periculis maximis oneratam. Cum à potenti Rege nihil impetrarent, humilioris sortis *Rodolfum Rufum* Comitem Habsburgi adeunt, qui tunc in castris ad Basileam stabat, verum accepto nuncio, quod Cæsar electus esset, urbi pacem dedit. Auspicio felici, quandoquidem moderatus in vita omni, peritus miles, ætatis firmæ, ancipitis eventus lites toto Imperio enatas, favẽte successu composuit. Bellum atrox gessit cum Ottocaro Rege, qui Austriacas provincias, Imperii Germanici partem, Bohemiæ adjungere volebat, neque Cæsaris legatos aliter quàm suspendio damnatos, exceperat, juris humani superbus violator. Obsidebatur Vienna, & subsidio profectus Rex magno prælio vincebatur, ipse post dies paucos è vulnere accepto mortuus est, Austriam accipiebat Cęsaris filius Albertus, defuncti Regis filio Wenceslao copulabat filiam suam Juttam, pace facta. Italiam, rogatus licet, adire nolebat, conquestus seriò an joco, quod plurimorum Cæsarũ iter hoc lætum fuisset in abitu, secutusq; fuisset reditus miseriarum plenus. Genuam, Florentiã, Bononiam, Lucam precio accepto declaravit liberas. Papæ donavit Thusciam, Romandiolam, Flaminiam, ut expeditionem contrà Saracenos, quæ viros opesq;, immensas hactenus Germania eductas, nullo cum emolumẽto Barbarorum gloriæ impenderat, pro moveret, sed ille obtentis terris, quas tanto desiderio cupiverat semper, curam belli, Venetis adjudicabat.

Nauclerus, Gerhardus de Roo in Annalibus Austriacis lib. , Cranzius lib. 8. Saxoniæ c. 30. seqq.

A.C. 1278.

Christ. VVurstisius lib. 3. histor. Basiliens. c. 1.

A.C. 1291. II. Cæsar obiit Germershemii, autor

autor familiæ maximæ ejus, quæ gloriâ cumulatâ & potentissimarum gentium regnis potita in Orbe utroq; venerationi est. Electores vivo ei spem fecerant, quod vellent filio ejus Alberto deferre imperium, sed Moguntinus animum mutavit, omnibusq; autor fuit, ut *Adolfum* Comitem Nassaviæ præferrent. Factú est ita, cumque Albertus ei subjectioně præstare nollet, hostilia comminabatur Nassavius. Eodě tempore ceperunt lites inter Albertum Thuringiæ Landgravium ejusq; filios, nam pater irreconciliabili odio adactus, vendere principatum & filios hæreditate spoliare volebat sed tamen emptorem nullum invenire poterat, quod diffiderent se obtinere posse regionem illam cujus adhuc legitimi hæredes in vivis essent. Cæsar habebat auri summam in promtu, hanc ei numeraverat Eduardus Angliæ Rex, ut subsidia Imperii cōpararet ad bellum contra Galliæ Regě Negabant Principes, se ære mereri velle Regibus peregrinis, & verò Cæsar pecuniam illam solvebat Landgravio, occupabat Thuringiam, ejectis filiis Landgravii, qui Islebiæ mœnibus recepti bellum indixerunt Cæsari, fœdusq; cum Austriaco pepigerunt. Hic exercitum magnum conscripserat, & Principum fide nixus, à Moguntino quoq; impulsus, ducebat ad Rhenum, confligebat non procul Wormacia, & in acie cæsum Nassovium è medio tollebat, filiumq; ejus Rupertum capiebat. A.C. 1298.

Nauclerus, Gerh. de Roo lib 2. Annal. Austriac. Cranzius lib. 8. Saxoniæ cap. 35. seqq.

III. Rediit Thuringia ad legitimos hæredes, & *Albertus* coronatus est Aquisgrani. Hūc per nuncium suum compellabat Bonifacius Papa, ut Galliæ Regem Philippū vellet armis persequi, cumque frustrà esset, hostes quærebat Cęsari hinc inde, Dietericum Nassavium Adolphi fratrem constituebat Archiepiscopum Trevirensem, suffragantibus Colonisi, Moguntino, Bavaro. Adversus illos mittebat Cæsar exercitum, sub ductu Henrici Comitis Lucěburgici, & vastatis agris omnibus, ne plura ageret, expeditio in Bohemiam fecit. Duxerat matrimonio Reginam viduā filius ejus Rudolphus, quo non longè post satellitum ope cæso, voluntate civium regni succedebat Henricus Carinthiæ Dux. At Cæsar regnū pro se posterisq; suis apprehendebat, & quia Carinthius nolebat cedere, eductis copiis Germaniæ, Austriæ, Helvetiæ movebat versus Bohemiam. Cum ad Schafhusium Helvetiæ oppidum venisset, celoce prior transibat Rhenum, pone sequebantur aulæ proceres & nemine vetante, omnibus spectantibus, obtruncabant Cæsarě. A.C. 1308. Princeps conjuratorum erat patruelis ejus Johannes, cujus opes nomine Curatorio diutius justo retinebat, eratque ille Dux

Nauclerus

Christianus VVurstisius lib. 3. histor Basileens. c. 3. 4. 5.

Sueviæ, mimorum in aula cavillis expositus, qui vocabant eum Dominum sine terris. Percussores celeribus equis diffugiebant, Johannes cœnobium apud Pisanos ingressus pœnitentiam agebat omni vitæ tempore.

CAPUT II.

De rebus gestis Henrici Lucemburgici & Cæsarum sequentium.

Nauclerus Gerh de Rool d. Cranzius lib 9 Saxoniæ cap. 1. seqq.

I. Alberto successit *Henricus* Comes Lucemburgicus, notus per Imperium ob res fortiter ac prudenter gestas, in expeditione contra Rhenani circuli Electores. Utilis Imperio laboranti futurus, nisi vitam præpropere finivisset. Veniebat à Pontifice Clemente rogatus in Italiam, quæ antecessoribus ejus vel neglecta propter negocia magis seria, vel precio venum data, maximis sedicionibus laborabat. Mediolanum portis apertis excipiebat eum, Brixia portas clausit, verum expugnata nudabatur mœnibus, exemplo territæ Cremona, Verona, Mantua, Patavium, Tarvisium, Placentia libertatem suam deprecabantur apud Cæsarem, auro soluto. Romam ingressus cum valido exercitu, coronā accipiebat juvātibus Columniis, pulsis Ursinis, qui cum Roberto Siciliæ Rege conspiraverant in perniciem Germanorum. Inde Florentinis mulctam indicebat, agrosque circumjectos vastabat, Pisis stativa deponebat, & Appulorum copias subsidiarias profligabat. Beneventum profectus ut Roberto propior esset, antequā pugnaret, sacram cœnam petebat è manibus Johannis Politiani monachi Dominicanæ sectæ, & veneno infectam hostiam manducando exspirabat. Milites scelus horrendum ulti sunt, exusto monasterio, capto monacho & carnificum manibus subjecto ut vivus degluberetur. A.C. 1313.

II. Alberti filius *Fridericus Pulcher*, Austriæ Princeps vota quorundam procerum obtinebat, videlicet Coloniensis Archiepiscopi, Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Saxoniæ, Ducis Pomeraniæ, & coronabatur Bonnæ. Adversarius illi constitutus, *Ludovicus Bavarus*, accipiebat coronam Aquisgrani, præsentibus Moguntino & Trevirensi Archiepiscopis Johanne Bohemiæ Rege, Waldemaro Brandenburgico. Inde bellum civile enatum est. Ludovicus armis invasit Palatinum, & is pulsus ditionibus suis profugit in Angliam. Porrò Helvetiorum & Bohemorum legionibus confirmatus recta ducebat in Sueviam prælio dimicaturus cum Friderico. Multum operæ adhibebant Electores, ut contrariis ipsorum votis concitæ lites finirentur in primis

Gerh. de Roo lib. . & 3. Annal. Austriac.

Aventinus

Christ. VVurstisius lib .histor. Basileens. c.7.8.9.10

primis armorum experimentis, placebatque ad veterum morem Collegas diviso Imperio, donec moreretur alteruter, tolerare. Potuisset consensus iniri, verum Papæ nuncius in Germaniam missus, arbitrium litis ad se pertrahebat, quod tamen perfidè tractabat, dissidium fovendo. Scilicet de Ludovico abrogando palam edicens, animum addebat optimo Principi, ut in armis perseverando fortiter exciperet copias Austriacas ad Eslingam urbem, & pugnabatur quidem ancipiti eventu, multis ab utraq; parte nobilibus partim captis, partim occisis. Fridericus in Alsatiam recedebat, novis legionibus colligendis intentus, atque obtentis illis progrediebatur Argentinam, & verò Ludovicus amicam sibi urbem discrimini execmpturus, exercitum ducebat in loca hostium castris vicina. Neuter ausus invadere alterum, tantisper muniendis castris studuerunt, donec Fridericus annonæ defectu coactus in Austriam deflecteret, Ludovicus Alsatiam petiit. Exacto biennio Fridericus copias suas in Bavariā rapit, oppida spoliat, agros vastat, crudeliter grassatur in miseros colonos. Ludovicus patriæ suæ adeò afflictæ misertus, non cunctabatur, ut hactenus fecerat sed ultro in hostem conversus, A.C. 1322. propè Ottingam confligebat. Fridericus victus capiebatur.

Crantzius 19. Saxon. c. 8. seqq

III. Reliquias belli frater ipsius Rhæthorum & Suevorū copiis instructus persequi volebat: sed veritus damna majora, ad intercessionem Principum confugiebat. Papæ quoque suasibus hoc dabat victor, ut Fridericus dimissus retineret nomen Cæsaris, potestatem omnem solus Ludovicus haberet. A.C. 1325. Fridericus liberatus in Austriam redibat, nec ita multò post veneno extinctus est. Ludovicus bello confecto id egit, ut moderate usus victoria, Imperio pacato, confirmaret erga se benevolentiam eorum, quos adjutores rerum suarum habuerat, cæteros, qui adversati fuerant, ut venia dignos in gratiam reciperet. Sancivit ergo oblivionem injuriarum, & Rodolfi Palatini in exilio defuncti filiis hæreditatem paternam restituit. Porro contendit in Italiam, ut factiones Guelforum & Gibellinorum disturbaret, quorum illi contra Germanos sub Papæ protectione militabant, hi verò Cæsaris potestatem asserebant, adversus Clericorum dominatum. Copias addebat Galeacio Principi Mediolanensi & Scaligero Veronensi, ut contra Venetos & Appulos decertare possent, eoque offendebat Papam, qui veteres infensas renovando Cæsarem evocabat Romam, ad dicendam causam. Veniebat ille cum exercitu, monebatque Papam, ut su-

bito terrore perculsus aufugeret in Galliam. Libris editis ostendebat Cæsar, Papam esse subditum Cæsaris, quasque possideret ille opes, liberalia Cæsarum dona nec debere frui Cæsarum gratia, quando superbe agendo, perfidiæ reum sese faceret. Romæ coronam accipiebat è manibus Columnæ Cardinalis, sed Papa Avenione concilio monachorũ acto, proclamabat Cæsarem hæreticum. Cæsar par pari actutum relaturus, indicto Romæ convẽtu procerum ac Senatorum, Papam excommunicabat, simulacrum ejus effictum igne exurebat. Reversus in Germaniam pone trahebat secum infinitas Papæ diras, quas tamen comitiis Francofurdi habitis proculcabat.

IV. Electores in gratiam Papæ
A.C. designabant Cæsarem alium, vi-
1346. delicet Carolum Bohemiæ Prin-
Crancius l. 9. Saxoniæ c. 29. seqq. cipem, eumq; coronabant Bonnæ, non quod abdicare vellent Ludovicum, sed ut defuncto illo citra lites quascunque esset. De
A.C. mum obiit Ludovicus, equo in-
1347. ter venandum delapsus, cum ingentem ursum venabulo peteret. Generosi animi Princeps, qui successu optato Papas in ordinem redegit. Mox ab Electoribus dissentire ceperunt Principes alii, & *Carolo* repudiato, quem donis magnis, promissis majoribus oneravisse Electores, palam dicebant, ut privato conventiculo, paucorum consensu, coronaretur, ipsi Francofurdanis comitiis petebant votis suis *Edvardum* Angliæ Regem, celebrem ob res fortiter in Gallia gestas, ut dignitatem Imperatoriam susciperet. Sed contentus ille honorifica Principum de se opinione, grati-
tias egit. Itaq; compellabant *Fri-* A.C.
dericum Misniæ Ducem, Ludovi- 1348.
ci Bavari generum, sed is quoq; recusabat, veritus ne Bohemos in se concitaret, vicinos & armis potentes. Carolus exercitu magno superiorem Germaniam tentabat, Sueviam præsidiis tenebat, Bavariam carpebat infestis turmis. Rhenanæ provinciæ & Franconiæ urbes favebant ei, nec tamen Principum aliorum consensum impetrare poterat, quamobrem Germania tantisper decedendo, in Bohemiam redibat, observaturus deinceps, quem finem habitura esset Principum
discordia. Eis demum obsecutus A.C.
Guntherus Comes Svarcembur-
gicus coronam accepit Franco- 1349.
furdi. Carolus in Germaniam reversus, & nequicquam armis Palatinatum invadendo, cum longe maximam belli molem imminere sibi cerneret, asturem gessit, & Cæsaris novi Medicum aulicum precio corrupit, qui Domino suo venenum præberet. Hoc facto sublatus è medio æmulus locũ dedit Carolo, atq; is ex ambito honore potitus Imperator solennibus comitiis enunciabatur.

V. Hic est *Carolus IV.* dubiæ lau-

Nauclerus. dis Princeps, quod multa egregiè, quædam verò pravè egerit. Burgundiæ regnum ab Imperio revulsum magna pecuniæ summa vendidit Gallis, nec tamē precium Germaniæ bono impēdit, sed Bohemiæ suæ augendæ studiosus, multas partes Misniæ, Franconiæ, & Brandenburgicā Marchiam universam auro soluto emit, juribus omnib9 ad Bohemos translatis. Similem certe nundinandi animum secum attulit in Italiam, liberalis admodum ex alieno, multas Principibus, civitatibus plures, Papæ verò plurimas exemptiones indulgēdo, ut apud Monachos & Canonum Doctores benè audiret. Quod tamen Romani proceres non perinde æquo animo tulerunt, sed illa Imperio illata damna exceperunt non minora alia, quæ Cæsaribus deinceps procuravit. Nā ut filiū suū Wenceslaū Imperatorē & sibi successorem faceret, centum aureorum millia Electoribus singulis promisit, & quia non poterat tantam auri summam liquido solvere, publica Imperii vectigalia oppignoravit eis, unde Cæsarum opulentiæ plurimum decessit, potentia Electorum accrevit. Neque enim redimi hactenus & in Cæsaris aulam derivari potuerunt. Operum ejus præcipuum
A C. 1356. ac laudatissimū est, quod in comitiis Norimbergensibus promulgavit Bullam Auream, juris publici in Germania validi prōptuarium.

CAPUT III.

De rebus gestis Wenceslai & Cæsarum sequentium.

I. *WEnceslaus* corpore deformi, animo obtuso & nullarum rerum, nisi voluptatum intelligente, emptis auro Electorū suffragiis, Bohemiæ regnum cum Germaniæ Imperio conjunxit, utrumque verò negligenter administravit. Satellites plurimos adhibuit semper è Germanis, Bohemisque, hos ipsos tamen mutavit sæpius, quod nemini satis fideret, insidiarum metu, nec tamen in magnis rerum omnium motibus vitare illas potuit. Ab ignavia & suspicionibus orsus, per rexit in crudelitate, innocentes multos suppliciis afficiendo, manuq; sua vel inter epulas jugulando multos velut per jocum. Bohemiæ proceres abdicabant ei imperium, & intra carcerē squallidum compingebant mensibus quatuor, eductus inde ut auram mutaret pedoresq; corporis ablueret, custodū animos donis promissisq; corrumpit, ac lembum quendā in Muldæ ripa nactus evasit, arreptis porro equis, venit ad fratrē Procopiū, Moraviæ Ducē, qui precibus adhibitis conciliavit eū proceribus. At ille nequaquā mutat9 animi, ut pro carcere perpessoæ quū redderet, proceres vita opib9q; mulctabat, priscorū Ty-

A.C. 1378.

Dubravi9 l. 23 Cranzius l. 10. Saxoniæ c. 4. & seqq.

Bergomensis l. 14. Chronici.

Tyrannorum exempla omnino æquando, multorum superando. Denuo conjurabant cives, & fratrem ejus Sigismundum Ungariæ Regem appellabant vindicē inusitatæ sævitiæ. Is cum exercitu profectus iu Bohemiam, Regem captivū Viennæ cōmendabat apparitoribus, Regni præfectū ordinabat quendam è procerum numero. Nec isto quidē modo satis custoditus, mendici habitu aufugit, ac reversus Pragam, perinde uti antea cædibus grassabatur, ludis cæterum præstigiisque agyrtarum & Planetariorum deditus, negocia seria omittebat.

A.C. 1400. II. Germaniæ Principes de abrogando illo ausi dicere, promptum adeo habuerunt, ut sponte exsolveret omnes fide, ac deserta Germania adiret Pragam, ubi vitæ reliquum peregit iis moribus quibus assueverat, vino ciboque marcens. Habebat patruelem *Iodocum Barbatum*, quem Sigismundus commendabat Electoribus, ut *Cæsar* esset. Verum hi malebant Principem opibus pollentem, ideoque eligebant *Fridericum* Ducem Brunovicensem. Hunc oderat Elector Moguntinus & prope Fritslariam sicariis immissis occidebat. Surrogabatur illi *Rupertus* Comes Palatinus Rheni, & quoniam Johannes Galeacius Mediolani Dux à Wencesiao absolutam libertatem impetraverat soluto precio, virium compos Italiæ populos vicinos bello vexabat, regiam potentiam meditatus, olim à Berengario usurpatam. Quod cum jampridem invisum esset Gregorio Papæ, cepit is impellere *Cæsarem*, ut provincias Imperio subditas omni studio conservaret. Res successum habuisset, nisi Electoris Moguntini, quem Galeacius amicum colebat, suasu, Principes Imperii societatem armorum detrectavissent. Cæsar verò pergebat, auxiliis Rhenanis instructus, & in Brixanum agrum ducendo, obvias Galeacii legiones velitatione superabat, cæterum justam urbis magnæ obsidionem haut aggredi ausus, desperatis Papæ auxiliis, revertebatur in Germaniam.

Nauclerus.

Crancius l. 10. Saxoniæ c. 19. seqq.

III. Pacis artes sectatus obiit Oppenhemii. Succeslit illi *Sigismundus* Hungariæ Rex, ipse quoque pacis negocia tractando felicior, quam gerendo bella, motibus Italicis sese immiscere nolebat, merito suo cum summis temporum omnium Regibus conferendus. A.C. 1410.

Cranzius l. d. c. 6.

CAPUT IV.

De rebus gestis Alberti secundi & Cæsarum sequentium.

I. SIgismundi gener erat *Albertus* secundus, atque ille post A.C. 1438.

post obitum soceri Electorum votis coronam accipiebat. Cum exercitu ingressus Hungariam, ut contra Sultanum Amurathem pugnaret, ob ingentem æstum profluvio alvi corripitur, & propè Strigonium moritur. Successit ei *Fridericus Austriacus* suo quodam fato admirabilis, calliditate potius quàm armis res magnas gessit. Turbarum civilium, quas proceres Imperii conciverant, spectator ociosus, tunc demum per Legatos suos composuit eas, postquam fessa potius quàm victricia arma posuerant.

Nauclerus Gerh de Roo lib 4. & 5. Annal. Austriac.

A.C 1440.

II. Genuit ex Leonora Portugalliæ Regina filium *Maximilianum*, atque is patri successit. Bellum cum Venetis gessit, societatem pactus armorum quam cupiebant Galli. Adversus Turcos exercitum egregium conscripserat, si quod minitatus fuerat, Selymus in Europam vertisset arma sua. Verum hunc Persicæ lites remorando, tantum distinuerunt, ut Germania pace frueretur.

A.C. 1493.

Cuspinian. Gerh. de Roo lib. 10. 11. 12. Annal.

LIBER XII.

Quo continentur res gestæ Cæsarum familiæ Austriacæ usque ad nostra tempora.

CAPUT I.

De rebus gestis Caroli Quinti & Cæsarum sequentium.

A.C. I. 1519.

DEfuncto Maximiliano successit nepos ejus ex Philippo Legionis Rege *Carolus Quintus* Hispaniæ Rex & Belgicæ Princeps. Eum votis suis promovebant Moguntinus, Coloniensis, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux, nam Trevirensis & Brandeburgicus prætulerant Franciscum Galliæ Regem clarissimum. Coronam accepit Aquisgrani, & porrò habitis Wormaciæ comitiis, auscultavit controversias in Religionis negocio exortas. His verò ad prolixius ocium dimissis, summa ope apparabat bellum contrà Galliæ Regem, qui prætextu aliquo usus Mediolanensem Ducatum armis subegerat. Exercitu misso sub Ducibus Columna & Ferdinando Piscariæ Marchione, Insubriam aperiebat captis Parma & Pla-

Sleidanus.

A.C. 1521.

A.C. Placentia, fœdere inito cum Pa-
1521. pa non postremo in hac scena actore. Accelerabat iter Gallus, duplicatum præsidium imponebat Mediolano, totusque ad majorem vim propulsandam comparabat sese. Proinde obsidebat Papiam, sed tempestatum inclementia depulsus, liberalia in Florentinorum & Venetorum ditionibus hyberna accepit: Germani & Hispani locis perinde commodis exclusi, fortiter molestias omnes toleraverunt. Sub veris initio reversus in expeditionem Franciscus Papiam denuò cingit, quam defendebat Antonius Leva pro Cæsare. Reliqui duces exercitu convocato, impetum faciebant in castra hostium validis aggeribus communita, eosq; ad conflictum subeundum adigebant, veriti ne Leva annonæ defectum passurus dedicionem faceret. Ergò Davalus Piscariæ Marchio levis armaturæ cohortes Italorum adducendo noctu castra Gallica incendebat, & propugnacula diruebat, mox sub aurora Galli ad repellendam vim convolantes ab insidiis Germanorum opprimebantur, interim exercitus aciem formabat, & Galli desertis castris occurrebant. Prælio durante Castriotus equitum præfectus turmales Helve-
A.C. tiorum circa Regem dispositos
1525. profligabat, Regem ipsum captivũ Lanoio Apuliæ Proregi offe-

Galeacius Capella.

rebat, ipse vulneribus multis confectus paulò post exspirabat. Rex captivus mittebatur in Hispaniã, ac triennio detentus, post certas pacis leges dictas, & ducta in uxorem Cæsaris sorore Leonora, remittebatur in Galliam.

II. Cæsari dedebatur Mediolanum, sed tam potentem accolã non ferentes Veneti & Papa, quẽ antea clam juverant, eum deinceps palam declarabant hostem, Regique autores fuerunt, ut novum exercitum, quamvis facta pace, adduceret. Parebat ille addẽdo plurimas turmas copiis sociorum, quas Papæ juramẽto obstrictus Fridericus Urbinatium Princeps regebat. Mox Columnii proceres invadebant Romam, Clementem Pontificẽ ab insigni avaritia omnibus exosum, in Mole Adriani obsidebant, Vaticanũ diripiebant. Aderat illis Hugo Moncada non satis magno militum numero confirmatus, Neapoli intra paucissimos dies profectus, & specie induciarum Laterana porta ingressus, ad Vaticanum instructa acie contendebat, nihil se commovente populo Romano, Pontificis ædibus militum prædæ concessis, acceptisq; ab eo obsidibus, quibus certo bello absistere & ad amicitiam Cæsaris redire fateretur. Ejus copias Borbonius & Fronsbergius justo prælio cæsas fugabant, ductor ipse globo tormentario prostratus

P. Suavis Florentinus lib. 1. & 2. Sabellicus l. 9. 10. 11. 2. supplemen. tor.

ſtratus cladis acceſſio erat. Germani victoria ſua optimè uſuri in agrumBononienſem prædabundi excurrebant, Ferrariæ ſtativa habebant, donec penuria rerum afflicti cogerentur inde ad opimas Florentinorum diciones tranſire. Cenſebat Papa ita fore ut ab hoſte liberatus, ſpacium ad copias reſtaurandas conſequeretur, verum hoc percepto, Fronsbergius quidem ob morbum, quocum luctabatur, in vicinia Florentiæ relictus eſt, Borbonius maximâ parte exercitus aſſumpta, iter faciebat per ſilvas & viarum compendia, feſtinus adeo ut nuncios prævertendo, ad urbis Romæ portas conſiſteret minabundus, pecuniam & annonam exigens. Papa recuſabat, egeſtatis ſuæ prætextu uſus, & Germani prædæ ſanctæ cupiditate incenſi unà cum Hiſpanis urgebant Borbonium, qui ſalubre hoc conſilium dabat, ut omiſſis balliſtarum concertationibus, armati gladio & bombarda quilibet præſenti animo ſubiret mœnia, applicitiſque ſcalis adſcenderet. Proinde ſummo diluculo inter nebulas cum fulgore Solis obſcuro conjunctas, quæ proſpectum civibus adimebant, ſtrepitu vitato mœnia Divi Petri fano contigua aggrediebantur, ſuperabant, deſiliebant, portas cæſis vigilibus effringebant, reliquis intromiſſis, ut vicos obſiderent. Urbs capta diripiebatur, nec enim Papæ majeſtatem ejuſque diras coram altari pronunciatas verebatur profanus miles, omnia armis obtemperabant, templis expilatis, monaſteriis dejectis, Clericis impunè occiſis, Papa vix libertatem ſuam tuente intrà Caſtellum Angeli. Hoc quoque obſidebatur, cuniculis factis, ut ſubjecto pulvere tormentario ignique admoto deſtrueretur moles, ſed aquæ propullulantes iſta impediverunt. Convitia ingerebantur altis vocibus, pomparum & cerimoniarum ludibria certatim exercebantur, Lutheri inviſum nomen millies inclamatum, ut anxius Papæ animus tantò magis ureretur.

P. Iovius.

A.C. 1527.

III. Fame & majoris periculi metu victus Papa demum, arcis ſuiq; ſuorumque omnium deditionem obtulit, ea conditione ut quæcunque Cæſar imperaret, faceret, cuſtodiam verò deprecatus, ingentẽ auri ſummam promiſit. Milites aſſenſerunt poſtulato ejus, caſtroque dedito Papa in Hiſpanorũ manus conceſſit, qui fidejuſſerunt pro redemptionis precio. Germani verò ſignis ſublatis, quia nihil in urbe ſupererat, egrediebantur verſus Narniam, & ditiſſimum illud Latii oppidum ſpoliabant. Hoc facto ad

urbem redibant, veriti ne Hispani solita fraude agentes Papam liberum dimitterent. Loquebantur de universæ urbis incendio, nisi pecuniā solveret actutū. Sed literis ab Hispania acceptis, solutoque stipendio Papa reddebatur urbi, & Germani sub Fronsbergii ductu (nam Burbonius nuper in assultu penes mœnia globo per caput adactus occuberat) Latio excedebant. Renunciabat Papa fœderi Gallico, sed tamen Rex persecutus militiam suam, Florentinorum & Ligurum opibus recreatus, copias ducebat in Neapolitanum agrum, Cæsaris duces tardius adveniendo, non poterant vetare quo minus urbs apparatissima obsidione clauderetur. Hugo Moncada Siciliæ Prorex navali prælio cruento ad Salernum occisus & victus à Philippo Auria Genuensium Duce, *Iovius l.6 Elogiorū num 5.6.* spem faciebat expugnandæ brevi urbis. Non tamen illis diu læta fuit eorum victoria, pestis enim coorta dissipavit copias omnes, ipso Duce Lotreccio defuncto.

IV. Carolus Romam profectus, reconciliabat sibi Papā, & ab eo coronā accipiebat Bononiæ. A.C. 1530. Inde veniebat in Germaniam, & Augustæ comitiis habitis prælegi simul ac refelli publicè curabat restauratæ fidei Confessionem, quam tuebantur Principes Imperii & civitates magnæ, ordinis Protestantium. Insuper comminatus bellum, nisi Papam reverenter haberent. Ne hac vice ultra minas procederet, frater ejus Ferdinandus intercedebat, qui Rex Germaniæ eligebatur, & pacem Religionis procurabat Norimbergæ, donec Concilium liberū convocaretur. Solymanus in Hungariam iterata expeditione reversus, vastatis longè lateq; provinciis, non levem metum incutiebat Cæsari, ut de Turcis bello prohibendis cogitaret potius, quam de persequendis Romanæ curiæ hostibus. Mox per Asiam celere itinere profectus, in ipsam Persiam adveniebat, Taurisium capiebat. Eodem tēpore maris potentiam aucturus, humaniter ad stipendia sua invitabat Hariadenum civem Lesbium, navibus prædatoriis instructum, opibusque potentem, quas pyratica sibi comparaverat. Hujus ductu subigebat regnum Tunetanum, pulso Rege Muleasse. A.C. 1534.

V. Is navigabat in Hispaniam, Cæsaremque rogabat supplex, ut contra Hariadenum arma susciperet, felicem successum pollicitus, quandoquidem Sultanus in remotissimis Assyriæ campis dimicabat, Persarum vires omnino elisurus, ut in pace deinceps Babyloniæ imperium retineret. Cæsar trajecto freto Herculio classem admovebat Tuneto, incolæ Regis sui desiderio exciti, pyratarum naves ignibus crema-

mabant fugiente Hariadeno, & vero Carolus propugnaculum Golettæ condebat in littore, imposito Hispanorum præsidio, ut Turci longius submoverentur. Hariadenus apud Solymannum è Persia reversum acceptæ cladis solatium quærendo, obtinebat magnã auri summam, navibusque reparatis, sociata cum Dragute manu, Corcyram spoliabat, incolarum multis millibus sub hasta venum datis. Solymannus terrestri expeditione functus Ungariam premebat, capta Buda. Cæsar successu ad Tunetum gavisus nuper, eundem sibi porro spondebat, & classe instructa petebat Algieram, sed multas naves procellarum vi demersas amittebat, reliquas magno damno afficiebant Turcorum celoces, & Cæsar infecta re conversis velis in Hispania appellebat.

Iovius l. 37. 38. 39. 40. 41. histor.

VI. Pactis cum Solymanno induciis & pace facta cum Galliæ Rege, quotidianis Papæ hortatibus fractus in Germaniam redibat, visurus de Protestantiũ conatibus. Ratisb. comitia indicebat cumque nemo Principũ veniret eò, putabat se negligi & contemni. Milites per Italiam conscripti duodecim mille pedites & quingenti equites, sub Ducibus Octavio Farnesio, Johanne Baptista Sabello, Alexandro Vitelio, per Austriam itinere facto in Germaniam properabant, copiasq; Bohemicas à fratre suo nactus insuper, apertum bellũ agitabat. Elector Saxo & Princeps Hassiæ non vanè hariolati de Cæsaris proposito, exercitum suum in Bavariam adducebant, prope Cæsaris castra qui Ingolstadium à latere habens, propugnaculis formandis unice studebat. Suadebat Hassus, ut labore interpellato castra invaderentur, antequam plurium legionum robur coiret, quas è diversis locis advenire, certo nuncio constabat, verum Elector non assentiebatur. Hæc unica causa erat cladis in progressu belli acceptæ. Cæsar Hispanicis & Belgicis subsidiis auctus, quæ Maximilianus Buranus, supra Moguntiam haut dubio Electoris favore cõmodatis navigiis trajecerat, ultro deinde in hostem sese obvertebat. Qui confligere justo prælio ad Norlingam volebat, Cæsar verò Donaverda occupata, in Sueviam ibat, hostesque velitationibus multis lacessebat. Nectamen satis confisus viribus suis, domesticum hostem concitabat Electori, videlicet Mauricium Saxonem. Hic plurimas urbes vi cepit magno cum gaudio Cæsaris, qui publicam lætitiam contestaturus, in castris tormenta omnia displodi jubebat. Mauricius invisus ob rem illam omnibus, purgare se nequicquam conatus est,

Thuan l. 2 histor.

A.C. 1546.

P. Suavis l. 3. 4 David Chytr. in Saxonia l. 16. 17. 8. Sabellic. l. 14. 15. 16. 17. supplementor. Ludovicus ab Avila in descriptione belli Germanici. Lãbertus Hortensius l. 7. de bello Germanico.

est, quando nemo non sciebat, prætexere illū falsa aliqua ambitioni suæ, & callidæ aliena invadendi cupiditati, adeoque unicus victoriæ ejus, quem Cæsar de Germania intestinis litibus perplexa meditabatur, promotor cogebat Saxonem Electorem ut omisso Cæsare domum regrederetur ad tuenda propria. Abeuntem persecutus Cæsar toto Rheno sociatas Electori urbes gravibus damnis afficit, cum Palatino Electore ac Wurtembergico reconciliatur, pronoque itinere Saxoniam delatus copias dividit, Westphaliæ civitates expugnat, Bremam obsidet. Ipse Albim tenus omnia peragrando invento vado (nam pontem ad Misenam incenderat Elector) alteram partem ripæ subitò obtinet, atq; Electorem in sylva Lochava prælio congredi ausum, profligat, saucium in maxilla sinistra & captivum Albani Ducis manibus oblatum abducit, Wittebergam expugnat, Hassum victoriæ terrore compulsum, ut sui copiam faceret, militari custodia detinet.

A.C. 1547. Iovius l.7. Elogiorum num.9.

VII. Elector morte damnatus vitam redemit abdicatione Septemviratus, Wittebergam & Gotham Cæsari tradidit, sed ut Concilio Tridentino suffragaretur, nullo vel mortis metu adigi poterat. Et Cæsar, quod in aliis omnibus arbitratui ejus sese permisisset, conditionem hanc unam remisit ultro. Bona publicata accepit Mauricius, relictis unde aleretur, censibus in districtu Vinariensi. Ergo quanquam Saxonicæ civitates & Albertus Comes Mansfeldius exercitum Cæsaris, quem Ericus Brunsvicensis, Philippus Eberfteinius, Vrispergerus ad Visurgim & Albim ducebant, insigni victoria prope Drakenburgum superavissent, non tamen partium causæ prodesse multum poterant, siquidem Electoris calamitas fœderatorum successum affligebat, atque in eo uno Principe omne robur Germaniæ collocatum esse existimabant omnes. Deinceps Cæsar multo fractus labore & curis infinitis confectus, de Imperio deponendo cogitabat, hoc insimul conatus, ut Ferdinandus Germaniæ regno sponte renunciaret, ejusque loco Philippus Cæsaris filius ab Electoribus reciperetur. Verum successu caruit & prævalebant amica Germaniæ fata, nam paulo post

lo post sub Philippi auspiciis horrenda in Belgio laniena peragebatur. Ferdinandus optimus Princeps & pacis amans, Germaniæ imperium retinuit, ac Protestantium causæ multum profuit. Elector Saxo & Hassus permanebant in captivitate, deprecabatur Mauricius Elector novus, ut dimitterentur, eratque ille Hassiæ Principis gener. Bello extorquere volentem, quæ precibus obtinere haut poterat, commodum instigabat Henricus Galliæ Rex infensissimus Cæsari, & Mauricius copias eas, quarum opera in affligendis Bremensium & Magdeburgensium agris propter arctissimum cum Electore captivo factum fœdus, ipse & commilitones ejus, Ericus Brunsvicensis, Georgius Megapolitanus, Christophorus Verdensis, annis proxime elapsis usi fuerant, per vicos Herciniæ distribuebat, ubi liberalia hyberna occupaverunt. Vere primo delectum instituebat, sociosque novos nactos Albertum Brandenburgicum & Wilhelmum Hassum, recta via pergebat in Bavariam, & devictis primo impetu urbibus illis quæ resistere volebant, cæsisque uno prælio tribus millibus Hispanis, qui aditus Alpium custodiebant, cum firmo exercitu movebat Oenipontem, unde Cæsar & frater ejus pridie egressi fuga sese receperant Villacum. Germani capta urbe, diripiebant quicquid ibi erat rerum Cæsaris & Hispanorum, sed Ferdinandi civiumque bonis pepercerunt. Ne bellum propagaretur, Ferdinandus effecit, ad cujus preces dimittebantur Principes captivi.

Thuanus l. 34.5.6.7. 8.9. histor.

A.C. 1552.

VIII. Galliæ Rex interim occupaverat Metin, Tullum, Virdunum, imperiales urbes, Alsatiam quoque, & in ea Argentoratum vexabat armis, sed cum Helvetii pro vicinis suis intercederent, insuper Rex audiret, Principes captivitate solutos esse, urbes præsidiis firmabat & redibat in regnum. Cæsar Metim urbem, in qua Guisius Regis sui nomine cum præsidio regebat omnia, frustra obsidebat, nam post triumphatos Deo fideles Principes, vix prospere quicquam egit. Senas fame vexatas in potestatem Florentini Ducis redegit, cæterum plurimas alias urbes amisit, quæ Galliæ Regi portas aperuerunt, plurimis quoque conflictuum experimentis nunquam par, sæpe inferior, ad Papæ arbitrium bella ex bellis serebat, & militum sanguine affatim fuso, vix tamen petentiæ suæ conservan-

Thuanus l. 8.9.10.11 12.13 14. histor.

A.C. 1555.

Casp. Lundorpius l. 4. Thuanus l. 15. 16.17.18. 19.20. historiar.

dæ deinceps sufficiebat. Ne volubilis fortunæ casus eum vel tandem inveniret, Philippo filio Hispaniæ regna, Ferdinando fratri suo Germaniæ Imperium concessit, ipse monasterium Sancti Justi ingressus cum duodecim satellitibus, procul ab operis bellicis quievit, religioni deinceps vacaturus, Princeps qui ferè jam à prima ætate seriam vitam egerat, maximis negociis & variis expeditionibus fatigatus, parem virtuti fortunam nactus melioris Orbis spolia bellica pro triumpho aliquoties extulit, verè pius superstitiones defendere noluit, verè justus, quia devictis populis tolerabiles pacis leges imposuit, cæterum potentia sua Imperio detraxit multa, Hispaniæ plurima acquisivit.

IX. *Ferdinandus* in pace Imperium habuit, contra Turcos in Hungaria belligeravit, majori animo quam successu. Decessit Viennæ tabe catarrhosa, & successorem accepit filium suum *Maximilianum*, de quo vulgò dictum est, quod fuerit *amor & deliciæ generis humani*. Quàm faverit veræ Religioni, ostendit dictorum ejus, *nihil crudelius est quàm conscientiis dominari velle.* Arbiter pacis bellique inter Principes Germaniæ, in comitiis Ratisbonæ habitis obiit.

A.C. 1558.

A.C. 1564.

Chytraus lib. 19. Laurent. Surius

CAPUT II.

De rebus gestis Rodolphi secundi & Cæsarum sequentium.

I. SUcceßit ei filius *Rodolphus secundus*, ingenio solers, animo gravis, inter religionum diversitates medius stetit, nec ipse quenquam turbavit, vel ab alio turbari permisit, contrarias molitiones semper via juris composuit bellorum civilium abstinens. Post Isabellam Eugeniam Hispaniæ Regis filiam petitam, sed non obtentam, matrimonium deinceps animo obfirmato repudiavit, itaque fratres ejus & cognati hæreditatem cernere summo animorum studio conabantur. Matthias frater, copiarum ductor adversus Turcos, procerum votis accipiebat regnum Hungariæ, quod Religioni permitteret exercitium liberum. Hanc vero in provinciis Austriacis non toleraturus ultra Ferdinandus, proscriptionum tabulas vulgabat monachorum suasu. Et Ferdinandum quidem Papæ authoramento obligatum, ex asse hæredem constitui petebant Nuncius Apostolicus & Regis Hispaniæ Legatus, sed frustra erant, ac Cæsar ratam habebat Matthiæ electionem. Bohemiæ regnum destinabat Leopoldo, cumque Ordines haut crederentur admit-

A.C 1576.

Thuanus lib. 67. seqq

mittere velle Principem religioſorum perſuaſionibus nimis deditum, armis rem gerebant Auſtriaci, & tredecim millium virorum copiis in Germania conſcriptis, duce Romæo veteri è Belgio milite, Bohemiam vaſtabant, Pragam minorem reſerata noctu per fraudem porta, Felſio profligato, intrabant. Ne totam occuparet, civium fortitudo in veteri Praga obſtitit, qui milites prædæ avidos occidebant paſſim, & Religioſorum conventicula effringebant. Tennagelium Leopoldi Conſiliarium quæſtionibus ſubjiciebant, ut expeditionis ejus cauſas profaretur. Interim Matthias cum exercitu Ungarico progreſſus Leopoldum ejiciebat, ipſe Bohemiæ regno inaugurabatur, Cæſare factum non laudante. Leopoldus excidebat votis, propterea maximè infenſus Romæo, quem crudelibus populationibus ubique licenter nimis uſum, ajebat, civium animos irritaviſſe, ut Matthiæ auxilia in tempore accerſendo, belli progreſſum ſufflaminarent. Ergò capitis damnatum & gladio percuſſum opibus vitaq; mulctabat.

A.C. 1612. II. Eo defuncto, *Matthias* Imperium Germaniæ obtinebat. Comitiis Ratisbonæ habitis Principes & Civitates ſerio conquerebantur de præjudiciis Cameræ Imperialis, quod Protestantibus graviſſimæ mulctæ imponerentur ſemper, Romanenſes verò à noxa abſolverentur. Querelis rejectis crevit procerum diſcordia. Brandenburgicus Elector adverſus Neoburgicum Principem contendebat ſuper Juliaci, Cliviæ & Montium ducatibus, neuter parebat Cæſaris arbitrio, converſis animis ad externa auxilia, Batavos cum Mauricio Principe Elector Brandenburgicus evocabat, Hiſpanos cum Alberto Archiduce Neoburgicus accerſebat, hæres uterque. Et tunc primum Germaniæ fata, quibus annis inſecutis miſerè agitata fuit, ſeſe aperuerunt, quarum una haut dubie cauſa, præter alia quæ animos rebus ſecundis elatos in mutuas diſſenſiones propellere ſolent, Religionis diſcordia erat, quam Latinis ſacris conformem, ut Bavaro ſocero & Alberto commilitoni ſuo placeret, deſerta Evangelica, ſuſcipiebat Neoburgicus: partibus Reformatorum adjungebat ſeſe Brandenburgicus.

Meteranus lib. 30 Ioh.

Petrus Lotichius.

III. Cæſar ætate curiſque confectus, quia ſobolem non habebat, ſucceſſorem deſignabat *Ferdinandum* Archiducem, patruelem ſuum, eumque Bohemiæ Regem inaugurandum curabat. Ac promittebat ille, quod in Religionis negocio, ad exemplum Majorum ſuorum pacis ſtudioſus

Meteranus l. 36 Ioh. Petrus Lotichius, A. Brachelius lib. 1.

esse vellet. Bohemi priorum temporum licentiæ insistêdo, (quanquam illos docere possent Austriæ civium exsilia, quod Ferdinandus Papam impense coleret) pergebant templa condere, forte alterum Brunoviæ, alterum Clostergrabii recentibus impensis exstruxerant in proprios usus, neque interpellaverant adversarii opus, quo demum absoluto utrumque templum occupabat Archiepiscopus Pragensis, eo prætextu usus, quod fundus ad monasterium pertineret, impetratisque à Cæsare & Rege literis factum defendebat. Res devolvitur ad proceres, conveniunt illi in Collegio Carolino, deque afflicti regni statu deliberant, & hostium conatibus quocunque modo occurrendum esse, pronunciant. Cæsaris Regisque partes tuebantur VVilhelmus Slabata, Jaroslaus Smisanski, Philippus Fabricius, quos velut proditores, correptos de fenestra in subjectam aream præcipitaverunt, absque tamen vitæ jactura, quod in fossam quisquiliis & exverris curiæ oppletam deciderant. Triginta directores constituuntur, Jesuitæ proscribuntur, milites sub Comite Henrico Turrio & Barone Velseno coguntur, vicinorum auxilia rogantur. Primò quidem motus illos per literas volebat Cæsar componere, sed cum nihil efficeret, aperto bello aggrediebatur Bohemos, Tampirio misso in Daciæ partibus quondam præfecto, qui cum velitationibus hostem irritavisset, majoribus copiis à Carolo Buquoio adductis, pauciores suas permiscebat. Castra muniebantur ad Saslaviam, & Pilsenæ imponebatur præsidium.

Lundorpius lib. 1. de Bello civili.

IV. Turrius in Austriam progressus, Viennæ obsidionem parabat. Velsenus domesticam militiam curabat, adjuncto sibi Ernesto Mansfeldio, quem Sabaudiæ Dux, tantum ut Bohemis militaret, cum veterana legione abdicaverat. Is expugnabat Pilsenam, cæsis incolis ob constantem erga Regem suum fidem. Velsenus ad Budovisium idem tentaturus, peribat conflictu, milites fugiebant ad Mansfeldium. Hæc eo ferè tempore gesta sunt, quo Pluretum Rhætiæ oppidum montis imminentis parte aliqua per terræ motum revulsa obrutum, incolas omnes communi sepulchro contegebat. In cælo flagrabat Cometa Orientalis, ortus propè Scorpionem, Martem inter & Mercurium bellicosos Planetas paulatim Tropicum Cancri egressus, atq; in Septemtriones vergens disparebat. Cæsar decessit morte, successor ejus Ferdinandus per literas hortabatur Bohemos, ut armis depositis gratiam poscerent, quod illi secius interpretati, Cæsarem puta-

Andreas ab Habernfeld.

A.C. 1619.

Caraffa, Lotichius, Lundorpius lib. 2. de bello civili.

putabant ad melius gerendas res suas tempus lucrari velle. Proinde armis pergebant, Moravos, Silesios, Lusatos ejusdem ab antiquo corporis, sibi adjungendo. Buquoius continebat se Budovisii, justa acie non ausus congredi, antequam Bavariæ Princeps delectus Germanicos, & Wallesteinius Hungaricos explevissent. Turrius redibat in Bohemiam, cædebatque palantes Valonum turmas. Restabat, ut novum Regem sibi imponerent, postquam Ferdinando renunciaverant obsequii fidem. Votis plurimis creabatur Fridericus Palatinus, & adveniebat ille cum ingenti comitatu, accipiebat coronam. Hoc movebat Buquoium, ut cum viginti sex millium virorum exercitu prodiret è castris, & Mansfeldium in stativis ad Nadelisium profligaret, ducturus porrò in vicinos Pragæ agros, quos Anhaltinus cum amplissimis copiis insidebat, pro salute Palatini dimicaturus.

V. Hungari exemplo Bohemorum seducti accersebant in spem regni Gaborium Daciæ Principem, qui capto Posonio, protinus in Austriam recurrebat: verum absente illo res turbabat Humanaius partium Cæsaris studiosus, armatis Cosaccorum & VValachorum octo millibus, quorum ope Gaborii legiones sub Rakosii ductu in Hungaria relictas, propè Sepusium aggressus, prima quidem vice ingentem cladem accepit, altera victor hostes solutis præproperè ordinibus ad prædam agendam intentos dissipabat, & confinia Daciæ urendo cogebat Gaborium ad propria defendenda reverti. Protestantes in Germania veriti malum vicinum, conventu acto Norimbergæ, Cæsaris ingentes apparatus, Bavaro procurante, sollicitè expendebant. Ergò suas quoque copias Unionis titulo prope Ulmam congregabant, sub Duce Joachimo Ernesto Onoldino. Bavarus profectus ad Danubium, castra castris opponebat, sed neutra partium illic fortunam, quam fata alibi locorum transactura erant, experiri ausa, res pro tempore composita est, conditionibus illis, ut Bohemiæ & provinciarum ad eam pertinentium finibus contineretur bellum, parcendo Germaniæ dicionibus, etiam illis quæ Palatini Regis essent. Bavarus in Austriam progressus, conventicula Bohemorum turbabat, inde Bohemiam petebat, sociatisq; cum Buquojo viribus, contendebat rectà Pragam, castra Bohemorum tormentis verberabat. Hi in tantam negligentiam effusi, tanquam Cæsaris copiæ nusquam essent, duces pariter ac milites Pragæ in popinis erant plurimi, in ca-

A.C. 1620.

in castris paucissimi Bavarus struebat aciem,& verò Palatinus rerum omnium negligens convivabatur cum Legato Regis Britanniæ, soceri sui. Ita facile fuit Bavaro, vincere hostes,& fugæ initium fecerunt Ungari à Gaborio submissi. Moravi pugnaverunt fortiter, cæteris mercenariis parum curæ erat de Bohemorum successu, quem ipse eorum Rex eminus tantum explorabat,itaque ordinibus ruptis castra& impedimenta omnia victori Bavaro permittebant. Neque Regi in summa rerum omnium copia,quam argumentis certis demonstrabant Turrius & Mansfeldius, tantum animi erat, ut Pragæ commoratus bellum instauraret, sed profugus in Silesiam, inde per Marchiam Brandenburgensem concessit in Bataviam. Hæc est nobilis ad montem album pugna,quæ unico sui momento Bohemiam totam restituebat Cæsari,Moraviam edomabat Buquojus,Silesiam & Lusatiam armis infestabat Elector Saxo. Spinola Marchio promotis è Belgio copiis Hispanicis, Palatinatum inferiorem expugnabat Cæsaris jussu, qui victoris lege metiebatur omnia. Quod primum in bello hoc erratum fuit, unde alia provenerunt. Dux Onoldinus quidem cum exercitu suo movebat aliquid, sed nihil promovebat, quanquam lectæ è Batavis suppetiæ Henrici Friderici Orangii unà adessent. Affirmata successu suspicio,plura tunc auro quam ferro peracta, exercitu dissoluto, Batavi domum redierunt, Palatinus propriarum rerum versura partibus adversis satisfecit.

VI. Tillius Bavari legatus Pragæ res Cæsaris ordinabat, cives juramento obligabat, proceres qui post cladem acceptam in urbe remanserant, carceribus includebantur. Mansfeldius cum præsidio obtinebat Pilsenam, & Falkenoviam, sed Tillii copias maximas haut sustinebat, concedendo in Palatinatum superiorem, ubi rebus suis operam navabat Bavarus. Gaborius in Hungaria elatus pugnis secundis, & occiso Tampirio ad Posoniũ mox etiam Buquojo ad Novoheuselam perempto, tertio conflictu victor ad Cassoviam, valde affligebat Cæsaris partes, capto qui illas cumprimis sequebatur, Palvio. Sub anni finem Christianus Brunsvicensis, Halberstadiensium Præsul, conscripto milite Unionem restaurare conabatur. Mansfeldius in Palatinatu hoc præstitit, ut Consalvum Cordubam à Spinola cum exercitus parte relictum, ab obsidione Frankendalii pelleret, stativisque ad Nicrum positis, Nemetes & Triboccos infestaret, militem è præda alens ferocem. A.C. 1621.

VII. Ga-

A.C. 1622. VII. Gaborius à Bohemis desertus cum Cæsare paciscitur, & Ungariam abdicato Regis nomine in fidem ejus restituit, Cassoviam & vicinas Hungariæ partes retinendo, nec non Opoliam & Ratiboriam Silesiorum. Mansfeldius armis expugnabat Haganoam Alsatiæ urbem, & Rhenanas provincias rapinis exhauriebat. Cæsar proscribebat virum, quod ille in armorum suorum famam trahebat, missoque Obertrautio Tribuno Leopoldum Archiducem fortiter profligabat. Denuo victor ad Wiselochum Tillio non levem cladem inferebat, sed mox confœderato ipsius Georgio Friderico Marchioni Badensi cladem reddebat Tillius, prælio victor ad Wimphenam, eumque dicionibus propriis expulsum solum vertere cogebat. Principis amici casum miseratus Cristianus Brunsvicensis, exercitum in Westfaliam ducit, Monasterium & Susatum diripit, Comitis Anholdini legiones dissipat, & secus Rheni fertilissimas ripas alacriter progressus, omnia qua transibat, rapinis agendo ferendoque, ad majoris spei momentum in Palatinatum contendebat, ut Mansfeldio jungeretur, cum illi viris bellatoribus satis quidem instructo, sed machinas bellicas non habenti, prope Hogstum in Mœni ripa occurrunt Tillius & Corduba à quibus brevi pugna victus, reliquias tamen exercitus in Alsatiam deportabat. Palatinus, cum nec sumptus procurare Mansfeldio, nec per eum rebus suis afflictis mederi posset, apud Daniæ & Britanniæ Reges, nec non Saxoniæ Electorem instabat, de pace obtinenda in Cæsaris aula, quando Mansfeldius acciperet missionem & Germania excederet. Cæsar pacis leges dicebat Bruxellis, ut Elector palam deprecaretur, ut Palatinatum superiorem Bavaro datum pro belli impensis destitueret, ut septemviralē eminentiam deponeret, Cæsaris arbitrio Principi alii dandā. Recusabat Palatinus, & cum Mansfeldio abibat Sedanum. Quem sequebatur Brunsvicenus cum copiis, uterque in Batavorum castra proficisci volebat, Spinolamque ab obsidione Bergæ-Zomiæ depellere. Constiterant ad vicum Floreacum, in propinquo depositæ erant legiones Hispanicæ sub Corduba & Verdugo ducibus, postquam de Allemannorum adventu res percrebuerat. Ferociter utrinque certatum est, & Hispani pugnam dubiam horis multis sustinuerunt, septem vicibus loco pulsi, totidem restituti, octavo demum impetu superati, effusaque fuga dilapsi viam ferro patefactam non prohibuerunt amplius Victores pergebant in castra Mauricii, & Spino-

Brachelius lib. 2.

la maturabat abitum. Expeditione cum successu defunctus Mansfeldius, copies reducebat in Frisiam Orientalem, ubi vicinorum spolia ei pro stipendiis erant. Tillius Palatinatum ab hoste vacuum per ocium subigebat, Heidelbergam vi, Manheimium dedicione capiebat.

A.C. 1623. VIII. Cæsar indictis Ratisbonæ comitiis, Palatinum lege Majestatis (uti vocabant procuratores Austriaci) exuebat septemvirali dignitate, eamq; Maximiliano Bavaro unà cum Palatinatu superiore pro navata in bellis opera donatam solemni investitura concedebat. Varie res illa accepta est, prout favor vel odium Religionis (nam Libertatis privilegium eminens tunc minoris curæ ductum, sero demum recuperari poterat) animos occupaverat, quanquam uterq; & præmium & pœnam commeritus esse videbatur, attamen Moguntini Electoris protestatione, ex composito potius quam quòd verè ita vellet, negocium circũscriptum tantisper fuit, Evangelicorum verò suffragia, diminuta erant. Neq, res tanta in Cæsaris unius arbitrio relinqui debere censebatur, quia nunquam defuturi essent rei, ubi factio imperet, accusatio precium habeat. Ista Saxo & Brandenburgicus non obscure jactabant, sed alterum Lusatia placabat, alter nullus erat quia solus erat, itaque res non ultra questum progressa est, ac beneficium Cæsaris Bavaro collatum, ratum fuit. Frankendalium solum in Palatinatu resistebat Hispanis, tunc pacto dedebat se Isabellæ, agente Jacobo Rege, cum eodem tempore Carolus Britanniæ Princeps Madritum profectus, Philippi Regis sororem Mariã connubio petebat, & Palatinatus restitutio dotis accessio futura credebatur, sed res caruit successu, & Carolus deinceps Gallicam uxorem obtinuit. Interim Saxoniæ inferioris Princeps conscripto milite, pro tuendis finibus, Christianum Brunsvicensem Ducem constituunt, sed mox, Cæsaris offensam veriti dimittunt, & Luneburgico Duci munus istud imponunt. Brunovicensis verò armis retentis jam copias suas ad triginta millium numerum refecerat, progressuque in VVestfaliam facto, Rintheliam devastabat, ad Hammeliam firmo ponte transibat & Comitatum Lippiensem affligebat. Cum stativis positis apud urbem Steinfurtũ opperiretur veterem commilitonem Mansfeldiũ, qui delectum Meppenæ instituendo & ipse bellum restaurabat, prævertendũ esse hostem Tillius ratus, Anholdinum cum exercitu Burgundico evocabat, premissisque Croatarum legionibus, laborantem in agmine Brunovicen-

censem aliquot diebus carpebat, demumque ad Statloham conclusum, inter arbusta & paludes tumultuario prælio vincebat, sex millibus occisis. Dux cum expeditis equitum turmis Brefordæ appulit, inde Galliæ Regis stipendia accepit. Mansfeldius perinde clade affectus prope VVarendorpum, fugienti similis evasit in Bataviam.

A.C. 1624. IX. Tillius deduxerat copias ad Visurgim, adeoq; post non leves belli calamitates Germania ad maturam pacē adspirare poterat, si concordes Principum animi fuissent, si victi quiescere voluissent, & nisi victores armorum fiducia quævis tentare ausi fuissent. Mansfeldius cum venalem alienis malis operam frustra apud Batavos & Gallos circumtulisset, invenit Jacobum Britanniæ Regem, Cæsaris tergiversationibus fractum ut armis extorquere vellet, quæ intercessionibus multis obtinere nequiverat. Optatus advenit Mansfeldius, idemq; Regi prolixe commendavit Brunovicensem, qui Gallici equitatus præfecturam in Rhætia adversus Hispanos Insubres tantisper gesserat. Ad fœdus invitabantur Galliæ & Daniæ Reges, Veneti, Hollandi, Sabaudiæ Dux, qui omnes Cæsaris potentiam suspectam habebant, cum insolentia militum ejus conjunctam, qua adductus Germaniæ Principem nobilissimum avitis dicionibus expulisset, exercitus amplissimos per Imperium distribuisset, absolutam potentiam consiliis Hispanicis obnoxius affectaret, ac opibus exhaustam Germaniam Monachorum licentiæ conculcandam exponeret. Hollandi insuper repetendo memoria, quod prima ipsorum libertas à Palatinis adeo liberaliter exculta esset, beneficii reddendi vicem agnoscebant. Primus belli impetus in Valle Tellina erupit, Rheti & Veneti junctis cum Gallorum duce Coerio copiis hiberna liberabant ab Hispanis, occisis proditoribus non paucis qui cum Papa & Insubriæ Produce in patriæ perniciem conspiraverant, Alpium repagula effringebantur.

X. Sabaudus copiis Gallicis & A.C. 1625. ipse auctus in Liguriam movebat, unde pecuniam & auxilia Hispani petebant, cæsosq; aliquot præliis Ligures opulentis agris mulctabat. Mãsfeldius & Brunovicensis novos Anglorũ & Batavorũ delectus solitis artibus erudiebant, vicos Ubiorũ depopulãdo, novisq; Tilliũ rumoribus excitabãt, qui misso cum parte copiarũ Jacobo Anholdino Comite oberrãtes prædonũ cohortes passim cędebat. Rex Danię Cristian9 IV. Saxonici Circuli Protector de-

designabatur, renitente admodum Georgio Luneburgico Duce, quod hunc movebat, ut Cæsaris partes tueretur & Saxonia crudeli bello involveretur. Cæsar ipse injuriam sibi factam ratus, quod, cum Imperii Protector solus Imperator esset, novus Protector in partibus Imperii Oceano proximis emersisset, adeoque Saxonum robori Tillium haud suffecturum credebat, itaque Hungaria evocabat Albertum Wallensteinium, qui Egræ sedecim millium copias recensuit, & Franconiam emensus, prope Magdeburgum consedit, ut fluvium Albim in potestate haberet. Rex Daniæ percepto Cæsaris consilio, & Luneburgici Ducis æmulatione oppressus, bellum, quod non præviderat, adversum se concitabat, namq; Tillius vidente ipso Hammeliam & Mindam, validas ad Visurgim urbes expugnabat, clade una ad Nienburgum, & altera ad Hannoveram, affectus quidem, sed cum paucas Croatarum legiones amisisset, meliori exercitus parte salva, extra summæ rerum detrimentum fuit.

A.C. 1626. XI. Mansfeldius refectis per hyemem viribus in Bremensium agris, cum veris principio abibat Magdeburgum versus, ut cum Walstenio decertaret. Servestam occupabat, inde munitissimum Albis pontem Dessaviensem adortus, Aldringerum, qui cum præsidio munimentum asservabat, cogebat auxilia Walsteinii rogare. Veniebat ille cum toto exercitu, & Mansfeldium prælio victum, Saxonia ejiciebat. Nec tamen vel toties victo miles defuit, quem per Marchiam Brandenburgicam duxit in Silesiam, Moraviam, Austriam, & ad ipsos Hungariæ fines, more suo depopulatus cum hostes, tum amicos, Ernesto Vinariensi comite. Hunc propriæ copiæ sequebantur spe prædæ, bellique novi per Gaborium Dacum concitandi. Et Gaborio quidem propè persuaserat, verum adventu Walstenii corrupta omnia, ut Mansfeldius traditis Ernesto copiis, de itinere ad Venetos cogitaret. Spalati obiit, bellator majoris gloriæ quã fortunæ. Brunsvicensis velitatione superato Tillio ad Northemium, provocabat veteranum hujus exercitum, ne vellet conflictum majorem recusare. Et Rex castrensibus latibulis, quæ hactenus Tillius frustrà impetiverat, egressus cum toto exercitu inque agros Moguntinos longius digressus præbebat Tillio id quod quærebat, ut regressu intercluso prælium necessariò subiret. Adeoque Rex triduo toto perpetuis hostium insultibus expositus, ne videns sciensq; periret, apud Lutteram vicum substitit, loco parum commodo, fessusq;

Brachelius lib.3.

ſusq; ac reluctantibus Ordinum omniũ ductoribus, aciem ſtruxit, Tillium irruentem fortiter ſuſtinuit, ſuperaturus certe hoſtem, cum Tillii rebus pene deſperatis oportune ſuccurrebant Georgii Lunenburgici turmæ, prælioque reſtaurato equitatum Regis profligabant. Et felicior illi fuga erat, direptis impedimentis, quam Tillio victoria, qui gloriæ multum, ſpoliorum nihil reportavit, Rex ponte ad Lavenburgum tranſivit

A.C. Albim, & in Wagria vires quo-
1627. cunque modo recollegit.

XII. Erneſtus Vinarienſis obiit in Sileſia, & deinceps primores caſtrorum ejus diviſis itineribus ad Daniæ Regem contendendo, ſuccubuerunt hoſti. Legiones, quas Ranſovius regebat, ad Tropaviam dedebant ſe VValſteinio, reliquas Baudiſius per Marchiam Brandenburgicam ducebat, ut Marchioni Durlaceno in Holſatia conjungerentur, lento nimis gradu, itaq; pari paſſu inſecutus VValſteinius, præcurſores alas ſub Merodio & Becmanno expediebat, hoſtemq; ad Krenſinium vicũ cædebat. Rex territus, poſtquam VValſteinius cum duplicata belli mole ingrueret, de pace mentionem injiciebat. Conventum agebant Principes Mulhuſii, eo Comes Oldenburgicus nomine Regis miſſus veniebat, pacemque illis conditionibus offerebat, ut Cæſar milites ſuos è Saxonia abduceret, Regisque jura, quæ bono titulo in Bremenſi, Magdeburgenſi, Oſnabrugenſi, Sverinenſi Epiſcopatibus acquiſiverat, inviolata permitteret. Negabat Cæſar, & præterea belli impenſas ſolvere jubebat Regem, qui nondum ſe victi menſura æſtimabat, magno ſane animo, cum hoſti victoriam non poſſet, deſperationem negando. Proinde exſtructis munitionibus inter Albim & Viſurgim fluvios, præſidia firma ubique imponebat, commeatu prohibiturus hoſtem, & Renſburgum profectus, nobiles Holſatiæ convocabat. Dum ibi conſultabat, & milites ejus ſocordius agebant, Georgius Lunenburgicus compactis lintribus trajecit Albim, & Havelbergam expugnavit. Nec minus Tillius ipſe manipulos aliquot militum ratibus impoſitos ad Boiſenburgum tranſportavit, inque Stormariam delatus torrentis inſtar obruebat omnia. Rex nuſquam prope congredi auſus, nunc Marchionem Durlacenum in Megapoli ſtativa habentem, nunc Bernhardum Vinarienſem in VVagria ſollicite regentem ad excurſiones impellebat, ſed cum hoſtis vinceret ubique, aut dediti VValſteinio, aut diſſipati, aut in naves deportati ad Inſulas Danicas enavigabant. Exercitus cen-

Nn tum

tum millium sub Tillio, VValstenio, Anholdino Ducibus inundabat extremum illum Germaniæ angulum, qui freto exiguo Holsatiam à Fionia Danici regni Insula separat, quo fine tamen victoris Cæsaris impetus ob defectum classis, & victi Regis fuga stetit.

A.C. 1628. XIII. Tillius expugnabat Stadam & Crempam, sed Glukstadium obsidebat tantum. Interim Walsteinius, cum ferre parem non posset, ad Balthicum Oceanum regebat omnia pro lubitu, Tillio ad mandatum Cæsaris dimisso, ut in Frisiam Orientalem duceret, Hollandorum rebus invigilaturus, qui Embdam, urbem insignem, Comitis sui odio laborantem, præsidiis muniverant. Atque illi Frisia pro hibernis fuit. Walstenius milites suos omnibus in Balthico littore urbibus obtrudebat, vi, minis, astu potitus cæteris, Stralesonda recusabat, oblataque ingentis pecuniæ summa redimebant libertatem. Hujus partem aliquam numerabant Arnhemio Walstenii Legato, atque is copias suas avocabat, succedente ipso Walstenio, qui Legati sui acta pronunciabat irrita, nec tamen pecuniam accepisse improbabat. Obsidio cepta est magno cum apparatu. Rex Daniæ non desinebat terra marique bellum reparare, navibusque illapsus Oderæ fluvii ostio, Wolgastum expugnabat, ubi deprehensus à Walstenio, & prælio ad Zisenbergam victus, naves repetebat. Hoc ei ultimum belli hujus operum fuit, domumque regressus, satis habuit, Stralesondam auxiliis sustentare, porro in Cæsaris aula serio de pace acturus. Walstenius belli amore pacis leges difficiles præscribebat, & vero antequam Rex in Cæsaris aula obtineret quicquam, Regno ejus cladem supremam allaturus, de navium subsidiis conferendis appellabat civitates Hanseaticas, spe facta, quod ingentem gratiarum cumulum à Cæsare & Rege Hispaniæ obtenturæ, deinceps etiam negociationum marinarum exclusis Hollandis & Anglis, potentes, divitias maximas congesturæ, demum oppressis Danis Suedisque, potentiam antiquam in gentibus iis recepturæ essent. Non obediebant illæ, tot gentium in mari potentiam lacessere veritæ, ergo VValstenius ipse in portu VVismariensi naves ædificabat, effectusque sensim octo navium longarum numerus, pro occupando maris Balthici titulo cum Imperio. Freto Codano, quò brevis ex Rugia Insula trajectus, omnes qui eo utuntur, populi imminere eum credebant, actu-

que

que eſt ut illud viribus junctis defenderetur ob commerciorum libertatem conſervandam, cauto magis quã neceſſario cõſilio, nam una urbs Stralesſonda repetitis oppugnationibus magnâ cum jacturâ exercitus nequicquam tẽtata, Cæſarem vinci poſſe docebat. Gemebat tota Germania, Cæſarem unius ejus viri conſiliis regi, ita ut ille Cæſaris indulgentia ad quævis crudelia audenda abuteretur, non jam Fridlandiæ & Saganenſium Dux, verum etiam Dux Megapolitanus, & Pomeraniæ Ducis orbitati inſuper imminens, præcipua ſuper cætera invidia, cum Johannes Albertus & Adolfus Fridericus vetuſto Regum Principumque Henetorum procreati ſtemmate, velut Daniæ Regis complices Majeſtatis accuſati, vix inter reos, & jam inter damnatos eſſent, exemplo inaudito. Eandem ob cauſam Chriſtianus VVilhelmus Archiepiſcopus Magdeburgicus incurrebat cenſuram, remotoque illo enata eſt occaſio magnarum inter Cæſarem & Saxoniæ Electorem diſſenſionum. Uterque enim ſucceſſionem in Epiſcopatu pro filio ſuo contentiſſimis ſtudiis apprehendebat.

A.C. 1629 XIV. Lubecæ inter Cæſarem Daniæque Regem de pace in eas conditiones conveniebat, ut Rex prorſum à rebus Germaniæ abſtineret, ſuas verò etiam diciones omnes recuperaret. Rex Suediæ Guſtavus Adolphus eodem ſuos quoque Legatos miſerat, qui paci componendæ intereſſent., ſed non admiſerunt eos Cæſariani, hoc ipſum, uti poſteà apparuit, volentes, ut Rex dudum Germaniæ turbatæ inſidiatus, hanc injuriæ ſpeciem addendo aliis, bellum moveret. Nam & Stralesſondam milite ſuo tuebatur, libero mari omnia præbiturus etiam aliis civitatibus, quas milites Auſtriaci gnaviter expilabant, Ducibus profugis auxilium, Germanis libertatem armis ſuis reſtituendam, vulgatis libellis promiſerat, quamprimum Polonico bello finem impoſuiſſet. Quod tamen Cæſar prorogaturus, ne ille Germaniæ afflictæ ſubvenire poſſet, Arnhemium Ducem cum validis decem millium copiis proficiſci juſſit in Poloniam. Et ne quid calamitatum in Germania deeſſet, ſpretis promiſſis, pactiſque temeratis, Edicto repoſcebat bona Eccleſiaſtica, pacemque Auguſtanam, in quam plenis planiſque verbis juraverat, nunquam admiſſurum, ut prætextu aliquo violaretur, manifeſtarius turbabat, Laimormano perſuadente, vaſtatæ conſcientiæ obtritique oris homine, cæteris

teris quoque Monachis effusè gaudentibus.

A.C. 1630. XV. Rex Suediæ pacem cum Polonis initurus, cum aliter non posset, firmabat inducias datisque ad Electores & Principes literis causas referebat, quæ permovissent eum ad capienda arma, potissimum de Cæsaris superbia conquestus, qui Principes Imperii ditionibus suis exueret, suosque nobiles in feuda illa velut in spolia immitteret, neque illis victoriis contentus, quasi terra deesset, mare scrutaretur, Balthicos portus invadendo, quorum tamen libertate Regni sui cum Germanis staret commercium. Bello igitur Pomeraniam aggressus, multisq; primo adventu locis oportunis potitus, exciebat maris Balthici Archithalassum, ut si vellet, mari confligeret. Oneraverant illum criminationibus, Jesuitæ cumprimis, in Cæsaris aula impudenter ac imprudenter potentes, quandoquidem nec semper nec ubique eis opes Evangelicorum erogaverat; accedebant querelæ Principum de neglectu militaris disciplinæ, itaq; VValstenius missionem accepit. Tillius imperialem militiã regendam deinceps suscepit, inq; Pomeraniam contendit, Regis progressus intrà provinciæ ejus fines retenturus, consilio nõ malo, sed eventu incerto, jam enim Rex Stetinum, Anclamum, VVolgastum, GryphisVValdũ, opulentas urbes, Rugiam & Usedomum divites Insulas terra marique obsessas, occupaverat, cæsis aut fugatis præfectis, hostibus verò in quamcunque occasionem suffecturus.

P. Baptista Burgus, Ioh. Petr. Lotichius, Bog. Chemnicius l. 1 Petrus Lansbergius libro de bello Germanico

XVI. Rex castra sua ad Viadri trajectum in oppido Sueta ponebat, ut expedito itinere peteret Saxoniam. Provinciales, qui militum Cæsarianorum crudelitate sedibus patriis carebant, nec jam quod amitterent, habebant, ad castra illa tanquã ad penates confluebant, rapturi & ipsi ex alieno, ubicunq; aliquid esset & non esset quæ sola eo tempore vivendi cõditio erat. Sex mille Britannos adducebat Marchio Hamiltonius, jamq; Regis exercitus habebat triginta mille viros, nec tamen provocanti Tillio locum dedit. Qui impatiens otii in Saxoniam reversus obsidebat Magdeburgum: Rex verò ducebat Francofurdum, ubi Tifenbachius septem mille viros secum habebat, portisque everberatis occupabat urbem, cæsis plurimis, captivis paucis. Interim Magdeburgum arctius circumsessum Regis opẽ implorabat, quàm præstiturus ille cum Saxone & Brandenburgico Electoribus, de militum supplementis & annona procurandis, multum disceptabat. Dum cunctantur, nec Rex hostem eorum

Chemnicius lib. 2. Brachelius lib. 4.

Chemnicius lib. 3.

rum ſeſe profiteri vellet, urbs peſſum ibat, negligentius per militẽ ſtationarium cuſtodita & violento Croatarum aſſultu expugnata. Paucarum horarum ſpacio tota in favillas redacta eſt, multis millibus hominum ferro flammaq; hauſtis. Lipſiæ comitia acta ſerius concluſerant de non parendo Cæſaris Edicto, & in vicinia tumultuati ſocii fœderis ad ultionem incendebant animos omnium. Fœderis ducem appellabant Regem, milites, pecuniam, annonã, ſtativa offerebant. Hic prope Verbenam conſidebat, ſeque victori Tillio fortiter opponebat, (ne ſuperaret Albim, & verò Tillius vicem relaturus, Regem prohibere volebat, ne extra Marchiam progrederetur. Quamobrem luſtrato ad Halam quadraginta milliũ virorum exercitu in Saxoniam abibat, ſtativa, annonam, milites ab Electore petebat, recuſantem armis adortus, Lipſiam expugnabat, incolas affligebat. Saxo belli mole oppreſſus, vocabat Regem auxilio novaſque cum eo paciſcebatur leges: Ut rebus communi conſilio decretis directio & ſumma belli penes Regem eſſet: Ut tranſitus ad Albim Regi pro receptu pateret: Ut copioſa annona præberetur Regis militibus quamdiu in Saxonia eſſent: Ut pro Religione tuenda ſe & ſua Elector obligaret: Ut conſenſu utriuſque pax demum cum hoſte ſanciretur. Rex tranſmiſſo Albi dabat Electori manus, cumque eo propè Lipſiam æquo loco molitus aciem, Cæſari victoriam ætate noſtra maximè memorabilem extorſit, atq; omnem Romanenſium fortunam proximè elapſorum temporum ſucceſſu formidabilem prorſus evertit. Elector recepit Lipſiam, & per Miſniam repente progreſſus in Bohemiam, expugnavit Pragam. Rex cepit Erfordiam, inde ſecundo Mœno in Franconiam deſcendit.

XVII. Cæſar accisis rebus vires novas additurus, Principes Italiæ & Carolum Ducem Lotharingiæ compellabat, ut viros, arma, pecuniam ſuppeditarent. Tillius copias ſuas prælio laceratas in Palatinatu & Bavaria reficiebat, interim Rex ſubigebat Franconiam, & parta ingenti præda Hornium Equitum præfectum mittebat, ut Sueviam peteret. Ipſe Rheno trajecto, provincias urbeſque omnes Argentoratum uſque, occupabat. Cæſar verò auro Italico onuſtus, deque novo exercitu cogendo ſollicitus, VValſteinium evocabat Moravia, neque ille volebat ſummam præfecturam gerere, quàm permiſſa rerum omnium poteſtate, ut pares cum Senatu ſupremo rationes haberet, ac ageret quæcunque vellet,

A.C. 1632.

Chemnicius lib. 4.

vellet, non exspectatis aulæ jussis. Ad VValstenii nomen tantum brevi militum sub signis fuit, ut sexaginta millium copias per Austriam in Bohemiam duceret. Rex hybernis Francofurdi exactis, ubi eum Palatinus exsul conveniebat expeditionum comes futurus, Tillium persequi cepit, totisque viribus movit in Bavariam, & Donaverda capta, ad Lycum amnem substitit, cujus ripam alteram exercitus Bavaricus insidebat, sed ponte facto & machinarum explosione turbati Cæsariani, imprimis quod Tillius globo percussus excederet campo, Regi transitum permiserunt. Elector Bavarus ingruentis hostis potentiam declinabat mœnibus Ingolstadii inclusus, & Tillius ex accepto vulnere moriebatur. Rex Augustam Vindelicorum capiebat civium prona voluntate admissus, quibus vicissim gratificabatur Religionis exercitium liberum & Curiæ honores ereptos restituendo. Ratisbonam frustrà sollicitabat, ubi nimis magnum præsidium impositum civibus prævalebat: Ingolstadium cum capitis periculo aggrediebatur, equo cui insidebat, per globum de machina emissum confosso. Ergò Bavariam cis Oenum infensus devastabat, cæsis incolis, domibus inflammatis, Monachio pecuniam imperabat velut precium redemptæ ab incendio urbis, utque Electorem ulcisceretur, qui per Legatum Gallicum simulatas inducias quærebat. Porrò Sueviam domabat, & à lacu Brigantino regressus, Palatinatum superiorem itinere citato petebat. VValstenius dimittebat Holkium in Misniam, ut Saxoniæ vires distineret, ipse Bavaris sese conjungebat, inde Regem pone secutus, viresque ejus tumultuario ad Altenbergam conflictu periclitatus, cum defectu annonæ pressus ferro viam aperuisset in Franconiam, ipse alio itinere contendebat in Saxoniam, defensoribus vacuam, hostibus plenam, quandò jam ante Walstenii adventum aderant ibi Holkius, Gallassus, Papenheimius. Electori tota belli mole oppresso opem laturus Rex, hostem persecutus in ditione Merseburgensi propè Luzenam vicum cruentissimo prælio decertabat, quo flagrante Ducis pariter & militis non segniter munia obivit, globoque percussus extrà aciem deportatus animam Deo charam exspiravit. Magni Regis mors statim per exercitum vulgata, adeò militum animos non perculit, ut magis ad ulciscendum Regis casum incitati, ductu Bernhardi Vinariensis, repetito impetu ho-

ſu hoſtes invaſerint pepulerintque. Succurrebat laborantibus Papenheimius, denuo ferociter pugnatum eſt, occiſus Papenheimius, profugus VValſtenius, victoriam Suedis conceſſerunt.

A.C. 1633. VXIII. Proteſtantes ad Rhenum, Suevi, Franconi conveniebant Heilbronnæ, Regisque defuncti memoriam ſolemni beneficio veneraturi, novum fœdus pangebant, bellique ſummam Axelio Oxſenſtirna illuſtri per Imperium Regis ac Regni Legato committebant. Elector Saxo diſſentiebat, qui Suedos pro commilitonibus, non vero pro dominis agnoſcere volebat. Attamen prævaluit Coronæ autoritas, & Saxo res per Sileſiam gerere juſſus non obſcura ſimultatis indicia ſæpius oſtentabat, certus etiam; quod bello finem imponere vellet, ſi honeſtas pacis leges à VValſtenio obtinere poſſet. Hic enim pedeſtribus & equeſtribus copiis reparatis feliciter multa gerebat, validis ad Stenavium vicum caſtris, in quibus juſti exercitus Comite Turriano, Schaffgotſchio, Tubaldo ductoribus conſederant, improviſo aſſultu captis, atque ita Lignifia, Glogovia, imperata faciebant, Briga & VVratislavia recuſabant. Rurſum Electoris Legatus Arnhemius cum Turrio Comite & Tubaldo ſociabat vires, ac prælio ad Strelam commiſſo fugabat Gallaſſum. Nec tamen hoc tanto bono bene uſus Elector, Auſtriaci conſiliatoris alicujus ſuaſibus imprudenter obnoxius, pacem quærendo, bellum atrocius excitabat. Hornius receptis ad ſe VVurtembergicis delectibus, Conſtantiam ad lacum Bodamicum obſidebat, mox tamen ad Helvetiorum interceſſionem diſcedebat. Atrocior quoque clades accepta eſt in finibus VVeſtfaliæ, ubi Hammeliam Georgius Lunenburgicus & Princeps Haſſiæ circumvallaverant, in eum Colonienſis Electoris juſſu ducentes Merodius & Gronsfeldius, funeſtiſſima clade vincebantur, Merodio in acie cæſo, elapſo per fugam Gronsfeldio, qui ambitione atque æmulatione cum Merodio certabat, urbes VVeſtphaliæ faciebant deditionem, inque his præcipuæ Dortmunda, Padeborna, Cosfeldum. Vinarienſis acto raptim in Bavaria milite Ingolſtadium proditione tentabat, cumque non ſuccederet aſtus, vi adhibita Ratisbonam obtinebat, ejus turmas aliquas ad Straubingam, velitationibus cruentis fugabat Verdanus, ne pro lubitu caſtra metaretur.

XIX.

A.C. 1634. *Brachelius lib. 5*

XIX. VValsteinius cum Arnhemio Saxonis Legato de pace, de bello, de induciis arcana multa conferebat, inque Bohemia suo arbitratu describebat hyberna, quæ Cæsar ei in Marchia Brandenburgica, velut in hostico solo destinaverat. Novum & periculosum hoc in Cæsaris aula visum est, suadebantque Hispani, ut viro per se moroso & nimiæ potestatis compoti abrogaretur imperium militare, ac Ferdinando Cæsaris filio traderetur. Rescivit ille, & parasitos, uti dicebat, aulicos proculcaturus, novo sacramento exercitus Tribunos obstrinxit, non permissuros ei à Cæsare imperium abrogari. Ita rerum omnium pro Cæsare feliciter hactenus & fortiter gestarum gratiam abolevit, ac perduellionis damnatus, per Scoticæ nationis sicarios, Lesleum, Butlerum, Gordonum, immissos, Egræ bipennibus confossus, vitæ finem fecit. Ferdinandus loco ejus deinceps rexit exercitum, & junctis cum Bavaro castris Ratisbonam longa oppugnatione fractam recuperabat. Vinariensis in propinquo stabat, quando nuper Landshutum occupaverat, cæso per conflictum Aldringero partium exercitus Bavarici ductore, Bannerius & Saxones in Bohemia tendebant vicinosque Pragæ agros direptui habebant, ut Ferdinandum quocunque modo è Germania abstraherent. Sed perseverabat ille in expeditione, & Vinariensis non ausus invadere hostem, misso nuncio Hornium & Ottonem Rheni Comitem accersebat, ut viribus adunatis urbes amicæ defenderentur. At Cæsariani novarum etiam copiarum, quas Ferdinandus Hispanus, Johannes Casimirus Polonus, Lotharingius adducebant, affluxu elati, pergebant in Sueviam, & Nordlingam cingebant. Tunc vero non cunctandum ratus Vinariensis, Hornio multum dissuadente, ne pro una urbe periculo eximenda tota rei summa in periculum adduceretur, non expectato etiam Ottone Rheni Comite, qui cum equestribus alis accelerabat, inconsulto aciem moliebatur. Collem invadebat, è quo machinis plurimis detonabant hostes, & vero hostes recedebant ultro, ut collem suffossum obtinerent Suedi, hoc facto inflammabant pulverem nitratum, ac plurimos equites elidebant. Cœteri fugam spectabant, deserto peditatu. Pugnatum est cum internecione Suedorum, Hornius captivus factus est, Vinariensis saucius cum paucis equitibus in Bipontinam ditionem abiit.

XX. Ferdinandus Viennam rever-

A.C. reversus præfecturam milita
1635. rem demandabat Galasso. Lotharingius, domita, uti putabatur, Germania, Rheno trajecto patrias terras repetebat, magnum Gallis negocium facessiturus, sed non respondebat eventus, cæsus enim prælio acri ad Befordum, vana arma deinceps circumtulit, Galli verò hostes Cæsaris facti, quod is patrocinio suo dignatus Lotharingium Galliæ rebellem Principem, seriò cogitabant de vindicandis Suedis, ne omninò perirent, itaque Valettano Duce mittebant copias ad Rhenum, & Cæsaris legiones prope Moguntiam concidebant, pecuniam virosque dabant Vinariensi, post dictum Galliæ Regi sacramentum. Unicum post tot datas acceptasque clades à pace subsidium sperabatur, quæ frequentibus legationibus inter Cæsarem & Electorem Saxonem tentata, Pirnæ cepit & Pragæ demum coaluit, iis verò conditionibus, quæ privatim Electori quàm universo partium nomini utiliores æstimatæ fuerunt. Scilicet: Pax Religionis quadraginta annis duraret: Electoris Palatini terras Cæsar & Bavarus, Lusatiam Saxo, retinerent: Archiepiscopatum Magdeburgensem Saxonis filius possideret: Leopoldus Cæsaris filius Episcopatum Halberstadiensem sortiretur: Suedis aliqua pecuniæ summa pro sarciendis belli impensis daretur. Dulce pacis nomen, sed effectu carens in atrocius bellum deinceps exarsit. Subscripserunt omnes Imperii Principes & civitates, magis tædio belli quàm spe communis securitatis, Hasso, Durlacensi & Wurtembergico exceptis, qui Palatini filios restitutos & perpetuam Religionis pacem, non vero inducias aliquas, cupiebant. Galliæ & Britanniæ Reges, quia Cæsarem victorem tolerare deinceps non poterant, contradicebant Saxoniæ paci: Suedi verò etiam indignati, quod Evangelicorum rem tàm generosè adjuvissent, & ipse eorum Rex sanctissimæ recordationis pro Germaniæ libertate occubuisset, nec tamen major ratio istorum beneficiorum haberetur, pacis leges repudiabant, ac ut bello potentius insisterent, cum Poloniæ Rege inducias prorogabant, Borussia in potestatem ejus restituta, sed Livonia retenta.

XXI. Novis ergò supple- A.C.
mentis è Suedia aucti & perti- 1636.
naci fœdere cum Galliæ Rege innexi, bellum contrà Cæsarem & Saxonem apparabant, Gallis in novæ amicitiæ authoramentum, vel auro redimen-

Oo das

das, vel ultrò concedebant, nobiles ad Rhenum & in Alsatia civitates, Philippoburgum, Colmariam, Sletstadium, Tabernas, Haganoam. Infestissima reddebat odia prioris amicitiæ recordatio. Hassus per VVestphaliam victor expugnabat Padebornam, Vechtam, Monasterium, & ab Hanoviæ obsidione depellebat Lamboium. Bannerius militiæ Suedicæ ductor evocatis legionibus, quæ ad Visurgim & Albim consederant hactenus, profligabat semel ac iterum copias Saxonicas, quas Baudisius regebat, trajectoque fluvio Sala mediæ illatus Saxoniæ, armis ingentes ubique pecunias extorquebat. Demum Hazfeldius à Cæsare missus, liberabat equidem Saxoniam, verum ponè sequendo, ut prorsus debellarent, ad Witstockum oppidum fidenter resistere ausum, calidius quàm cautius aggressi Saxones & Cæsariani, magnam cladem dextræ Suedorum alæ, quam Lesleus regebat, inferebant. At Kingius & Stalhansius alam sinistram per saltuosa loca provehebant, ac pugnam restituendo, supremum damnum hostibus fortiter pugnando conciliabant, ac fama tulit, inter Saxones fuisse, qui armis Cæsarianis, sed animis Suedicis dimicarent. Hostes fugati inque Saxoniam regressi celeriter, quos nuper præ se egerant, eos in fuga persecutores nacti, ingentia damna secum attraxerunt. Erfordiæ intromissus Bannerius, hanc belli sedem constituebat, & prædas per Franconiam agendo primum, inde converso itinere Torgam ad Albim veterem Electorum sedem expugnando, rem suam diligenter curabat. Vinariensis per Alsatiam pari successu usus est, non etiam Galassus, qui Stolhovii ad Rhenum otiosis stativis insidens tantisper, serius cum exercitu Galliam aggressus, fugab.t equidem Condæum ab urbis Dolæ obsidione, potitusque Virduno ad Ararim munitissima urbe, stabilem in hostico solo ad promovendum bellum nactus fuisse locum videbatur, sed conversus ad populationes, omnem rei benè gerendæ occasionem perdidit. Comes Suessionensis in Burgundiam maturato itinere, & Condæo junctus tàm firmas copias opposuit, ut Galassus pedem referre cogeretur.

CAP. III.

CAPUT III.

De rebus geſtis Ferdinandi tertii & Cæſarum ſequentium.

A.C. 1637. *Ioh. Petrus Lotichius.* I. FErdinandus ſecundus fatis concedit, Princeps univerſis animi bonis excellens. Succeſſit *Ferdinandus Erneſtus* filius, qui Suedos & Gallos infenſiſſimos hoſtes irritavit magis quàm compeſcuit. VVrangelius in Sileſiam turmàs ſuas emittendo, expugnabat Croſſenam. Bannerius in Saxonia rapinis omnia miſcebat, ut pro depellendo eo Cæſaris Electoriſque vires omnes adducendæ eſſent. Galaſſus, Marazinius, Hatsfeldius, Gozius, Svarzenbergerus, Glizingius, plures cum pari imperio aderant, ſed cum imperata in iſta Ducum multitudine nemo exſequeretur, Bannerius diu cunctatus eſt fugere, magna ſeu fortitudine ſeu calliditate ad Saxoniam funditus perdendam intentus, demum cum gnaviter depopulaviſſet omnia, rebus convaſatis in Pomeraniam abiit. Cæſariani ſecuti eadem via, venerunt ipſi etiam in Pomeraniam, oppida minora expugnata ſunt, Anclamum, Stralesonda, Stetinum vim illatam facilè ſuſtinuerunt, liberis mari ſuppetiis.

II. Vinarienſis per Baſileenſium fines pergebat in Alſatiam, A.C. 1638. & obſidebat Rhinfeldam. Bavarus miſſis ducibus ſuis, Verdano, Enkenfurdo, Sperreutero, Furſtenbergio, Savellio operam omnem dare jubebat, ut hoſtis imperio ejiceretur. Cominus veniebant, nec Vinarienſis confligere auſus, recedebat Laufenburgum, ubi receptis Erlachii & Turpadelii turmis & ſpeculatorum fide edoctus, hoſtes in negligentiam eam effuſos, tanquam ipſe nuſquam eſſet, improviſus invadebat caſtra eorum, brevique temporis ſpacio exercitum validum profligabat, captis ducibus omnibus, ſolus Furſtenbergius naviculam ad Rhenum nactus Briſaccum fuga tenuit. Porrò deditione occupabat Rhinfeldam, Friburgum & Rhotelium armis, & depopulato curſim agro VVurtembergico, longinqua Briſaccum obſidione premere inſtituebat, ubi ſciebat Reinackerum præfectum majore induſtria pecuniami quàm annonam convehere, eoq; felicius omnia geri poterant quod mercatores Bernenſes auſpicio Erlachii nuper frumentum ære parato redemptum in Helvetiam ex urba deportaverant. Vinarienſis urbem operibus cingebat, dumque ſervent operæ, superveniebant novæ copiæ ducibus; Gozio & Savellio,

qui clam è manibus hostium ef fugerat, duo iterum duces aderant, pugnabatur ad VVittenviherium, & Bavari à multo minoribus copiis Gallorum fugabantur. Ergo remoto Savellio, quem Gozius accusabat, nimis cito fugam cepisse, Lambojus & Golzius, uni duo, surrogabantur. Adjungebatur Mercius Lotharingus, & hi quatuor duces tertium expedire jussi, cum vallorum munimenta perrumpere non possent, & separatis turmis per loca diversa contenderent, insequente eos Vinariense, magnam cladem acceperunt. Brisaccum sine defensione relictum in potestatem victoris concessit, resque Gallicas in Imperio plurimum stabilivit. Galassus in Pomerania consiliorum ex aula affatim, subsidiorum nihil habebat, ejus milites fame vexati, nulla re ad victitandum reliqua, præter cœlum & cœnum, quotidiano transfugio ad castra Suedorum, ubi victus copia propter fluminum commercia erat, sese recipiebant, cœteri ducem comitati in Bohemiam contendebant, ne fame perirent.

A.C. 1639. *Brachelius lib. 7.*

III. Galassus in abitu suo provocabat Bannerium, ut in Misniam excurreret. Is prope Crembacchum assecutus Sallisium Cæsarianum Ducem, serius in hyberna iturum, fugabat legiones ejus, & Fribergam Saxonicorum Ducum monumentis claram urbem armis invadebat, sed repulsus occasionem dabat Marasinio, alteri Duci Cæsariano, tentandi pugnam, nec Bannerius detrectabat, cæsisque ad Kemnizium legionibus ejus, porro ducebat in Bohemiam, ubi Leitmerisio, Brandisio, Budovisio potitus, fugatisque Palvii turmis non procul Praga, longe lateque terrorem spargebat, ut novo ad exigendum illum duce & exercitu opus esset. Galassus, qui toto hoc bello nihil prospere egerat, missionem accepit, Leopoldus Cæsaris frater locum explevit, copiasque è Belgio adduxit Piccolomineus, ubi insignis ei hoc anno victoria contigerat, fugatis Gallis sub Chastilionæo Duce, & liberata Dietenhova, quam obsidebant. Vinariensis in Burgundiam contendebat, multisque eximiis oppidis superatis, cum novam expeditionem in Germaniam moliretur, paulo post febre pestilente correptus diem obiit Neoburgi. Primores castrorum ejus, amisso capite discordes, dum alter alteri parere recusat, tandem in eo concordes fuerunt, ut Brisaccum & prioris domini memoriam Gallico auro venderent,

Lon-

Longævillanus supremam militiæ præfecturam acciperet, Galliæ Regis nomine.

A.C. 1640. IV. Leopoldus cogebat Bannerium, ut Bohemia relicta in Misniam fuga evaderet, ejus vero etiam turmas equestres, quas Pfulius regebat, Bredavii celeritate ad Plavam interceptas, cædebat. In Thuringiam progressus, castra sociavit cum Longevillano, Hassis, Lunenburgicis, fugæque finem imposuit, ausus etiam non semel acie explicata provocare hostes, verum illi munitis in Salæ ripa stativis confisi, bellum habere quam finire malebant, novi ducis gloriæ studiosi. Ita pars major æstatis absumpta est, inopia demum admonuit Cæsarianos, ut de hybernis in solo hostico occupandis solliciti essent, atque illa in Lunenburgicis agris petebant, sed repulsam ferentes, in Bohemiam redierunt, nec hostis defuit abeuntium tergis insistere. Bredavius strenuus equitum dux insidiis ad Zigenhainam exceptus, & pugna valida occisus, Rosæ Tribuno Suedico victoriam concessit.

A.C. 1641. V. Cæsariani vix sese in hyberna receperant, cum Bannerius restauratis in agro Brunsvvicceno viribus, animum cepit per Misniam in Palatinatum superiorem excurrendi, porro in Franconia actis prædis, deflexit in Bohemiam, expugnavitque Leitmarisium. Securus nimium ac hoste spreto, VVittenbergerum cum aliis equestribus dimittebat in Lusatiam, Slangius cum non minoribus turmis restiterat Neoburgi ad silvam, hunc deditione capiebat Piccolomineus, quo comperto Bannerius deserebat Bohemiam, ne peditatu etjam mulctaretur, inque Saxoniam redibat, castris positis ad Halberstadium, ubi morte defunctus, exercitus curam demandabat Pfulio, Vrangelio, Stalhansio, qui progressi obsidebant VVolfenbittelium, Cæsarianis militibus hactenus obtentam, cumque Leopoldus & Piccolomineus auxilio obsessis venirent, pugna orta est, cæso Leopoldo. *Victorius Siri Tom. 1. histor. Vnivers. lib. 2.*

A.C. 1642. VI Bannerio successor è Suedia dabatur Torstensohnius, qui novos delectus veteranæ militiæ adducebat in Lusatiam. Galli & Hassi ad Vesaliam transibant Rhenum, ut Coloniæ propiores opima spolia legerent. Stabat Lambojus cum legionibus suis ad Mosam, inde recedebat Kempam, valloque muniebat castra, hostes prohibiturus, ne pergerent, nec tamen cum illis confligere volens, antequam Hazfeldius in castra venisset. Galli vero nihil cunctati, su- *Victorius Siri l. d. Tom. 2. l. 1.*

perabant valla, cæsisque millibus tribus, totidem mille captivos habebant, quos inter fuerunt Lambojus & Mercius duces. Torstensohnius in Silesiam profectus, Glogoviam omni armorum annonæque copia refertam urbem expugnabat. Itaque Franciscus Albertus Lavvenburgicus coacto novem millium exercitu properabat Sueidnicium, urbis ejus mœnibus sese defensurus adversus vim illatam, nec tamen hoc assecutus, pugnare cogebatur, quoniam Konigsmarkus objiciendo sese illi, acceptisque Torstensohnii auxiliis equestribus, victoriam reportavit nobilem, Duce vulnerato, qui in prætorio deinde exspirabat. Porro in Moraviam abibat, Olomuncium superabat, Brigam duorum millium virorum præsidio instructam tentabat. Missus in auxilium Galassus copias Bohemicas viginti sex millium virorum per ambages, asperas & invias raptando ibat, magna seu perfidia seu socordia, quæ ei pro innocentia semper aliquando pro sapientia fuit, ut tantæ copiæ vix dimidio numero ad limites Moraviæ pervenirent. Briga tamen liberata est, & vero Piccolomineus reliquias exercitus per Silesiam distribuebat, præstolatus firmiores copias Leopoldi Archiducis. Dum moliebantur illi, Torstensonius abibat è Silesia, & receptis ad se Konigsmarkii legionibus, qui multa prospere in Moravia egerat, castra ponebat ad Lipsiam, viribus omnibus in expugnationem urbis incumbendo, cumque nuncio percepisset, copias Cæsarianas è Silesia accelerare, obsidionem tantisper dimittendo, confligebat, victoriaque potitus, Lipsiam deditione obtinebat.

I Baptista Biragius in Mercurio universali

VII. Galli post direptos Colonienses & Juliacenses in Franconiam abibant, ubi Herbipolensis Episcopus pecunia data rapinarum licentiam avertebat, inde Wurtembergenses & Badenses agros emensi, prædas magnas collegerunt. Rotvvilam vi expugnabant dux eorum Guebrianus percussus globo captæque urbi illatus obiit. Torstensohnius irrito conatu oppugnabat Fribergam, cumque audiret, Hatsfeldium processisse in Moraviam, ut Olomuncium invaderet, deductis eò copiis urbem servavit. Galli cum Bavaris congressi ad Dutlingam, optimam exercitus partem amiserunt, Ranzovius captivus factus est, Tupadelius saucius cum delectis equitum aufugit, Rotvvila Bavaros intromisit. A.C. 1643.

VIII. Suedi festinatis itineribus è Silesia per Marchiam Brandenburgensem & Megapolim venie- A.C. 1644.

veniebant in Holsatiam, & bello invadebant Daniæ Regem, non quidem professum, attamen suspectum hostem, qui Cæsaris partes occulte defendebat, & Mediatoris vices, quas sustinebat, nimio in partem alteram odio corrumpebat. Diripitur Holsatia, eodemque tempore Hornius pervadebat armis Scaniam, Kaggius vexabat Norvagiam, Konigsmarkus occupabat Bremenses & Verdenses agros, quos Regis Daniæ filius Fridericus Archiepiscopi titulo regebat, ac paternam causam faciendo suam communem hostem in se provocabat. Danica classis ipso Rege præsente obsidebat Gothenburgum, sed cum nuncio perciperet, Suedicas naves sub Ammiralio Flemmingio egressas Holmia petere Daniam, veritus Hafniæ suæ Rex discedebat Gothenburgo, & collectas unà omnes naves suas emittebat, per Oceanum Balthicum. Harum præfectus Porsius Muncus, aperto conflictu ad Langelandium vincebatur à Vrangelio Suedorum Ammiralio, successore Flemmingii, qui nuperrima velitatione ad Femariam habita, Regis oculum alterum eliserat ipse haut multo post globo percussus in dextro femore exspiraverat. Proinde Rex ad Cæsaris opem respectans, impetrabat quidem Galassium & Enkefordium cum mediocribus copiis, verum illi segnius agendo & Holsatiam certatim cum hoste vexando, nec Danis profuerunt, & Cæsaris vires attriverunt, velitatione ad Magdeburgum superati à Suedis, qui in opulenta regione sese refecerant maxime, pedites ad internecionem cæsi, equitum aliquot turmæ in Saxoniam evaserunt, ut Bohemiam repeterent. Rakosius Transsylvaniæ Princeps invitatus à quibusdam Hungariæ civitatibus, Cæsari adversus Suedos satis occupato, novum bellum indicebat, missus in eum Buchemius hostis numerosum agmen sustinuit tantisper, verum Cassoviam & vicinas urbes montanas defendere non potuit. Verdanus Bavarici exercitus ductor Friburgo capto, excitabat Anguinum Ducem, ut cum exercitu accurreret, facto prælio dubio, persliterunt Bavari quidem in Brisgoja, sed Galli ad Rhenum potentes expugnabant Spiram, Moguntiam, VVormaciam, quod ubique miles Lotharingius profugeret.

IX. Torstensohnius exactis in Silesia hybernis pergebat in Bohemiam, omnibusque urbibus in potestatem suam redactis, Pragâ versus contendebat, A.C. 1645.

victor

victor ubique. Sequebantur eum Cæsariani, pugna cupidissimi, & impedimentis partim Thabore, partim Budovvissi relictis, ut in tuto essent, mox prope Jancoviam congressi, vincebantur, Hatsfeldius captivus factus est, Gôzius in acie cæsus, Verdanus data gregario militi pecunia evasit astu. Victores irruperunt in Austriam, occupatis Steina, Cremsa, Corneuburgo. Elector Saxo renunciabat fœderi cum Cæsare pacto, & partium neutrarum esse cupiebat. Galli per Franconiam sparsim euntes ad Mergentheimum cædebantur à Verdano, inde profugi legiones Hassorum, quibus præerat Gileus, sibi adjungendo, Spirenses agros emetiebantur, & Heilbronnam obsidebant. Bavari egressi de stativis suis loco pellebant eos, & ipsi castra sua tantisper ad VVimphenam habuerunt, tum ponte super Nicrum facto, Rotenburgum capiebant. Ad Altersheimum, primam aciem Turenio ducente pugnabant cum Bavaris, cæsisque quatuor mille viris, perempto Mercio, captivo Ghelenio, vincebant, Nordlingam deditione capiebant. Rakosius cum Buchemio disceptabat, cumque novis viribus instructus Moraviam adoriri volebat, Cæsari pacem dabat ita volente Sultano Turcorum, dictæ leges, ut fœdus cum Suedis relaxaret, utque Cassoviam urbem, & vicinas Hungariæ partes, Zatmar, Toccaium, feudi jure haberet, Cæsaris amicus.

X. Torstensohnius tot præ- A.C.
liorum victor, tot urbium do- 1646.
mitor corpore invalidus missionem petebat, & locum dabat Vrangelio, qui porrò in Thuringia hybernis obtentis, cum veris principio Leopoldum Cæsarii exercitus ductorem in propinquo habebat. Ambo exercitus per Hassiam, VVestfaliæque partes & Franconiam raptim euntes in Bavariam veniebant, ubi Rainam capiebant Suedi, & Bavaris ultrà Oenum remotis, agrisque omnibus desolatis, transibant in Sueviam, rusticos Algoviæ perfidos cruentis pugnis domabant, inde oppugnabant Lindaviam. Helvetii intercedendo pro urbe vicina & amica, obsidionem finiebant cladibus multis nobilem. Discedebant Suedi in A.C.
Franconiam, & expugnabant 1647.
Egram, cum Bavaro inducias paciscebantur, paucorum mensium, quæ hoc saltem commodi habebant, ut Bavarus abducto præsidio Augustam Vindelicorum libertati restitueret. Melander suffectus loco, post abitum Leopoldi in Bel-

A.C. 1648. in Belgium, exercitum Cæsaris, eadem qua Vrangelius præibat, via, in Hassiam ducebat, mox Bavariam petebant, castris non procul Augusta positis. Oborto prælio ad pagum Susmarhusium vincebant Suedi, Melander ex vulnere accepto diem obiit Augustæ. Konigsmarkus pari successu rerum usus Palatinatum superiorem peragrabat, inde Bohemiam ingressus, Pragam minorem atque arcem Regiam astu intercipiebat. Veniebant eodem Wittenbergerus primum, tum & Carolus Gustavus supremus militiæ Suedicæ Imperator, magnoque conatu actum est, ut tota urbs expugnaretur, verum præsidiarius miles Coloredii & novæ suppetiæ à Comite Golzio introductæ defendebant mœnia. Pax demum Osnabrugæ conclusa finem bello imponebat, quam Hollandi cumprimis adversus Hispanos præcipitabant, eorumque exempla secuti Germaniæ Principes, uti poterant, non uti volebant, paciscendo, Suedis & Gallis autoritate sua persuadebant. Pax sancita est perpetua. Suedi Pomeraniam citeriorem, Bremensem & Verdensem Ducatus, nec non VVismariæ urbem, feuda Imperii, obtinuerunt. Galli maximam Alsatiæ partem, & Sundgoviam cum Brisacco, citrà feudi recognitionem acceperunt. Hispanis data est Vesontio, ut Frankendalia decederent. Palatinus octavus Elector constitutus est.

Brachelius lib. 7.

XI. Pacis per Imperium autor Cæsar obiit Viennæ. Successorem accepit filium *Leopoldum*, consilio & industria clarissimum, in quo hactenus desinimus, votoque concludentes, Germaniæ pacem firmam precamur, Cæsari vitam diuturnam, securum Imperium, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum. A.C. 1657. A.C. 1658.

❧ (o) ❧

LIBER XIII.

Quo continentur res gestæ Gallorum à prima gentis origine usque ad nostar tempoar.

CAPUT I.

De rebus gestis Regum Galliæ è familia Merovingorum.

Nicolaus Gilles l. 1. Annal. Francicor. Ioh. Serranus in Inventario Regum Galliæ.

I. GAlliæ populos domuit primum *Iulius Cæsar*, à quo tempore præfectis paruerunt, Imperii Romani pars, & divisione facta, Honorio Occidentis Cæsari accesserunt. Postquam Gotti partem ejus, Narbonensem, pro redimenda pace obtinuerunt, Regno condito, sedem regiam Tolosæ collocaverunt. Et Franci quidem cœteras partes invaserunt. Erant Franci Germaniæ populi, cumque Romanorum armis semper vexabantur, emigrandum putabant collecti loco uno Visurgis, Rheni, Mœni, Salæ, Isalæ accolæ, sub Aureliano & Probo contendebant in Galliam, repulsi verò, domumque reversi quieverunt tantisper ubi hodiè Zutfaniæ, Drentæ, Tventæ & Frisiæ egiones porriguntur, donec laxatis ubique Sythæ, Sarmatiæ, Germaniæ, & Balthicarum Insularum claustris, ipsi pariter commoti, nomine sibi à libertate indito, cum valida manu in Belgicam descenderent. Porrò Galliam versus ducentes expugnabant Trevitos, caeso Lucio præfecto, nec poterat maturè satis Honorius Cæsar succurrere, negociis præpeditus, itaque Rex *VVaramundus* filius Marcomiri sedem regiam collocavit in urbe proxima Duisburgo, ac munivit viam posteris suis, ut novo Regno luculentum augmentum adjicerent.

Procopius lib. 3.

A.C. 419.

P. Æmylius lib. 1. hist Gallica.

II. Successit ei filius *Clogion*, qui Cameracensium & Tornacensium agros obtinendo, latius evagari non poterat, Burgundorum armis inferior, quos Aetius Cæsaris Valentiniani præfectus societate devinxerat contrà quosvis novos populos deinceps in Galliam ituros. Hactenus ergò ad Somonam consistebat. Secutus eum *Meroveus*, prolatis stativis, quæ ad Rhenum habuerat, Campaniam petebat. Occurrebat quidem Aetius, ut ejiceret hostem, sed major hostis instabat, ad quem depellendum vix sufficiebant Romani. Attila Hunnorum Rex popula-

A.C. 425.

Petrus Berthault lib. 1. Flori Francici, c. 1.2.3.4 5.6 7.8. seqq.

A.C. 445.

pularium & mercenariorum copias infuderat Germaniæ, factaque solitudine, qua transibat, contendebat secus Rheoum in Galliam, veritusque Aetius tantam virorum turbam prælio aggredi, pacta cum Gottis & Burgundis renovabat, Francis novas possessiones Cæsaris fide confirmabat. Cœterum ingenti prælio victis Hunnis, Gotti, Burgundi, Franci, quorum armis sociis res feliciter confecta erat, communis prædæ nomine sibi petebant, quæcunque poterant, eoque lubentius, quod Aetius in aula delatus, capitisque supplicio affectus finivisset. Aurelias, Senonas, Parisios obtinebant Franci, & paulò post Romani nominis gloria concidit in Gallia pariter atq; Italia, postquam Genserico duce Vandali Maurique diripuerunt Romam. Hunc excepit

A.C. 460. filius ejus *Childericus*, initio sævus & malus, quamobrem proceres dejecto illo, rogabant Gillonem Cæsaris præfectum in provincia Andegavensi, ut Imperii civibus adscripti, præfecturæ ejus subessent. Rex degebat in aula Bissini Regis Thuringorum, & verò Saxones de turbatis Francorum rebus edocti nuncio, expugnabant Treviros, vicinos spoliabant. Gillo novis subditis infensus, vectigalia imponebat gravissima, multos suppliciis enecabat. Ergò per legatos suos obtinebat Rex ut revocaretur, moribus quoque in

Aimonius lib. . Stephanus Forcatulus lib. 5.

melius mutatis deinde præerat, ipsa Andegavensium urbe potitus. Ejus filius *Clodovæus* Magnus provinciam Suessionensem, quæ sola Romanæ ditionis erat, victo Siagrio præfecto, acquisivit, infestam verò Gottis viciniam constituit, quorum fœderati semper Romani Francorum conatibus obstiterant. Inde Saxones adortus, prædas è Belgica agentes, conflictu ancipiti decertavit, si victor evaderet, sacra Christiana se velle suscipere, vovit, & servavit, Saxonibus cæsis, domum reversus adiit Remigium, Episcopum Rhemensem, virum pietate & doctrina inclytum, à quo fidei rudimenta percepit, deinceps etiam lavacro sacro aspersus, & sacro oleo delibutus tria lilia pro insigni perpetuo adhibuit. Saxones mercenaria arma ei obtulerunt, quæ lubens admisit, & vicinis ex omni parte molestus, ubique victoriam reportavit. Gotti oderant eum, postquam Romanos ejecerat, & pacto cum Burgundis firmato bellum agitabant. Quo percepto Franci viribus omnibus invadebant Gottos, & debellassent certè, nisi Theodoricus Italiæ Rex potentissimus intercessione sua conciliavisset inducias, exclusis Burgundis, quos facili ope superatos, vectigalib. onerabat Clodovæus.

Aimonius l. d. A.C. 484.

Christian. VVurstisius lib. 2. histor. Basileens. c. 6.

III. Gottis denuò controversiã movebat pro dirimendis finibus, & quanquam induciæ nondum

Forcatulus lib. 6.

elapsæ erant, satis causæ ad bellum gerendum nactus, ducebat Narbonam, pugnabat Alaricus, & cæsus acie, regnum tradebat Almarico filio suo, quem novæ ex Arvernis copiæ recreabant, ut iterato prælio ad Burdegalam confligeret. Victus ipse etiam profugiebat in Italiam, rogabatq; Theodoricum popularem suum, ut armis ejus restitueretur. Gepidarum & Herulorum copiæ in Galliam traductæ recuperabant agros omnes, vincebant Francos in Pictonibus atrocissima pugna, qua viginti mille viri occubuerunt. Rex pacem fecit, & non multò post apoplexia obiit. Ejus filii quatuor diviserunt regnum, *Childebertus* Parisiorum, *Lotharius* Suessionum, *Theodoricus* Metensium, *Clodomirus* Aureliarum regna seorsim condiderunt. Clotildis soror matrimonio juncta est Almarico Gothorum Regi. Quadragintà annis distractæ Francorum vires, non sine maximis motibus egerunt. Clodomiro negocium facessebant Burgundię Principes, Sigismundus & Gundomarus, vectigalia solita denegando, eos prælio vincebat Rex, captumque Sigismundum deportabat Aurelias, ubi puteo demersus periit ille, sed frater viribus restauratis pugnabat denuò. Rex velitari hasta percussus obiit, cumque victores prædæ nimis cupidi procurrerent in Galliam, victoriæ

A.C. 507.

A.C. 514.

Aimonius lib. 4.

fructum amiserunt. Nam internecione cæsi à Lotharii & Childeberti sociis copiis, Burgundiæ calamitates auxerunt, Gundomaro in Hispaniam profugo, ne captivus fratris exemplo miserè occumberet.

IV. Interim Theodoricus implicatus bello Thuringico, semel ac iterum infeliciter pugnabat, itaque Lotharii fratris sui auxilia rogando, validas cohortes impetrabat, & vincebat quidem, sed spoliorum divitias uni sibi vindicando, fratrem provocabat ad iram, ut ille victorem pro hoste declararet, operamque suam Thuringis hostibus offerret ultrò. Maturè satis Theodoricum pœnitebat facti, & muneribus datis Regem fratrem perinde ac copias ejus splendidè honorabat. Hos igitur concordia servabat, ne bello civili concurrerent, quod eodem tempore prorsus attrivit Gottorum Regem Almaricum. Is Arianus cum uxore Catholica quotidianas lites habebat, & quia pristinæ contentiones de finibus haut satis unquam ad arbitrium alterius decisæ erant, proclives ad bellum Franci, exercitum ducebant in Languedociam, victus prælio Almaricus, & non multò post Toleti occisus, regnum suum prædæ exposuit. Brevi post defunctus Theodoricus, successorem habebat Theodebertum, qui veteres offensas patris cum patruo

P. Æmyl. lib. l. d.

truo suo Lothario refricare volens, uti erat ambitiosus juvenis, periculoso bello semet involvisset, nisi Childebertus Parisiorum rex pacis leges utrique persuasisset. Arma sua convertebat Theodebertus in Normannos, qui è Suedis, Danis, Cimbris, prædonum collecta manus, pervagati navibus Oceanum, in littora appellebant & bello vexabant colonos. Gottorum Regi Totilæ in Italia auxilium laturus, ut Græci opprimerentur, morte prohibebatur, bovis silvatici impetu in
A.C venatione peremptus. Ejus filius
552. *Theodobaldus* nulla re memorabili gesta, sine hæredibus obiit, ac regnum unà cum uxore accepit Lotharius. Similiter Childebertô defunctus, cum prole careret, fratri donabat omnia, ut is Galliam universam obtineret solus. At cum fiducia virium, Saxones inclementius tractaret, effecit, ut illi cum Thuringis paciscendo, bellum inferrent Francis, victus Lotharius prælio magno, non longè post obiit, mœrore animi extinctus.

V. Reliquit filios quatuor, *Che-*
A.C. *rebertum, Hildericum, Guntran-*
565. *dum, Sigebertum*, qui Galliam inter se partiti, veterem illam & à Clodovæi hæredibus actam fabulam iterum produxerunt. Chereberius voluptatum studio mar-
A.C. cidus, primus decessit. *Hildericus*
574. portionem ejus totam sibi uni tribuendo, concitavit Sigebertum, ut armis rem gereret, victus prælio Hildericus fugit Tornacum, ubi improborum commercio usus nimium, sicarios immisit fratri. Is peremptus Lutetiæ, loco equidem restituit Hildericum, verum huic filius Sigeberti obstitit, ne regiones non suas occuparet. Desidem vitam agendo, & uxores alienas permolendo, eadem passus in Regina Fredegunda, postquam Landericus præfectus aulæ cum illa concumbere cepisset. Occisus ab A.C.
eodem reliquit filium *Lotharium* 588.
II. & impuberis Principis tutelam cum fide gessit patruus Guntran- *Aimonius*
dus, qui Burgundiam regebat. Post *lib 3.*
hujus obitum civilia bella magno conatu ceperunt. Sigebertus nuper Lutetiæ cæsus, regnum ac insimul odium tradebat filio suo Childeberto. Hic ducebat exercitum in agros Parisiorum, victusque prælio rediit domum ac paulò post obiit. Ejus filii Theodobertus ac Theodoricus renovarunt bellum, successu meliori. Rex cruento prælio ad Arvernam A.C.
fluvium superatus, pacem redi- 604.
mebat, multas dicionis suæ regiones concedendo victoribus. Qui tamen invicem non diu concordiam servando, armis seipsos persecuti, miserum vitæ exitum habuerunt. Theodoricus per latrones occisus est Coloniæ. Theodobertus veneno ab avia Brunchilde petitus, decessit. Rex isthoc

modo non solum recuperavit amissa, verum insuper Metensium regno potitus, distractas Galliæ provincias univit iterum, filioque
A.C. suo *Dagoberto* maximam Regni
625. partem vivus concessit, ipse curis deinceps functurus levioribus. Bello tunc moto Westphali & Frisii profligabant Francos, sed prælio altero versis rerum vicibus
A.C. superati ad Ingelheimum, amisso
630. Rege Verholdo, ingentem acceperunt cladem. Sequenti anno
A.C. obiit Rex, & successit *Dagobertus*,
631. qui in memoriam victoriæ nuper obtentæ monasterium construxit in monte Petri, & hodienum Erfurdiæ mœnibus includitur. Cæterum pacis amans decessit profluvio ventris. Ejus filius *Clodovæus*
A.C.
645. *II.* patris exemplo coluit pacem. Post eum regnavit filius *Lotharius*
A.C. *III.* deditus ocio, quod imperandi
662. genus deinceps Regibus aliis in mores transivit, ut Præfecto aulæ demandando omnia sive pacis sive belli opera, ipsi ludis tempus fallerent, & vix seriò curarent, parta tueri.

A.C. VI. Hic defunctus reliquit fi-
667. lios duos, *Theodoricum* majorem, qui patri successit, & *Childericum* minorem, Burgundiæ Principem. Rex crudelius imperando commovebat proceres, ut captivum illum attonsa coma in monasterium detruderent,
A.C. Childerico regnum deferrent.
670. Nec is placebat satis omnibus, & verò cum Bodilonem nobilem, delatum quidem sed non convictum sceleris, flagris incutiendo tergori punivisset, ab eodem inter venandum, remotis arbitris, oc- A.C.
cisus est. Revocabatur è mona- 679.
sterio *Theodoricus*, atque ille præfectum aulæ habuit Pipinum Brabantiæ Ducem, virum strenuum, qui Radbodum Frisiæ Regem pugna vicit. Successerunt ordine *Ludovicus III.* *Childebertus III.* *Da-* A.C.
gobertus II *Lotharius IV.* *Theodo-* 694.
ricus II. Omnes illi Reges titulo, 698.
potestatem imposuerunt Aulæ- 710.
magistris. Quamobrem vicini oc- 715.
casionem ceperunt Franciam tur- 727.
bandi, rati cum meliore eventu bella geri, quandò Reges per delegatos suos omnia agerent, & non potius virtute præsenti edomarent hostes. *Pipinus* Regum amicus, regni dictator obierat, superstite filio Carolo Martello, notho quidem, sed ob virtutes egregio, scripseratque eum pater bonorum suorum omnium hæ- *P. Æmy-*
redem. Sub Lothario Rege factus *lius lib.*
Magister aulæ, nactus hostem Eu- *histor.*
donem nobilissimum Aquitaniæ *Gall.*
Regulum è Gottorum prosapia, de antiqua libertate recuperanda non leviter occupatum. Saraceni è Mauritania profecti, victoriis in Oceano Atlantico & Hispaniæ continenti partis celebres, viciniam obtinebant, eos auxilio vocabat Eudo, & veniebant duce Abdiramo, tanto cum rerum

omnium

omnium terrore, ut expugnatis Narbone, Burdegala, Pictavio, in Turonensium agris castra metarentur. Sed Martellus receptis ad se Longobardorum & Saxonum copiis, insimul per nuncios suos persuadebat Eudoni, ut potius Francis, à quo beneficia plurima sperare posset, auxilio iret, desertis Barbaris, quandò illi post victoriam adeptam non servarent fidem sociis. Eudo cautius agendo nihil pollicebatur, copias suas à Saracenis haut separabat, nec enim sine periculo manifesto poterat, fervente pugna, cumque victoriam Saraceni rapere posse videbantur, horum ordines à tergo invadebat subitò, edendo stragem, & victoriam eripiendo illis, Abdiramus in prælio occubuit, ducenta millia hostium conflictu, & in fuga perierunt.

VII. Eudo victoriæ fructum unà percepit, spoliorum particeps, defuncto illo filii ipsius Hunaldus & Gaifrus non contenti pactis, quæ pater obtulerat Francis, malevolorum impulsu bellum renovabant, evocatis Mauris, quorum duces erant Athinius & Amorrheus. Expugnabant illi Avenionem & Narbonam, obsidione cingebant Viennam, sed Martellus à Viennæ obsidione depulsos cogebat recedere Narbonam. Consultabant seriò de abitu, verum Hunaldus instabat precibus, ut manere vellent, & Martello pacis leges obtrudere. Dum pacis studiosi finitima omnia rapinis A.C.
implebant, Avenio capitur à Mar- 731.
tello, elapsus *Athinius*, qui cum præsidio regebat urbem, superato Rhodano pervenit Narbonam. Sequitur Martellus, urbem corona circumdat, cumque in auxilium accurrebat Rex alter Amorrheus, relictis equitum alis paucis ad excubandum propè urbem, copias reliquas educit obviam, factoque prælio debellat, ut pauci A.C.
evaderent. Athinius percepta 733.
clade novissima, deserit Narbonam, Aquitania in provinciæ formam redigitur, Hunaldus in A.C.
exilium abit, Nemausus propu- 736.
gnaculis dejectis nudatur, ut deinceps rebellium catervæ ibi non possent tutò latere. Tantis rebus feliciter gestis obiit, cum paulò ante Regem constituisset *Hildericum III.* non minus segnem, quam priores fuerant. Martelli filius Pipinus patris loco dictaturam gerebat, magnæ apud omnes autoritatis, postquam Bavaros domuisset, Saxones profligasset, capta urbe Osnabruga, Saracenis verò so- A.C.
lius famæ benificio territis, ut 745.
deinceps Hispaniæ terminis conclusi, non transcenderent montes Pyrenæos. Adeò grata hæc erant proceribus, ut spreto Rege Hilderico, paluda- A.C.
mentum regium illi detraherent, ac Pipino injicerent, consensu 752.
Zacha-

P. Berthault l. 2. Flori Francici cap. 1. & seqq.

Zachariæ Papæ, qui Francorum subsidio adversus Longobardos, nimium molestos accolas, quærebat. Hildericus in monasterium detrudebatur.

CAPUT II.

De rebus gestis Regum Galliæ è familia Carolingorum.

P. Æmylius l.d. I. PIpinus à Bonifacio Episcopo Moguntino in Suessionum civitate inungebatur Rex Galliæ. Ad hunc veniebant Legati à Papa Stephano rogantes opem adversus Longobardos. Rex superatis Alpibus fugabat hostes & A.C. liberabat Patronum suum. Post 768. leges plurimas feliciter ordinatas obiit Lutetiæ. Successit ei filius *Carolus*, Magnus dictus ob res domi forisque præclaro cum successu gestas. Nam & Longobardos Eginhardus. prorsus Imperio Italiæ mulctavit, urbes, populos, agros plurimos sibi retinendo, quosdam Papæ donando, ut eum sibi perpetuum A.C. amicum haberet, ac religionis 774. metu eò fortius in obsequio contineret gentes noviter devictas. Gentis ejus Duces potentissimos, Spoletanum, Forojuliensium, Beneventanum, haut violaverat, quandò illi statim deditionem faciebant in primo Regis adventu, Mediolani, & Papiæ ordinabat præfectos, cumque titulo Patricii Romani in Galliam revertebatur. Saxones valido bello attrivit, qui sub Rege Wedekindo viriliter pugnabant, eos uno ad Eresburgum prælio victos compescuit, sed terror armis injectus non erat custos diuturni imperii. Dum enim apud Italos ope Græcorum Regis ejecti filius Adalgisus novis motibus turbat omnia, eodemque copiæ Gallicæ vocabantur, Saxones pace violata ad pristinas in Galliam rapinas ferendo revertebantur. Adalgisi factio in herba periit, & Galli velociter ad Rhenum & Visurgim regessi, proximos VVestphaliæ agros gnaviter evastabant, gentemque infidam adigebant ad implorandam Regis fidem. Pollicebantur insuper, quod leges Christi recipere vellent. Sic altera vice pacem extorserunt, & Rex acceptis obsidibus, structisque ad Lippam castellis redit domum. VVidekindus non consensit in pacem, sed in Daniam profugus, auxilia corrogavit. Impatiens quietis miles vicinam Hispaniam ingrediebatur, ubi potentia Maurorum augebatur semper, aderantque Gallæcorum legati, de fœdere paciscendo adversum Barbaros interpellantes. Stabant castra Francorum ad Pompelonam, ubicum valido præsidio hostes tenebant omnia. Tandem urbs cum multo labore expu-

Crancius lib. 1. Metropolis c. 2. seqq.

Aimonius lib. 4.

expugnatur, eodemque progressu magna Arragoniæ pars in deditionem venit, quam Abnaballa Sarragostæ Regulus, sed in fidem Regis juramento obstrictus, occupabat.

A.C. 778. II. Reducto exercitu per Vasconiam, ab Alanorum & Gottorum reliquiis clade improvisa affectus, & præda meliore spoliatus, non poterat satis ulcisci factum, postquam atrocior hostis aliò vocabat militiam. Wedekindus ingenti Soraborum, Herulorum, Cimbrorum, Danorum manu comitatus affligebat provincias ad Rhenum sitas. Mittitur in antecessum Geilo præfectus Belgicæ, hunc mediocri prælio victum repulit quidem Saxoniæ Princeps, sed quod instare Carolum cum majoribus copiis inaudiverat, victoriæ gloria contentus, in Daniam ad Godefridum Regem, amicum suum refugit. Carolus Saxoniæ vicos urbesque rebelles graviter ultus, proceres capitis supplicio afficiebat, populo judiciorum libertatem adimebat, census gravissimos exigebat, Monachos è Scotia profectos jubebat, ut Christiana sacra unicè docerent. Sed nec veniæ facilitate demereri, nec armorum viribus frangi, nec consortio religionis placari, nec æquis legibus flecti, nec iniquis legibus domari poterant efferati animi: profugi multi suppliciorum terrore in Cimbrorum & Vandalorum civitatibus sedem fixerunt, decem mille familiæ è præcipuis coloniarum vice dimittuntur in Brabantiam & Flandriam. Suppetiis Danorum instructus VVedekindus ultimo ad Detmoldum prælio experitur, sed pulsus fugit, eum insecutus Carolus Bardovicum usque, interposita fide publica ad colloquium invitavit, ubi supplex factus & in gratiam receptus, baptismo proluebatur, renunciatus A.C. 785.
pariter VVestfaliæ & Saxoniæ Dux, & insignis gentilicii loco, quod hactenus equus niger fuerat, album equum adhibuit. Ità Visurgis accolæ ad pacem redacti sunt, & Bremæ Episcopus primus A.C.
constitutus *VVilhadus* natione An- 788.
glus, delubro exstructo nobilis quod adhuc prostat, lupuli mercatura insigne. Rex comitia celebrabat Aquisgrani, bellumque decernebat adversus Thassilonem Norici Regem, qui tamen virium impos, à Pontifice Romano persuasus, coma attonsâ in monasterium Laureacense prope Heidelbergam sese contulit, Bavaria Imperii Germanici provincia facta est, & Gerholdo Suevo data.

Vbbo Emmius l. 3. & 4. historia Frisica.

III. Clanculum impulerat Hunnos & Avares, ut sese objicerent Carolo, qui Bavaria celeriter occupata vicinos quoscunque in terrorem conjiciebat. Hunni in Bavariam progressi magno prælio supe-

A.C. ſuperabantur, nec pacem impe-
796. trabant, niſi cum ſuperiore Pan-
nonia, quæ nunc Auſtria eſt, de-
cederent. Tanta potentia fretus
P. Æmylius l. 3. hiſtor. Gall. Carolus Imperatoris titulum non
vanè petebat in melioribus Occi-
dentis provinciis. Papa Roma-
nus erat Leo, quem propter ſu-
perbiam Monacho indignam ci-
vium factio aliqua ab urbe proje-
cerat, is Carolum precibus appel-
labat, & quoque impetrabat, ut
armata manu reſtitueretur. Se-
quebatur Carolus, pacatis in Ger-
mania rebus, & de controver-
ſiis per urbem enatis cognoſce-
bat, ſontes capite mulctabat. Papa
A.C. gratas vices relaturus Cæſarem
800. in æde Petri appellabat eum, ac
univerſi populi nomine Imperii
inſignia offerebat venerabundus.
Hoc ſidere orto imperium Orien-
tis cepit obſcurari. Populus Ve-
netus inter duo Imperia medius
libertatem petiit, utriuſque ma-
jeſtatem comiter obſervando. In-
terim Germania novis turbis con-
cuſſa eſt. Saxones fidem perin-
de & religionem abjiciebant, Bo-
hemi incurſabant Auſtriam, Sora-
bi diripiebant Thuringiam, Dani
invadebant Friſiam, Cimbri affli-
gebant Obotritos. Dimicavit
Imperator cum omnibus illis, &
A.C. victoriam obtinuit. Saxonum
804. multa millia denuò abduxit in fi-
nes Pannoniæ, ubi nunc Tranſſil-
vania eſt, perpetuo exilio, reliquis
in patria ſeveras leges per Scabi-
nos dixit. Bohemos vicit prælio,
eorumque Regem Lechum acie A.C.
peremit, Dreſdam ad Albim con- 806.
didit, impoſito præſidio, coher-
cendis Bohemis, ne perrumperent
in Germaniam vicinam. Sorabos
ultra fluvium Albim repulſos do-
muit, præſidio ad Salam fluvium
depoſito in caſtello Naumburgo.
Dani prædis actis Friſiam deſerue-
runt, & Cimbri in fugam verſi
maximam agrorum partem con- *Rhegino lib. 2.*
ceſſerunt Imperatori. Hic dedu-
ctis in agros illos Obotritis, &
Hamburgo munito, fines Imperii
Germanici ad fluvium Sôram
conſtituit.

IV. Carolus obiit, poſtquam A.C.
rem Chriſtianam armis, pietate, 814.
literis admodum auxerat. Eum
ordine exceperunt *Ludovicus Pi-* A.C.
us, Carolus Calvus, Ludovicus Bal- 841.
bus, qui omnes cum Galliæ regno A.C.
conjunxerunt Imperium Germa- 878.
niæ. Succeſſit *Ludovicus III.* & A.C.
poſt hunc regnavit *Carolus Craſſus.* 880.
Hic quoque Imperium Germani- A.C.
cum adminiſtravit, & abſente illo 885.
Normanni fertiliſſimos Galliæ *Vbbo Emmius l. 5. hiſtor. Friſicar.*
agros in prædam verterunt. Ceſ-
ſerat regno, & ex pacto illud ob-
tulerat Ludovici Balbi filio *Carolo*
Simplici. Erat is impuber ætate, A.C.
quamobrē proceres Tutorē con- 890.
ſtituebant *Ottonē Andegavenſem*,
virum ſtrenuum. Et benè præ-
fuit, dum vivebat, defuncto illo
Carolus Rex nomine & re ſim-
plex cum procerum diffidiis col- A.C.
lucta- 900.

luctatus, tandem quoque ejectus regno successorem veluti habuit
A.C. 922. *Rupertum* Comitem Parisiorum, fratrem Ottonis. Rex delectu habito in Germania, pro quo benificio redimendo Archiepiscopatum Trevirensem, qui hactenus pars Galliæ fuerat, Imperio donavit, copias educebat, Roberti exercitum Lutetia pellebat, ut in Suessionensem agrum discedendo, pugnæ locum darent. Robertus acie peremptus est, fugit exercitus ejus, sed Rex victoria non benè usus est. Quasi uno prælio res confecta esset, dimissis copiis, obtulit pacem seditiosis, quorum præcipuus erat Hebertus Veromanduus, Roberti gener, & simulabant illi quod pacem amplecti vellent, rogabant ut Rex adiret San-Quintinum, & præsens in gratiam reciperet supplices. Credulus ille nimis, nullis acceptis obsidibus, ad hostes, etiam inermis, veniebat, sed captivus factus juramento obligabatur de abdicando regno, inque vincula datus, donec moreretur, quinque annis provixit, filius ejus Ludovicus profugit ad Regem Angliæ Edelstenum, & corona imposita est
A.C. 923. Rudolpho Burgundiæ Duci. Hic Ungaros prædandi studio ex Italia in Galliam perrecturos, non procul ab Alpibus superavit. Eo
A.C. 936. defuncto rediit in Galliam *Ludovicus Quartus*, ducta sorore Ottonis Cæsaris Germaniæ, conjugio provido, nam affinis hujus armis non semel usus, vitam regnumque servavit. Cum Normannis, qui jam multis annis incolatum Galliæ bona fide præstiterant, bello concurrit, infeliciter admodum, quandò illi novis popularium suorum copiis aucti Regem prælio victum, & captivum Rothomagi custodiverunt, pacto obstrictum, quod Richardo Duci gentis ejus Normanniam confirmare, Britanniam nova donatione conferre vellet.

V. Itaque dimissus procerum odia in se concitavit, quorum impulsu *Hugo Magnus Comes Parisiorum*, vinctum Regem anno integro detinuit, tantum non erepturus illi vitam, nisi Ottonis Cæsaris armis territus, Regem suum dimisisset. Cæsar pro armorum usura vendicavit sibi provincias Belgicas. Rex inter venandum, insectando lupum, equo excussus moritur. Succedit filius *Lotharius*, novo bello adversus Normannos implicitus. Res gesta, ut nuper, improspero eventu, subditis querentibus, bella injusta movendo pacem publicam everti. Lotharingiam bello repetivit à Germanis, sed ab Ottone Cæsare, consobrino suo victus abstinuit, neque restituit Galliæ provinciam, quam illi deberi secundũ antiqua jura demõstrabat Comes Hugo novarum rerũ studiosus. Ejus filius *Ludovicus V.* non diu regnavit,
[right margin: A.C. 945. — A.C. 954. — A.C. 979. — A.C. 986.]

gnavit, veneno præbito ab uxore Blanca. Ultimus ille fuit Carolinæ stirpis, & quanquam conabatur patruus ejus Carolus Lotharingiæ Princeps ex hæreditatis lege Regnum adire, frustrà tamen erat, adeoque Franci degenerem Caroli posteritatem repudiando, electionis jure sibi præficiebant
A.C. 987. Comitis Hugonis filium, *Hugonem Capetum*. Ergò armis gerebatur res, & Carolus validis Germanorum ac Burgundorum cohortibus instructus Campaniam ingrediebatur, expugnatis Rhemorum, Suessionumque urbibus, inde contendebat Parisios versus, diripiebat suburbia. Egressus urbe Capetus pugnabat, sed conflictu inferior fugiebat, populumque infelici auspicio non parum turbabat. Carolus totum regnum spe devoraverat, prorsus devictum esse Capetum imaginatus sibi, redibat itaque cum triumpho Laodunum, literisque missis hortabatur proceres, ut sibi velut legitimo hæredi obsequium deferant. Securius deinde agens fortunam omnem perdidit, & Capetus improvisò aggressus copias ejus luxu enervatas, vicit. Carolus à civibus deditus in victoris manus deportabatur Aurelias, & in custodia
A.C. 992. mortuus filiis suis dabat Lotharingiam. Capetus regnavit cum magna pietatis & fortitudinis laude.

P. Bertbault lib. 3. Flori Francici c. 1. 2. 3 seq.

CAPUT III.

De rebus gestis Regum Galliæ è familia Capetingorum.

I. CApeti filius erat *Robertus Pius*, qui pacis artes dexterrimè tractavit, Normanniæ Ducatum Richardi posteris confirmando, & cum Henrico Cæsare de finibus Imperii Germanici amicè paciscendo. Successit ei filius *Henricus*, paternæ moderationis hæres. Sub eo Tancredus Normannorum partem aliquam Galliis eductam accersivit in Italiam, pulsisque Saracenis Græcisque perfidis, Apuliæ & Siciliæ regna condidit. Ejus filius *Philippus* neglecta moderationis laude, qua pater atque avus Francorum opes admodum stabiliverant, veteres cum Normannis lites renovavit, quorum Princeps *VVilhelmus Conquæstor* nuper quoque Angliæ regnum, Edvardi Regis testamento sibi donatum acceperat. Normanni prosperè adeò dimicaverunt, ut de Parisiis obsidendis loquerentur palam. Rex pacem dedit, à Papis insuper vexatus, qui excommunicationem adversus eum vulgabant, postquam conjugi suæ pellicem superinduxerat, obnitente multum Ivone Carnutensi Episco-

A.C. 998.

A.C. 1033.

A.C. 1060.

P. Æmylius l. 4. 5. histor. Gall.

Episcopo, Papa legato. Successit filius ejus *Ludovicus VI.* quem Rex Angliæ Henricus pro defendendo Normanniæ feudo palam & clanculum affligendo, non tamen ad gerendum bellum propellere poterat, quod hic vereretur Anglorum vires maritimas in se convertere, demum verò Henricus Cæsar pacis leges Regi utrique præscripsit. Post eum regnavit filius *Ludovicus VIII.* qui sociatis cum Germaniæ Imperatore Conrado armis, contendit in Palæstinam, ut Turcos pelleret. Sed in obsidione Damasci, quandò ab Asiæ incolis multa perfidè agebantur, viribus attritis, abiit ut rediret domum. Navigabat æquor, & verò Græcorum celoces deprehensum illum volebant cogere, ut velis conversis adiret urbem Palæologum Cæsarem Regibus Europæis inimicissimum salutaturus. Ad Peram venerant in conspectu urbis, Regem velut captivum trahentes secum, ubi confligendo adversus Rogerii Siculi triremes, quæ littora infestaverant hactenus, succubuerunt. Rex liberatus appulit in Siciliam, unde per Italiam reversus in Galliam, cepit lites cum Eleonora conjuge, itinerum & curarum omnium comite. Accusabatur de amoribus illicitis cũ Turcorũ Sultano pactis, divortio facto, redditaque Aquitania, quam pro dote ei olim attulerat, recepit Ludovicus in thorum Constantiam Alfonsi Galliciæ Regis filiam. Soluta matrimonio Eleonora nupsit Henrico Angliæ Principi, eique dotis loco attulit Aquitaniam, perpetuam bellorum inter Galliæ & Angliæ Reges materiam.

A.C. 1108.

A.C. 1136.

A.C. 1144.

II. Obiit paralysi, eique successit filius *Philippus II.* qui expeditionem sacram Papæ suasibus instauravit, navibus in Siciliam delatus, comite Richardo Angliæ Rege. Gentibus innatum odium facilè divisit in progressu Regum animos, captaque junctis viribus Ptolomaide, Saladino quidem opulentam urbem eripuerunt, sed Anglus captivos Barbaros promiscuè occidendo commovebat Gallum, ut desereret militiam, in qua multum sanguinis funderetur, similique exemplo Barbari ad crudelitatem provocarentur. Redibat Gallus domum, & Papa absolvebat eum à voto peregrinationis, utque discordi opitulatori occasionem præberet revertendi in Europam, Johannem Richardi fratrem, quem Vicarium gubernatorem domi ille reliquerat, ad seditionem impellebat. Anglus omissis Barbaris terrestri itinere mercatoris habitu redibat in Angliam, & Johanni quidem supplici veniam dabat, sed Gallo bellum inferendo, navibus trajiciebat in Normanniam, hostes plurimis locis perdebat, Bellovacos & Bituriges vastabat, Aquitaniam populatus

A.C. 1180.

P. Æmylius lib 9. histor. Gall.

latus in Caulaci vilis oppidi obsi-
A.C. dione vulneratus occumbebat.
1199. Succedebat ei frater *Iohannes*, verum Arthurus Britanniæ Princeps Richardi ex Godofredo fratre nepos, jus suum prætendendo, quod patrem habuisset ætate majorem, itaque Johannes ætate minor excluderetur meritò, Galliæ Regis suffragium ambire videbatur. Veniebat in Galliam, colligebat militem, expugnabat Turonenses & Andegavenses. Dum petebat Aquitaniam, occurrentem Regem Johannem prælio excipiebat, sed inferior acie & factus captivus, ne daret turbas novas, occidebatur. Gallus cædem illam criminis ingentis loco imputabat victori, jubebatque eum causam dicere in Parisiorum curia, & quia non comparebat, Normanniæ, Aquitaniæ, Pictaviæ feudis mulctabat. Urbes omnes deditionem faciebant, tantum quod Rupellæ præsidio confisæ resistebant. Ità coactus Anglus arma capiebat, Britanniam occupando, Flandriæ Comitem sibi adjungendo, Germaniæ Cæsarem Ottonem evocando, Lotharingiæ Ducem mercede data commovendo. Tantis copiis instructus, Philippum in Flandriam euntem missis ducibus suis ponè
A.C. secutus, Gandavum & Brugas li-
1214. berabat, ad Bovinas prælio superatus, omnem rei benè gerendæ successum corrupit. Papæ supplex factus obtulit ei censum annuum, quandò vellet authoritatem suam interponere. Nec deerat ille tanto opum suarum incremento, missoque nuncio restituebat Anglo feuda sua, & Gallo imperabat pacem. Rex Johannes procerum multorum odio pertinaci oneratus, quod eos Papæ vectigalibus subjecisset, proscripsit multos, hi verò in Galliam profecti, Regi Philippo se opesque suas dedebant, & comitati Regis filio Ludovico, exercituum, quos secum ducebat, fiducia, Regem illum Angliæ proclamabant, Londino ejectus Johannes mœrore vitam finiebat. Ejus morte non diu gavisus Ludovicus, ortis inter proceres dissidiis, multorum favorem perdidit, hos verò perdomiturus armis, naves è Gallia accersebat. Sed cum hæ Anglorum viribus superatæ, aut mergerentur, aut caperentur, nihil effectum est, Princeps abiit domum, patris senis curas solaturus.

III. Eo defuncto regnavit *Ludovicus VIII.* hostis Anglorum, A.C. 1223.
quos expulit Normannia. Inde exercitum duxit in Narbonenses *P. Æmylius lib. 7. histor.*
agros, ubi Albingenses docebant, veritatis testes contrà Papam & Monachos animarum seductores, veniarum nundinatores. Protegebat eos hactenus Raimundus Comes Tholosanus, verum copiis impar fuga sibi consulebat. Dum Avenionem,

præcipuam Comitis urbem oppugnabat, cæsis affatim militibus, irrita ferè expeditio fuisset, ac pacem offerendo, armis ademptis, dedebant sese cives, libertatem opum, vitæ, animorum pacti, nec tamen Rex servavit eis fidem, mœnibus solo æquatis, vicis exustis, multis millibus occisis. Ne pergeret sævire in subditos culpæ nullius reos, Anglorum armis revocabatur, qui expugnatis Rupellis pervagabantur Aquitaniam, & præsidia Gallorum locis omnibus ejiciebant. Rex in turbis illis decessit, filio relicto *Ludovico IX*. Patre melior ille dabat pacem Albingensibus, & loco restituebat profugum Comitem Tholosanum. Anglis quoq; reconciliatus, provincias ablatas reddebat. Eruditorum amans Sorbonam formabat Parisiis. Adversus Saracenos Africæ potentes cum exercitu valido bis profectus, improsperè pugnavit. Et prima quidem expeditione in littore Ægypti appulit, Barbarosque sub signis stantes profligavit, fugerunt illi Damiatam, eaque incensa, ne hostis potiretur, ad ripam Nili ulteriorem evaserunt. Urbem incolis vacuam Rex ingressus communivit, inde vado reperto hostes insectatus, cum Memphim versus ducere vellet, novum conflictum subiit, quo Galli pariter ac Saraceni cladem magnam acceperunt. Robertus frater Regis occubuit, nec non Maladinus Sultanus jaculo confixus. Ejus filius Melech-Sala copias Arabum nactus, eminus circumdedit castra hostium, ut sensim exhausti famem paterentur, vexarentur insuper peste ob insolitæ auræ spiraculum. Pauci à morbis integri, antequam omninò perirent, duce Carolo, Regis fratre altero, concitaverunt pugnam, sed numero inferiores, fracti viribus, loco iniquo congressi, Barbarorum multitudini succubuerunt, Carolus in captivitatem venit. Reliquiæ castrenses ipseque Rex impetu victorum perculsi deditionem fecerunt, Sultanus vitæ & fortunarum incolumitatem obtulit, si redderetur Damiata, Ægyptus peregrino exercitu liberaretur, captivi gratis dimitterentur, induciæ decem annorum sancirentur, Rex pretio auri dato salutẽ redimeret. Leges dictæ sunt, nec tamen placuerunt Ordinum ductoribus in exercitu Barbarorum, qui Sultanum obtruncabant, captivorum paucissimis dimissionem indulgebant. Quadragintà mille viros fame, peste, gladio Rex amiserat, soluto precio navigabat Ptolomaidem, & Carolum fratrem remittebat in Galliam, ut novas copias ex omnibus Europæ regnis corrogaret. Volebat equidẽ Fridericus Cæsar opẽ ferre Ludovico, sed hunc Papæ vexabant indignis modis, demum

A.C. 1226.

A.C. 1249.

etiam necabant. Interim Rex Sidonem, Cæsariam, Joppen novis præsidiis muniebat, Tripolim eripiebat Sultano Alapiensi ac dabat ElpidiMemphitico, in locum Melech-Salæh suffecto, ut inducias meliori fide servaret. Hoc facto
A.C. revertebatur domum magno cum
1254. periculo, multos enim offenderat, & multis multa debebat.

IV. Sultanus Alapi non multò post occupavit Joppen, & Carolus dimissa Palæstina, evocatus à Papa in Italiam, vi mera, nullo jure, corripuit Regnum Siciliæ, vi-
A.C. cto & securi percusso *Cunradino*
1268. Sueviæ Principe, legitimo regni hærede. Ludovicus altera expeditione Numidiam petivit, & Tunetum, piratarum receptaculum, obsedit. Venit eodem Carolus, novasque copias adduxit, sed pestis afflavit Regem, ut in castris
A.C. obiret. Successit ei *Philippus III.*
1270. filius, qui domi pacem habuit. Compellabat eum Balduinus Imperator Orientis per Michaelem Palæologum dejectus, ut ferret opem. Eandem ob causam adibat Carolum Siciliæ Regem. Hic cumprimis annuebat, & undique gentium conquirebat classem maximam, quæ traduceret Europæ auxilia. Verum prohibitus à Vesperis Siculis, & dejectus ferè propriis, haut poterat curare aliena. Siculi enim, quoscunque Gallos reperiebant in urbibus suis, ad necem per exquisitos etiam cruciatus, compulerant, & Petro Arragoniæ Regi imperium detulerant. Eum Papa Martinus exsecratus, spoliabat regno, ac per summum nefas donabat illud Gallorum Regi. Galli expediebant in Arragoniam, expugnabant Perpignanum. Ad Gerundam occurrebat Petrus, sed prælio inferior fugit, atque è vulnere saucius decessit Barçinone. Victoria illa maximè concussit Arragoniam, neque dubitabant populi illi gratiam victoris, uti Domini sui, poscere, defuncto Rege. Philippus nimis arrogando fortunæ blādienti, securus damni Italicas triremes, à Genuensibus & Pisanis missas, domum redire jubebat, ad minuendos sumptus, mox quoque pestis copias ejus depascebat. Rogerius Hispanicæ classis præfectus nuncio accepto de morte Regis, pro liberando regno fortiter conaturus, Italicas triremes novo stipendio soluto ad se pelliciebat, inque naves Gallicas, quæ in littore Narbonensi cum levi præsidio & plebe nautica stabant, irruebat. Fugerunt nautæ ad conspectum hostis, milites quoque excensione facta in urbes sese receperunt, triremes deserendo, quas in potestatem suam, citra prælium, redactas incendit Rogerius, ac classe provectus Tarraconam, exercitum terrestri itinere duxit, Gallos ad A.C.
Perpignanum obruit. Rex 1285.
de-

A.C. 1285. defunctus in castris, morte sua belli precium solvit Arragonibus.

P. Æmylius l. 8. histor. Nicolaus Gilles l. 2 Annal. Franciæ

V. Successit ei filius *Philippus IV.* cognomine *Pulcher*, qui Perpinianum restituit Alphonso Petri filio. Eum anniversaria Anglorum odia statim exceperunt. Occasio fuit, direptæ naves Gallorum preciosis mercibus onustæ. Mittebat Rex in Angliam questum injurias, cumque nihil impetraret, bellum indicebat. Angli in societatem belli assumebant Flandriæ Comitem Guidonem dudum Gallis infensum, ob imposita nova vectigalia. Galli priores invadebant Aquitaniam, expugnabant Burdegalam. Edvardus Anglus oportuna auxilia laturus, classem operosius adornabat, itaque Flandri correptis armis ad fines Galliæ procedebant, speculaturi de Regis progressu. Hujus frater Carolus Valesius prospere dimicabat in Aquitania, & vero copiarum supplementa navibus Anglicis imposita ventis urgentibus ab Oceano hauriebantur, quæ ingens jactura torsit Edvardum, ut certis stipendiis conduceret arma Germanorum sub Cæsare Adolpho Nassovio. Sed illis quoque spoliatus, de pace facienda cum Gallis serio cogitavit. Interim Galli cum Flandris congressi ad
A.C. 1302. oppidum Cortracum memorabili clade afficiebantur, cæsis quindecim millibus viris unà cum exercitus duce Roberto Arthesiæ Comite. Nec tamen concidebat animi Philippus, copiisque reparatis, pugnabat vicibus iteratis, ad San-Omarum, ad Tornacum, ad Montem populeti, satis ultus Cortracensem triumphum. Rogabant pacem Flandri & impetrabant, si belli impensas solvant, urbiumque propugnacula dejiciant. Eodem tempore lites cepit cum Papa Bonifacio VIII. scilicet, quod in tanto bellorum concussu decimas bonis Clericorum imponeret, neque injunctam expeditionem contra Saracenos, nulli Regum hactenus felicem, capessere vellet. Papæ exsecrationes comitiis publicis irritas pronunciabat, clanculum vero impellebat Wilhelmum de Rogareto & Sarram Columnam, ut Anagniæ in patria sua, per armatos noctu intra urbem receptos, comprehensus vinciretur, vexaretur, ac tum demum liber dimitteretur, postquam thesauros suos opulentos erogaverat.

P. Iovius l. 1. Elogiorũ num. 18

VI. Rex tamen Papis gratum facturus, Clementi V. donavit quæcunq;, jurisdictionis titulo usurpaverat hactenus in comitatu & civitate Avenione, atque urbs illa septuaginta annis domicilium Paparum fuit, neglecta Roma. Sed nostro demum tempore Galli recuperaverunt. Ejus A.C. 1305.

A.C. 1314. filius *Ludovicus X.* brevi tempore præfuit. Neq; hujus frater *Philippus V.* dictus Longus, alia quàm A.C. 1316. pacis negocia tractavit. Denique A.C. 1322. *Carolus IV.* pace nobilis obiit relicta uxore gravida, quæ peperit filiam Blancam.

CAPUT IV.

De rebus gestis Regum Galliæ è familia Vallesiorum.

A.C. 1327. I. Successit *Philippus VI.* Regii sanguinis princeps, natus patre Carolo Valesiorum Comite, qui Philippi IV. legitimus frater erat. Conabatur prævertere eum Angliæ Rex Edvardus, natus Isabella Philippi IV. Regis filia, sed per Legem Salicam exclusus, meditabatur ultionem. Philippus concedebat Anglo petenti investituram Aquitaniæ, cœterum Normanniæ Ducatum repetenti eidem denegabat, ob pacta cum majoribus ejus descripta. Scilicet Anglus non unam belli causam quærebat, & Gallus conveniebat Papam Avenione, ubi cum eo de expeditione sacra agebat. Dum classis in hunc usum parabatur, erumpebant Anglicanæ iræ, mutabat Vallesius consilium, exercitum navesq; domi retinebat. Profugerat in Angliam Robertus Arthesiæ Comes, odio adversus Gallos concepto, isq; Regis Edvardi voto eligebatur supremus Ductor

P. Æmylius lib. 9. histor. Frossardus l. 1 histor.

exercitus. Classis Anglorum solvebat, appulsura in littore Flādrico, ad recipienda auxilia mercenariorum in Belgio & Germania conductorum. Prohibituri istud Galli advolabant, & prælio acto naves omnes perdebant, occisis viginti mille viris. Hæc clades A.C. 1340. movebat Gallos, ut omnes tentarent vias ad pacem obtinendam, sed Angli duorum annorum inducias largiebantur, & novas copias in Aquitaniam deportabant ad futuros usus. Biennio elapso Dux Lancastriæ in Normanniam progressus, urbes multas expugnabat, junctisque cum Rege suo copiis Lutetiam versus movebat. Cumq; Gallorum exercitus ad silvam Cressiacam strueret aciem, magno animorum calore dimicabatur. Cæsi Galli ad satietatem, A.C. 1346. cadaveribus impleverunt agros. Johannes Bohemiæ Rex, Rudolphus Lotharingiæ Dux, Ludovibus Comes Flandriæ, Carolus Valesius, acie perempti sunt, qui omnes Gallis opem ferebant.

II. Edvardus Caletum obsidebat, demumque capiebat, incolis A.C. 1347. omnibus foras jactis eorumq; loco restitutis familiis ex Anglia. Papa intercedebat, ut induciæ coalescerent, quas Gallus militum præsidio destitutus accipiebat lubens, nec spernebat Anglus novo cum Scotis bello implicatus. Rex A.C. 1350. obiit, cum induciæ exspiraverant ferè, & successit filius Johannes.

Ab

Ab eo Carolus Navarræ Rex petebat dari sibi Comitatum Angolismensem, velut maternam hæreditatem, sed non impetrabat, itaque per se nihil ausus virium penuria, non tantum Angliæ Regis opem sollicitè quærebat, verum etiam proceres quosdam factione sua corrumpebat. Rex omnes illos unà cum Navarrheno deliberantes ad convivium evocabat, inde vino epulisq; repletos, alios vinculis oneratos securi percutiebat, alios carceribus macerabat. Elapsi inde Philippus Navarrheni frater & Godofredus Comes Harcourtius fugiebant in Angliam, deque Regis sævitia conquesti, opem rogabãt. Edvardus ratus, negligendam sibi minimè hanc rei benè gerendæ occasionem, induciis perindè elapsis, copias in Aquitaniam mittebat, quibus præerant Edvardus Niger filius ejus, & Dux Glocestriæ. Diripiebantur vicini agri, accurrebat cum exercitu suo Rex & ponè sequebatur. Dum castra castris opponebantur, Angli inferiores longè numero (erant decem millia) de pace, de induciis novis commemorabant, sed Galli viribus suis freti (erant quadraginta millia) pugnam deposcebant. Ergò Angli in armis esse perseverabant, & non procul ab urbe Pictaviorum congressi vincebant, Regem & filium ejus minorem Philippum, ac proceres multos captivos Burdegalã mittebant. Vix evasit Carolus major filius, qui deinceps patris loco res administrabat. Pax demum facta est hac lege, ut Anglus retineat Aquitaniam cum omni jure, & imperio supremo. Rex data ingente summa auri liber abibat, obsides dabat proceres multos.

Frossardus lib. 2. hist.

A.C. 1356.

III. Rex Papæ conversatione seductus cum delecto comitatu volebat proficisci Hierosolymas, peregrinatione sancta, verum in conatu defecit, mortuus Londini, quo advenerat, ut cum Rege Angliæ supremo colloquio trãsigeret. Filius ejus *Carolus V.* in angustiis intravit, sed tamen virtute sua excoluit regnum, ne fortunæ Anglorũ omninò succumberet. Ductis copiis in Aquitaniam, urbes multas expugnabat. Exercitus Anglorum stabat ad Espernaiũ, & quanquam irruentes Gallos non sustinerent primo impetu, adeoq; relecto, qua poterant celeritate, itinere in Burdegalenses agros redirent, non tamen persequi eos ausus Carolus priorum temporum cladibus exterritus, recipiebat sese in Campaniam. Edvardus triumphatis verius quàm devictis Gallis moriebatur. Hujus filius Richardus majorum suorum tropæis elatus, novas copias sub Clarenciæ Duce mittebat in Campaniã. Dum illas Carolus prærepta ubiq; annonâ

A.C. 1364.

Frossardus lib. 3. hist.

A.C. 1376.

haut leviter affligit, & conquisitis per Burgundiam militibus stipendia procurat, obit, relicto filio *Carolo VI.* sub tutela Philippi Burgundiæ Ducis. Ad eum veniebat Ludovicus Comes Flandriæ, quem subditi ejus pertæsi exactionum gravissimarum expulerant. Et quanquam infeliciter pugnabant ad Rosbecam urbem, inducias tamen rogabant, non verò pacem, quando quidem subsidia ab Anglis adfutura sperabant. Galli instruebant classem navium quingentarum, ut in Angliam cum Rege suo provecti, domi tanto fortius hostem invaderent, vix ad syrtes Flandricas propinquaverant, & subitò ortæ procellæ maximam partem demergebant, cœteras in Angliæ littora propellebant, paucæ enaverunt ad portus Zelandiæ. Attamen urgebat Rex, instando operi & Ludovico Flandro exercitus partem aliam adjungebat, Ludovico Andegavensi fratri suo partem aliam, consilia diversa persecutus. Flandrorum copiæ sub Demagogis Petro Silvano & Philippo Ardevillano, exiguæ numero profectæ Brugas usque, Comitis sui exercitum valido prælio superabant, multis millibus occisis, quod destinatos aut mori aut vincere animos attulissent. Rex permotus Comitis precibus, communique Principum omnium excitus periculo, restauratis viribus, exercitum sexaginta mille hominum promovebat in Flandriam, & cum quinquaginta millibus hostium congressus prope Iperam horæ integræ pugna feliciter semper oppositam aciem feriendo, viginti quinque milli viros occidit, fuitque inter cæsos Ardevillanus seditiosorum Princeps. Si evenisset aliter, qui tunc erat passim in Gallia, Italia, Britannia rerum status, Principes non leve damnum accepissent, quoniam populi omnes conflictus illius eventum cupidè exspectabant, fortunam in consilio habituri.

P. Æmylius lib. 10.

Frossardus l. 4. histor.

A.C. 1382.

IV. Ludovicus Andegavensis oblatum sibi à Johanna Neapoleos Regina conjugium lætus amplectebatur. Eum verò potentior multò æmulus opprimebat, nam *Carolus Dyrrachinus*, Ungariæ Princeps armis superior occidebat Reginam, & Gallus prælio in Apulia victus, deinde etiam veneno sublatus finiebat inimicitias. Mox Carolus inter epulas peremptus est. Galliæ vero Rex inducias pactus cum Anglo, copias navales mittebat in Africam, ut Mahomediam urbem, piratis amicam expugnarent. Revertebantur domum postquam aliquot mensibus frustrà laboraverant in regione admodum sterili. Rex ipse curarum multiplicium onere depres-

A.C. 1385.

pressus, mentis delirio corripiebatur. Ad detergenda illa animi nubila variis ludis aulici utebantur. Porro nuptias apparabant è Cenomanis nobiles, aderatque Rex ipse, cœterum nobiles pro augendis gaudiis, corpus totum operimento lineo pice super delibuto amiciebant, ut Satyri esse apparerent, qua specie Rex delectatus ipse, talem quoque habitum capiebat, & Satyrorum insano choro permistus in orbem ducto reste saltabat, fescennino carmine destrepente interim. Ex omnibus atriis fiebat concursus ad picatorum spectacula, Aurelianensis patruus Regis studio propius inspiciendi correptam facem admovebat,
A.C. 1393. inde flamma promicans unum incendit, ab eo repente in omnes illos provolabat ignis, quidam inopes auxilii deflagrabant cum miserabili ululatu, alii perfusis aquis vix liberati sunt, inter eos Rex non leviter tostus, corpore pariter atque animo deinceps miserrimus erat, vices gerente Philippo Burgundiæ Duce. Nec magis benè fuit *Richardo* Anglo, quem desidem, voluptuarium, calumniis rapinisque deditum
A.C. 1399. proceres carceribus mulctabant, inde mortis damnabant. Galli insuper civilibus turbis succubuerunt. Dux Aurelianensis latrocinio peremptus est, impulsore Burgundo, quod hujus conjugem de stupro appellaverat, cumque cædem factam in aula Regis excusaret, ut absolveretur, fratres Aureliani accensi animis bellum indixerunt Burgundo, & Anglorum subsidia impetraverunt. Horum Rex Henricus veniebat Caletum navibus, & firmissimum triginta millium virorum exercitum ad Somonæ ripas circumducebat. In ista hostium propinquitate Rex multis promissis expugnabat animos fratrum Burboniorum, ut patriam tuerentur contra hostes. Pugnabatur ad oppidum Azincurtum, cæsis decem mille A.C.
Gallis, captis totidem mille. Henricus victor Normanniam omnẽ 1415.
subjugabat, nec non Insulam Francicam, omnemque tractum vicinum Lutetiam usque. Tunc eum de pace compellabat Regina, misso Burgundiæ Duce, & describebatur pax in has leges, ut Anglus filiam Regis Catharinam uxorem duceret, ut Regnũ Galliæ socero defuncto obtineret, utà peractis nuptiis Lutetiæ proclamaretur Galliæ Rex. Sed Carolus Delphinus contradicebat legibus illis, neque ullis modis persuaderi à Regina matre & Burgundiæ Duce poterat ad consensum dandum. Quin arbitratus ille, Burgundum esse pacis ejus autorem, evocabat eum, velut ad colloquium familiare, & nemine conscio occidebat Ar-

moriaci. Pacis arbitro illo ſublato Burgundi perinde & Angli ultionem viribus omnibus parabant, Henricus nuptias peragebat Lutetiæ, coronam, titulũ, obſequium populi, Regis & Reginæ conſenſum, procerum congratulationem obtinebat, excludebatur Delphinus, ut turbator pacis & principum virorum latro. Degebat is Andegavi, inter ſpem & metum animo verſans omnia, præterita, futura, hoc unice confiſus, regni cives peregrini Regis imperium, nec diu nec libenter laturos. Dux Clarentiæ copias Anglorum admovebat urbi, ſed negligentius agẽdo multa, occaſionem dabat Carolo tentandi conflictum, atq; is feliciter adeo ſucceſſit, ut Anglis ab obſidione depulſis, acieq; perempto Duce, milites diſperſi ad vicina præſidia abirent. Carolus poſt hoc experimentum armorũ nullibi quam in caſtris tutior, ad Delphinatum concedebat, ubi ex itinere obvium Aurengiæ Principem, Anglicis partibus addictum, pugna altera ſuperabat.

V. Nec tamen longius progredi auſus Regis timore, qui in Normannia copias magnas ducebat, ut ſemel ac ſimul, quacunque incedebat, Delphini amicos exarmaret. Sed Regis propoſitum fata ſuprema abruperunt, atque is defunctus Meloduni metu omni deinceps Carolum liberavit. Generum ſecutus propediem Carolus ſocer, vitam calamitoſam depoſuit. A.C. 1422. Acta ejus reſcidit filius *Carolus VII.* eoq; felicius res proceſſit, quod Henricus VI. Angliæ Rex ætate minor ſub curatoria Warvicenſis Comitis ageret, Carolus ducebat mediocres copias ex Italis, Gallis, Hiſpanis conſcriptas, & in Pictonibus coronabatur. Inde precibus multis vincebat Philippum Burgundiæ Ducem, ut veteres offenſas oblitus novam & ſtabilem gratiam iniret apud Regẽ. Itaq; Burgundus diſcedebat ab Anglis, & vero periclitari armis fortunam auſus Carolus, diverſis itineribus in Picardiam, Cenomaniam, Campaniam, Aquitaniam irrumpendo, prædarum abunde abigebat, ſed tamen prælio ad Crepantum urbem congreſſus cum Saliſberienſe Comite, inferior acie quatuor mille viros perdebat. Hactenus Angli provido conſilio incolas humaniter proſecuti, animos omniũ devinctos ſibi habebãt, cum vero moribus in deterius mutatis inſolẽter & crudeliter agerent, odio publico afflati pereuntis quotidie Caroli fortunam intra breve tempus erexerunt. Miſſus à Rege Duglaſſus Comes novos Scotorum delectus adducebat, & Vernevillam Aquitaniæ urbem obſidebat. Eo cum omnibus Anglorum copiis advolabat Comes Betfordus, validoque prælio obſeſ-

ſeſſores debellabat, peremtis acie Duglaſſo, Harcurto, Brunello, clariſſimis Scotorum & Gallorum ducibus.

VI. Rex fidam habebat urbẽ, Aurelias, hanc vallo claudebat Salisbérienſis, miſſasque Gallorum ſuppetias Burbonio duce profligabat. Sed cum nocte quadam ad portas obequitabat, viſurus, qua parte militum aſſultibus præſtare aliquid poſſet, catapultæ ictu occumbebat, vir militari gloria eminens, & comitatis virtute commendatus, qua Regni cives demulcebat, ut in gratiam Regis ſui hactenus omnia perferrent. Obſidio equidem prorogabatur ſub duce Thalbotio, verum eruptionibus plurimis civium vexati Angli, & perpetuis hoſtium velitationi-
A. C. bus, quos Amazona Gallica *Jo-*
1429. *hanna Lotharingica,* ducebat, ad paucitatem aliquã redacti, quando nec annona ſuppetebat, motis loco caſtris abibant. Nec deinceps Anglis quicquam proſpere ſuccedebat, victi & profligati ubique Carolo Regi pacem offerebant, cumprimis quod Henricus domeſticis turbis involutus, Eboracenſem Ducem vitæ opumque ſuarum hoſtem nactus eſſet.

VII. Rex compoſitis per Galliam rebus, Eccleſiæ factiones diremit, & ruibundam Papæ poteſtatem, facto non inſolito Galliæ Regibus, ſuſtinuit. Martinus Papa ſupremo vitæ ſuæ anno ad corrigendos deformes Clericorum mores indixerat Concilium Baſileæ, eodemque Julium Cæſarinum legatum ſuum deſtinaverat. Defuncto illo ſuccedebat Eugenius Venetus, corruptiſſimi animi, qui Baſileam recuſabat, & Italiæ urbem Bononiam eligebat, decretis Romanæ curiæ propiorem. Atqui ob hanc ipſam cauſam Sigiſmundus Cæſar negabat, Concilium è Germaniæ urbe clariſſima deducendum ad Italos, Papæ dominantis nutu obnoxios nimium, itaque Theologis, qui Baſileam convenerat, imperabat, ut Papæ denunciarent ſupremo conſulto, Papam eſſe infra Concilium, ac niſi ille Baſileam mitteret Legatum, unanimi præſentium voto alium eſſe eligendum. Territus Papa, Cæſarinum loco reſtituebat, ut Baſileæ præſens eſſet. Veruntamen decreto illi, quod Concilium ſupra Papam eſſet, adeo non acquievit, ut contrarium decretum evulgaret in Concilio Italorum, Ferrariæ collectorum. Peſte ingruente abibant Florentiam, cudebantque ſanctiones Papæ arbitrio conformes, vota ſua apponentibus Græcorum Theologis, quos Cæſar Palæologus ſecũ Venetias adduxerat. Patres Baſileæ tunc congregati abrogabant

bant factioso Eugenio primatum, & surrogabant Felicem Amadeum è Sabaudis Ducem. Proinde Eugenius implorabat

Michael Stetlerus part. 1. histor. Helvet. l. 4.

arma Gallica, patrisque Regis jussu adventabat Ludovicus Delfinus cum exercitu triginta mille virorum, qui per Alsatiam progressus ad fines Rauracorum obsidionem urbis, necem Theologorum comminabatur. Mox aderant tres legiones Helvetiorum, atque istæ cum Gallis prælio con-

A.C. 1444.

gressæ integro triduo exercebant hostes, ut omnes quidem perirent, sed multa millia hostium neci darent. Terroris plurimum

Christ. VVurstisius l. 5. histor. Basileensis c. 39.

à Gallis ortum est, nec tamen Cōcilio quicquam incommodi attulerunt, inque Lotharingiam cum lacero exercitu redierunt. Domum reversus Ludovicus juvenis ipse apud patrem senem, nullam gratiam meruit. Quamobrem in Burgundiam migravit

A.C. 1461.

ad Philippum Ducem, propinquum suum, & permansit ibi donec pater moreretur.

VIII. Pater obiit Meloduni, & *Ludovico* filio turbæ statim enatæ sunt cum Britanniæ & Aquitaniæ Ducibus, quos nimiæ libertatis compotes volebat in or-

Berthault l. 4. Flori Franc. c. 1. 2. 3 seqq.

dinem redigere. Eorum aliqui præliis apertis consumpti, alii captivi & morte affecti, plurimi ad Johannem Burgundiæ Ducem evaserunt opemque ejus rogaverunt. Carolus filius Ducis expediebat in Galliam, victoriis implendo omnia usque ad Parisiorum mœnia. Rex prælio ad montem Letericum victus & armis inferior, artibus superabat hostem, munera, pacemq; offerendo, & ditionem Somonensem, quæ Picardiæ optima pars est, beneficiario jure permittendo.

Phil. Comineus l. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Tantisper itaque è Gallia copias abducebat Carolus, verum domesticæ quietis impatiens in vicina Belgica quærebat hostē. Leodiensis Episcopatus carebat Antistite, ei Ludovicum Burbonium consobrinum suum offerebat, recusantes Eburones obsidebat,

A.C. 1468.

urbemque expugnatam incendebat, pulsis vel occisis civibus. Interim Rex jungendarum & disjungendarum amicitiarum efficacissimus artifex, omnem lapidem movebat per nuncios suos in Germania, Helvetia, Belgio, ut hostem quemcunque Carolo excitaret. Contendebat ille de finibus adversus Renatum Lotharingiæ Ducem, eoque facile ejecto insperatò maximus belli cumulus surgebat. Turmæ Burgundicæ militari licentia usæ spoliabant mercatores Helvetiorum ex itinere, & nuncios, qui in castra veniebant questum injurias, ludibrio habebant. Austriæ Dux Sigismundus invidiosam potentiam ejus verebatur, quando ei diviti ipse pecuniarum egens, octoginta millibus aureis perceptis

M. Stetlerus part. 1. histor. Helvet. l. 5. 6.

ceptis, Sundgoviã oppignoraverat, mox etiam Hagenbacchium regionis præfectum inſolentius adverſus colonos agentem capite mulctabat. Renatus accipiebat pecuniam è Regis manibus. Hi fœdus invicem pacti bellum Carolo indicebant, & ad oppidum Elincurtum ſtativa ponebant, decem millium virorum. Accurrebat Comes Rhomontius, urbem liberaturus, orto prælio ſuperabantur Burgundi, caſtris direptis dedebant ſe Elincurtum, Granſonum, Blamontum, Claramontum, opulenta Burgundiæ caſtella. Rhomontius proſcriptus eſt quod cum Bernatum vaſallus eſſet, hoſti militaret adverſus patriam.

Chriſt. VVurſtiſius l. hiſtor. Baſileenſ. c. 4. ſeqq.

IX. Rex videbatur Helvetiorum ſocietati adjungere ſeſe velle, annuebat tamen de pace ſervanda, ſi dederet Carolus exſules turbarum incentores. Erat inter hos Ludovicus Comes San-Paulinus Galliæ Conneſtablius, verbo Principis detentus in aula Burgundica, nunquam fore ut Regi traderetur. Hoc tempore vero pro avertendo bello, victima pacis dedebatur. Carolus in Lotharingiam ducebat, Nancejum expugnabat: Conneſtablius Lutetiæ in jus vocatus, capitisque damnatus ſecuri percutiebatur. Videbatur Carolus multis egiſſe adverſus hoſpitalia jura, nunquam impune violata, cumque Veſontionem reverſus copias ſuas luſtraviſſet, quinquaginta mille viris inſtructus contendebat Granſonium, ubi præſidium octingentorum Helvetiorum inerat. Caſtellum ignibus injectis exurebatur, milites ducentos aquis mergi, totidem patibulo affigi curabat, reliquos armis opibuſque ſpoliatos dimittebat. Helvetii ſex millium copias mittebant, ut montium anguſtias occupando hoſtes prohiberent ab ingreſſu, donec major exercitus cogeretur. Carolus fiducia virium aggreſſus montana, impellebat militum cuneos, verum primo impetu repulſi antecurſores, cumque ſtrage rejecti in caſtra, vulgabant terrorem exercitu toto, ut fugam caperent, impedimenta omnia & regales Caroli opes in poteſtatem Helvetiorum veniebant. Is reſtaurabat copias & Lauſannam capiebat, Bernenſes agros populabatur, Moratum cingebat. Sed advenientis hoſtis rumore perculſus exercitum dividebat, multis ſimul locis pugnaturus. Rhomontius Comes urgebat obſidionem, Carolus ipſe viginti mille rapiebat ad ſubeundum conflictum, *Antonius Nothus* cum duodecim millibus ſtabat ad lacum Muttenſem, pugnæ ſpectator. Helvetiorum exercitus conſtabat triginta millibus viris, prælioque facto victus

A.C. 1476.

Chriſtian. VVurſtiſius l. dicto c. 10, 11.

Carolus decem mille viros ferro & captivitate perdidit. Atque is tanto affectus damno, vinci & fugari poterat, cedere animo nisi moriens haut poterat. Non superatus à potentissimo Rege, profligari sese ab exsule Duce & obscura gente, deforme ac omni morte tristius existimabat. Utque eo maturius procideret, copias multum dissimiles prioribus, ex tyronibus & velitibus conscriptas media hyeme educebat, Nancejum, quod Ducis sui præsidium intromiserat, obsidebat, dira comminatus, nisi portas ultro aperirent. Mox aderat Dux Renatus cum Austriacis & Helveticis legionibus, pavidosque Burgundos invadebat, fugiebant illi, Carolus in fuga A.C.
1477. occisus & palude mersus occubuit, ne una morte periret, ille Gallorum triumphator.

X. Cæterum in Carolo id unum ad summum virtutis cumulum defuisse videtur, quod Genii sui captum sensumque quàm alienæ prudentiæ placita sequi maluerit. Quæ res plerosque perdidit. Nam qui sua intemperantius amant, obliti rationis, citissime præcipites dantur. Rex invadebat Burgundiam, velut Imperii Gallici partem, nec non provincias Belgicas: verum Maximilianus Austriacus ducta Maria Caroli filia, dotis jure sibi asserebat omnia, & cum instructo exercitu adventum maturando, pugna ad Terovannam acta, fugabat Gallos, inde A.C.
Burgundiæ Ducatum tradebat 1478.
Gallo, pace facta, Comitatum & provincias Belgicas retinebat. Carolus Andegavensis hæres Apuliæ & Siciliæ hunc Ludovicum testamento scripsit hæredem Regni sui, ad quod Gallos tamen nunquam admittere voluerunt Hispani. Posthæc lento morbo correptus decessit in castro Plessiaco. Re- A.C.
gnavit post eum filius *Carolus* 1483.
VIII. qui Neapoleos regnum armis invasit. Obtinebat illud Ferdinandus Arragonius, vir sapiens & pacis amans, sed filius Alfonsus Calabriæ Princeps, patri admodum dissimilis, rapinis affligebat nobiles, factionibus per civitates Italiæ excitatis immiscebat sese, Ludovicum Mediolani Ducem bello vexabat. Evocabatur Carolus, qui & ipse non habebat animum domesticæ quieti aptum, sed opulenti regni acquirendi studio contendebat in Italiam, adducto exercitu triginta mille virorum & classe addita, navium quadraginta. Genuam veniebat, ubi triremes aliquas pretio emptas dimittebat versus Neapolim. Porro Longobardiam totam perstrepebat armis, Pisanos à Florentinorum, Florentinos à Mediceorum,

Arnoldus Ferronus l. 1. histor. Gall.

Guicciardinus l. 1. 2. 3. P. Bemb l. 2. Ioh. Mariana l. 26 c. 7. 8 9 10. Iov. l 1. 2. 3 historiar.

rum, Senenses à Petrucciorum dominio liberabat, Lucæ præsidium imponebat, Papam Alexandrum VI. ferro cominus ostenso ad fœdus pertrahebat, Romam ingrediebatur, sed innoxio discessu functus, Cæsarem Borgiam Papæ filium ex Vannocia Romana susceptum obsidis nomine abducebat, Ostiam præsidio firmabat.

XI. Interim obibat Ferdinandus, & Alphonsus diffisus rebus suis fugiebat in Siciliam, regnumque dabat filio suo Ferdinando. Carolus, ut venit & vidit, ita vicit urbes populosque omnes. Neapolis Regum sedes expassis portis recepit victores. Obstupuerunt ad insperati successus eventum felicissimum cuncti Italiæ Principes, & Regem, quas vellet, vel pacis vel belli leges, descripturum crediderunt, si tam potentis regni opibus constanter frueretur. Proinde inito fœdere Papa, Veneti, Mediolani Dux, Ligures, Florentini, copias mittebant, quæ Regem exceptum in reditu ad pugnam compellerent, Borgias non satis ac curate custoditus, è Velitris Romam profugiebat, vir immanis & scelestæ prorsum sævitiæ, patris ope cohortium aliquarum præfecturam nactus denuo ab urbe amandabatur, ne post fratrem à se occisum patri ipsi vim adferret. Rex audito armorum per Italiam strepitu, Borbonium ordinabat Pro-Regem, cæterum cogebat legiones suas, pugnaturus adversum quoscunque hostes, æquo, iniquo loco, atque ita Romam, profugiente Papa, versus contendebat, nec tamen ingressus Pisas veniebat, receptis ad se militibus, quos in Hetruriæ agris deposuerat nuper, tum porro Liguriam peragrabat, demum in Apennini confiniis ad Tarum amnem cum exercitu hostium, quem Ludovicus Sfortia, Melchior Trevisanus, Franciscus Gonzaga, regebant, confligendo, magna cum strage Italorum viam ferro aperiebat, inde justis confectis itineribus præter Placentiam atque Derthonam, nemini infestus neque ipse ab aliis lacessitus, perveniebat Astam. Cretenses alarii impedimenta ejus omnia, durante prælio abstulerant, quod magnum victoriæ hujus incommodum fuit. Relicti apud Neapolitanos à Rege præfecti & milites, crudelitate, luxuria, fastu permiscebant omnia, itaque cives desiderium Gallorum, quo hactenus ob virtutis opinionem flagraverant, in ardentissimum odium commutabant, & Ferdinandum Regem suum, qui maritimas urbes, Rhegium, Hydruntum, Brundusium, cum valida stipendiariorum ex Hispania adducto-

Phil. Comineus l. 1. 2. 3. 4. 5.

A. C. 1495

A. Ferron. l. 1. histor.

P. Bembus lib. 3.

ductorum manu obtinebat, per nuncios rogabant, ut noctu ad portas, delectis equitum stipatus adesse vellet. Quo facto, cæsis intrà urbem Gallis, Neapolim recipiebat. Carolus procurabat equidem supplementa, ut Regnum citò partum citius amissum recuperaret, verum quod Italici fœderis autores non poterat modis ullis ab invicem separare, desistebat incepto, & cum Ferdinando inducias sanciebat.

Iovius l. 4. histor.

A.C. 1498. XII. Obiit Carolus, nullo relicto filio, eique successit *Ludovicus XII.* Dux Aurelianensis. Hic ferebat sese hæredem Ducatus Mediolanensis, extincta familia Galeaciorum, unde ipse matrem habebat, Valentinam: & Sfortiam, qui ducta Philippi Galeacii ultimi filia notha, procerum consensu regnaverat, malæ fidei possessorem declaratum, semper toleraverat, inermis ipse veritus armatum, nunc temporis Rex ipse à Rege bellicoso armis acceptis, filium Sfortiæ Ludovicum, qui nuper Carolo Regi in Italiam veniendi autor & adjutor fuerat, bello invadebat. Copiis maximis instructus multò minorem Sfortiæ exercitum fugabat, Mediolanum expugnabat, profugo ad Rhetos Sfortia. Administrabat Regis nomine Ducatum Trivultius, Rex copiis abductis in Galliam redibat. Quo percepto Sfortia conscriptas legiones è Rhetis, Helvetiis, Noricis, Burgundis, admovebat Mediolano, factoque celeri progressu urbes omnes ea qua amiserat, facilitate recipiebat. Ne Lauda, Parma, Placentia ejus partes sectarentur, impedierunt Veneti Galliæ Regis amici, & Rex non multum cunctatus, cum viginti millium exercitu, Helvetiorum stipendiariorum imprimis, ducibus Burbonio & Tremollio, repetebat agros Mediolanenses. Antequam res prælio dirimebatur, occultis promissis seducti Rheti, pugna vix cepta, proditionis ejus ignarum Principem, deserebant, ut in hostium potestatem redactus, unà cum illis abiret in Galliam, Laoduni captivus defunctus. Porrò Neapolim aggressurus, hostem invenit Maximilianum Cæsarem, qui pro Imperii feudo adversus Gallos & Venetos conaturus aliquid, compellabat Principes Germaniæ, nec tamen auxilia obtinebat, quantum satis esset. Rex verò, sive promisso, sive præbito auro, Cæsaris animum placabat, ut ferrum successu careret, inde cum Papa Alexandro VI. & Ferdinando Arragoniæ Rege pactum inibat, de invadenda viribus communibus Neapoli, qua devicta Gallus haberet Neapolim, Campaniam, Samnium: Hispanus occuparet Calabriam & Apuliam: Cæsar Borgias duceret

Guicciardinus l. 4. 5. 6. A. Ferronus l. 4. histor.

P. Bembus lib. 4.

Iovius l. 4. Elogiorum num. . .

Ioh. Mariana lib. 27. histor. Hisp. cap. 7. 9. 13 seqq. Ludovicus Tubero l. 8. 9. 10. 11. Comment.

uxorem Carlottam Albrettam Regii sanguinis virginem. Hæc in arcano descripta sunt, clam Friderico Rege, qui bellicarum calamitatum pertæsus nuper Ludovico Regi obtulerat, quod ab eo vellet regnum feudi jure accipere, cumque repulsam tulisset, seque regnumq; suum commendaverat Hispano. Et malebat Hispanus fidem simulare, inque Principem agnatum conspirare, tantum si domestica commoda promoveret. Ludovicus verò Sapientum omnium judicio criminis insignis accusabatur, quod potentem corrivalem in Italiam comiter invitando, privatæ gloriæ æmulum aliquem sibi à latere statuisset, cum quo ipsi perpetuò deinceps luctandum esset.

Paulus Iovius lib. 1. 2. 3. de vita Magni Consalvi.

XIII. Fridericus de Hispani fide in pejus conversa necdum resciverat, copiasque ejus Sicilia evocatas Consalvo duce, urbibus plurimis intromittendo, spoliabat sese regno videns sciensq;. Consalvus Regis sui nomine & imperio occupabat plurimas, terrebat omnes, subitò factus hostis, qui amici specie venerat. Rex Fridericus maturata fuga, donabat partem illam, quam adhuc conservabat, Ludovico Regi, ejusque liberalitate Andegavensem in Galliis Ducatum recipiebat. Sic finivit regnum opulentum, & divisio instituta est secundum vetera pacta, quæque Gallus obtinebat, Nemorosio Pro Regi parebant. Borgias intra & extra urbem Romam cædib9 nefariis permiscebat omnia Columnios, Ursinos, Cætanos proceres dato veneno interficiebat, Varanios strangulabat, ut potitus opum multarum Latii Princeps efficeretur. Hanc infamis seculi pestem urbs perferebat multorum peccatorum deformitate apud Deum rea. Verum esse non poterat, ut gentes duæ contrariis animis studiisque præditæ fidam viciniam colerent, & propinquos adeò fines citra alterius offensam æqualiter servarent. Consalvus exercitum regebat in Calabria, magni vir animi & consilii maturi. Ac quoniam Beneventana vallis dives vectigalibus ex quadrupedum transitu, pars Apuliæ esse censebatur ab Hispanis, ea belli causa fuit. Consalvus occupata valle provocabat Nemorosium, ut hic armis conaretur vallem repetere. Galli non unam cladem Hispanis inferebant, sed Consalvus ubique animis quàm armis major, cunctando, fugiendo, ex insidiis pugnando, efficiebat tandem, ut fame & rerum omnium penuria confecti victores, aut diffugerent, aut perirent. Nemorosius improspero conflictu apud Garilianum occisus, partes A.C. Gallorum valde afflixit, atque 1503. Neapolis milites Hispanicos sub

ductu Petri Navarri & Antonii Leva intromisit.

XIV. Ultima omnium Caseta admisit Hispanos, & Papa regni possessionem confirmavit Ferdinando: Ludovicus perdiderat operam. Veneti hoc bello medii à finibus suis palam utrumque Regem protelaverant, nunc verò Arragonicis partibus, ob fortunæ successum, non obscurè favere deprehensi, & insimul alia moliti, pacem Italiæ novis turbis abruperunt. Cæsar Maximilianus profecturus Romam, ut Papæ manibus coronaretur, Venetorum ditiones cum exercitu suo peragrare cupiebat, quos Imperii Germanici dignitatem veneraturos, ob plurima in Rempublicam illam collata beneficia, persuasum habebat. Sed aliter eveniebat, rejectoque Cæsaris postulato, arma ejusdem in sese convertebant. Ergo ille copias Austria evocatas per agros Veronenses ducebat Mantuam, & Vicentino saltui immoratus, legiones aliquas dimittebat ad Carnos vastandos, quas Livianus Venetus pluribus locis oppressas fugabat. Inde Tergestum expugnabat manu quàm consiliis melior, uti Collega ejus Petilianus dicere solebat. Cæsari non suppetebant auxilia Germanorum, de quibus interpellaverat per Legatos suos, itaque paciscebatur trium annorũ inducias.

Guicciardinus l. 7. 8. 9. 0. Petrus Bizarus l. 17 18. 9. hist. Genuens.

XV. Rex Galliæ dudũ speculatus velitationes illas, antequam pax coiret, de prorogando bello compellabat Cæsarem, & quidem Cameraci habito conventu Cæsar, Gallus, Hispanus, Papa, votis paribus decernebant bellum adversus Venetos gerendum, ut omnibus in continenti sitis urbibus spoliarentur, Florentini à Gallis rogati de fœdere, neutrarum se partium fore promittebant. Ejecerant illi, ab urbe sua Petrum Medices Laurentii filium, tum quod olim Carolo Regi in bello Italico arces aliquas tradiderat, tum quod Hieronymus Savanorola magnus Principis, libertatis amore inductus, hostis, Papæ quoque adversarius, perpetuis concionibus vexaret utrumque. Egregium pietate virum omnibus gratum Papa solus oderat, & incensis eorum animis, quos per dona maxima sibi devinxerat, noctu comprehendi illũm & de patibulo suspendi curavit. Dixerat sæpius, Ecclesiam gemere sub falsorum dogmatum onere, quæ animos perderent, non verò bearent. Petrus Soderinus custos libertatis populi suffragio electus, prudentia & moderatione celebris, omnia regebat, Savanorolæ memoriam pertinaciter colendo, ità vero ut omnis expers odii nequa-

P. Bembus l. 7. A. Ferronus lib. 5. histor.

quaquam se factiosum ostenderet. Pisas armis recuperabat urbem asperrimis diuturni belli periculis efferatam, Politianum certa induciarum pactione ultrò à Senensibus concessum præsidiis muniebat. Sed tamen patriciis haud ita propitiis utebatur, postquam novis hominibus curiam aperuerat, ut Reipublicæ munia nobilioribus debita insolenter usurparent. Interea dum hæc gerebantur, Rex Ludovicus prior expediebat, Tarvisioque capto recta ducebat ad Rivaltum. Occurrebant illi Veneti & primos Gallorum ordines alacriter aggressi, à posterioribus verò depulsi vincebantur, Liviano militiæ Duce supremo captivo, Petilianus alter ductor rebus desperatis, paucis equitum turmis comitatus profugiebat ad Mestrium extremum continentis oppidum. Tunc prono victoriæ cursu dedebantur Bergomum, Brixia, Crema, Cremona, Piscaria. Nec minus alacres in rebus gerendis Germani sub ducibus Rudolpho Anhaltino & Erico Brunovicensi, occupabant Patavium, Veronam, Vicentiam. Prope ab interitu aberant Veneti, cum positis armis supplices adibant Papam Julium, atque is meliori præda satiatus discedebat à fœdere, Immolam, Faventiam, Cerviam, Ravennam, Gratarolam patrimonio suo, velut postliminii jure, reddendo, victoriæque fructum uni sibi arrogando. Ita sensim restitui ceperunt. Galli per noctis silentia mœnibus superatis Tarvisio ejiciebantur, mox & Patavio Germani. Papa verò delectum apud Helvetios instituebat, præterea impellebat Hispaniæ Regem Ferdinandum, ut contentus Brundusio, Tarento, Hydrunte, quas urbes perpetuo jure illi concedebant Veneti, reconciliaretur, armisque conversis premeret Gallos.

A.C. 1509.

P. Bembus l.8. Sabellicus lib.1. supplem.

XVI. Germani sectabantur prædas, fidi Commilitones Gallorum. Mirabatur Papa, eos ita pertinaciter insistere bello, quod ipse non minimum augere volens, ad Genuam, unde Gallis milites, aurum, commeatus liberaliter suppetebant, naves mittebat, commercia prohibituras. Porrò effecturus diris, quæ armis non poterat, censura sacra notabat Regem, eique Christianissimi titulum ereptum donabat Regi Angliæ, si hic vellet armis invadere Galliam. Rex Theologorum suorum conventu Thoruni habito irritas pronunciabat diras istas, tantoque vehementior in persequendo bello, recta pergebat Bononiam Papæque signis ubique deletis, per Romandiolam totam prædas agebat,

P. Bembus lib.9. Ioh. Marianna l.29. hist. Hisp. c.20. 13.14.

Bri-

P. Bembus l. 1. 11. 2 P. Iovius l. 2. de vita Leonis Papa

Brixiam vero capiebant Veneti. Eo progressus Gasto Foixæus obsidebat urbem, expugnabat, diripiebat, octo mille sive milites sive cives ferro mactabat. Ducebat sub signis viginti sex mille viros, inter quos erant delectæ Germanorum turmæ, Cæsaris nomine in auxilium à Jacobo Hemisso adductæ, deque invadenda Roma non leviter cogitabat, positis ad Ravennam castris. Metuens Papa tam celebrem urbem perdere, occurrebat cum validis Helvetiorum, Italorum, Hispanorum duce Petro Navarro copiis, concurrebant acies, miscebantur ubique agmina, periculum, spes, gloria, Papæ copiis ad internecionem cæsis vincebant Galli & Germani, occumbebat Hemissus in conflictu, Gasto victoriæ compos, dum fugientes hostes nimis longe persequebatur, à recollectis Hispanorum turmis cingebatur, & hasta contorta occidebatur.

A.C. 1512.

XVII. Cladi persimilis erat celebris victoria ob magni ducis interitum, milites vero superata Ravenna crudeliter agebant cædibus & rapinis, porro vastabant agros omnes ad ipsam urbis portam. Cardonus reparabat copias Hispanicas, & exoratus à Johanne Medice exsule superabat Pratum oppidum, antequam Florentini de bello propellendo consultare possent. Patricii expassis portis admittebant Johannem, & urbis principatum illi tradebant, Soderinus Romæ obiit. Anxius Julius de rerum exitu, duodecim mille virorum supplementa procurante Matthæo Cardinale Sedunense, ab Helvetiis impetrabat, quos copiis reliquis in Veronensi agro permiscebat Paulus Baleonus Venetorum Capitaneus, & propinquante autumno, cum Galli maturius occupabant hyberna, Mediolanenses agros ingressus, urbem negligentius custoditam, favore civium usus, noctu intercipiebat. Papia, Ariminum, Ravenna ejectis Gallis, ad Papæ obsequium redibant, nec non Bononia, Parma, Placentia. ad Rex tantum servabat Brixiam, Cremam, Cremonam, quem novæ molestiæ insuper onerabant. Cognatus ejus, Johannes Alibretanus Rex Navarræ permittere nolebat Ferdinando Arragonio liberum per agros suos trāsitum, ut Galliam cum exercitu ingrederetur, quamobrem ei diras impactas authoritate Papæ armis prosecutus, partem maximam regni occupabat cis Pyrenen, atque Labrettanus profugiebat in Galliam, ubi amplas clientelas & gentiles habebat. Ludovicus occurrebat hosti, ne is Aquitaniam diriperet, adeoque generum suum Franciscum Valesium jubebat cum exercitu abire ultra Pyreneos montes, & Hispanos præ-

Iovius l. 5. Elogiorum num. 6.

Ioh. Mariana l. 30. histor. Hispanica c. 8. 11. 12 15. Iovius l. 11. histor.

prælio exagitare. Ipſe ad turbas Italicas ſerio reſpiciebat, Cremonamque reddebat Venetis, ut impoſterum illi deſiſterent à bello, Ducebat Tremollius viginti mille viros ad obſidendam Novariam. accurrebant Helvetii, & pugnam validam ciebant intra abruptas caſtrorum foſſas & cuniculos, pedites Germani & Galli viriliter rem gerebant, ſed quoniam non poterant auxilio venire equites, prælio cruento vincebantur, & victores converſis ad equitum ſtationes machinis ingentibus, procul eos ſubmovebant. Sex mille occiſis, ſoluta obſidione, impedimentis omnibus direptis, gloriam militarem inſignem obtinebant Helvetii. Ludovicus Italia ejectus eſt, nec Germani poſt ejus abitum fortunam periclitari auſi, recedebant Vincentiam, & ſub Duce Erico Brunovicenſi provocabant Venetos ad conflictum. Livianus tanta confidentia in prælium ruebat, ut ſolis equitum alis immiſſis hoſtem ſe devicturum ſperaret, verum temeritas ejus non levi clade expiata fuit, cæſi equites terrorem divulgabant in pedites vicinos, ut incompoſito agmine fugientes, quinque mille viri perirent, captivorum numerus major erat, Cæſar pacem inibat cum Venetis, adempto eis Carniæ Ducatu.

M. Stetlerus part. 1. hiſtor. Helvet. l. 9

A.C. 1513.

Sabellicus l. . ſupplemens. Iovinus l. 12. hiſt

XVIII. Papa alterum hoſtem concitabat Ludovico, videlicet Henricum Angliæ Regem, qui in Flandriam advectas claſſe gnaviter depopulabatur vicos, expugnabat Therovannam & Tornacum, poſt quas res geſtas domum redibat, belloque Scotico implicatus, pacem dabat Gallis. Helvetii in Burgundiam contendebant cum exercitu ſedecim mille virorum, cingebant Divionem, ſed auro accepto reddebant pacem, & Rex poſitis armis ſecundam uxorem ducebat, Regis Angliæ ſororem, cumque amori ſenex indulgebat nimium, obiit. Princeps egregius & factis ſuis maximis omnibus major, pietatis cenſor benignus, nec enim paruit unquam Monachorum poſtulatis adverſus Waldenſes in agris Sub-Alpinis, ut ferro & flammis exſtirparentur. Succeſſit Franciſcus I. gener Ludovici defuncti, Dux Angoluſmenſis. Hic fœdus cum Venetis renovabat, ut Mediolanum recuperare poſſet. Contrario fœdere juncti Cæſar Maximilianus, Leo Papa, Ferdinandus Arragonius, Dux Sfortia, Helvetii, de non admittendis Gallis, copias aliquas inſtruebant. Rex veniebat in Italiam via difficili, cumque in Pedemontio occurreret ei Proſper Columna fœderatorum exercitus ductor, fugato illo occupabat

Guicciardinus l. 11. & 13.

A.C. 1515.

A. Ferron. l. 5. hiſtor. Martinus Bellajus l. 1. rerum Gallic. Sabell l. 5. 6. . ſupplem Iov. l. 1. hiſtor.

M. Szetlerus part. 1 histor. Helveticæ l. 10

bat Genuam & civitates omnes Transpadanas. Helvetii stabant ad Mediolanũ, visuri quo Regis copiæ contenderent, adque Marignanum insecuti illas, magno cum impetu, nec satis formata acie, irruebant à fronte, à tergo, à latere, biduique conflictu extracto, pulsi demum loco, postquam Livianus è propinquo audito tormentorum fragore cum novis equitum turmis accurrebat, recesserunt in stativa sua, novem mille viris aut captis aut occisis Livianus cum pugnæ fervore tum Solis ardore succensus, non multos post dies oborta febri decessit. Galli potiti Mediolano captivum Sfortiam dimittebant in Galliam, Parmam & Placentiam eripiebant Papę, velut ab antiquo ejusdem cum Insubria corporis.

Iovius l. 16 histor.

XIX. Cæsar de supplementis militum è Germania evocandis frustra sollicitus, ultra minas vix attulit quicquam. Papa Regis amicitiam per nuncios suos expetebat. Arragonius morte defunctus, tanto minus nocere poterat. Galli vero etiam de occupanda Neapoli consultabant, missusque cum exercitu viginti millium virorum Burbonius, ut obsideret urbem, haut tamen effecit aliquod operæ precium, quandoquidem cives aversos à Gallis animos habebant. Carolus Hispaniæ Rex adeptus Imperium Germaniæ, de promovendo bello cum Principibus Germaniæ serio agebat, utque felicius succederet, Papæ animum donis multis sibi devinciebat. Exercitus Cæsaris sub ducibus Prospero Columna & Ferdinando Davalo capiebat Parmam. Tunc Mediolano propius imminendo, provocabat Gallorum & Venetorum copias, ut sub ductu Lautreccii, Trivultii, Andreæ Gritti sequerentur, itineribus divisis. Quod movebat Davalum, ut festinatò accederet, noctuque urbem superaret, cæsis militibus præsidiariis. Egressus inde, ex itinere confligebat adversus Trivultium, victoque illo Lautreccium cogebat, ut in agros Bergomenses discederet. Parma, Placentia, Papia, Novaria, Comum, Alexandria dedebant sese Cæsari.

A. Ferronus l. 6. & 7. histor M. Bellajus l. 2. Petrus Bizarus l. 19 20. hist. Genuens. Iovius l. 19. 20. 21. 22. 23. 24. hist.

XX. Veris initio Galli novis ab Helvetiæ delectibus aucti per Italiam arma circumferebant. Papiam defendebat Gonzaga Marchio, ad oppugnandam illam conversus Lautreccius, cum frustra mœnibus assideret, ac Prosperi Columnæ legiones auxilio venirent, abibat demum Bicoquam, ubi superveniebat ei Dux Franciscus Sfortia, brevique pugna victum fugabat longius etjam in Pedemontium, Lauda & Cremona veniebant in potestatem victoris. Deficiebant Veneti, Ligures, Florentini, Senenses,

P. Iovius l. 4. 5 6 7. de vita Ferdinandi Davali.

Iovius l. 6. Elog. num 3. Christ. VVurst. l 7 hist. Basileens. c. 11.

nec

nec tamen ista curabat Rex, serioque colligebat novum exercitum, quem Carolus Burbonius in Italiam duceret. Attamen Borbonius privatis litibus æmulorum suorum exacerbatus animi, Rege deserto adjungebat se partibus Cæsaris, ejusque fortunam erigebat admodum. Namque Bonivetus progressus cum exercitu Gallorum, obsidebat Mediolanum, sed ne potiretur urbe hactenus obstabat fortitudo Prosperi Columnæ, qui castra castris opponendo, recreabat præsidiarios. Illo defuncto Carolus Lanovius Pro Rex Neapolitanus militiæ præfecturam suscipiebat, congregatisque Venetorum & Papæ legionibus, recta abibat Mediolanum, fugiebant Galli, multis occisis, plurimis captivis, & Burbonius cum parte exercitus secutus in Galliam cingebat Massiliam. Sex mensibus tolerabat obsidionem, tunc demum Rex ipse cum valido quadraginta millium exercitu accurrebat, hostemq; fugabat. Rex superatis montibus in agros Mediolanenses adveniebat, urbem Tremollii ductu expugnabat, Borbonius laceratas copias suas trahebat post se in Hetruriam, ubi eas per ocium reficere posset.

Sabellicus l. 9. supplement. P. Iovius l. 4

XXI. Rex non curabat, insequi abeuntes, poteratque ipse exercitu optimo instructus tunc temporis omnes fœderatorum conatus evertere, si meliori consilio usus collatis signis pugnare quam urbes capere maluisset. Papiam cingebat, interim Comes Solmensis & Fronspergerus Svevus veterani in Maximiliani castris milites, duodecim mille Germanos in Italiam adductos Burbonio offerebant, quibus suffultus nō dubitabat quocunq; loco hostes prælio excipere. Rebus ergo constitutis Laudæ, abibat cum exercitu Imperiali & pertinacem in obsidenda Papia Regem adortus, vincebat conflictu acerrimo. Eo facilius poterat vincere, postquam Johannes Stuardus Scotus cum duodecim mille viris Neapolim versus abierat. Trivultius victarum partium reliquias deportabat in Galliam Rex captivus mittebatur in Hispaniā. Si vellet esse liber, jubebatur, ut Maximilianum Sfortiam equidem captivum habeat, sed tamen fratri ejus Francisco restitueret Ducatum Mediolanensem, ut Regno Neapolitano in perpetuum sese abdicaret, ut Burgundiæ Ducatum traderet, ut Eleonoram Cæsaris sororem, Lusitaniæ Regis Emanuelis viduam, matrimonio duceret, ut Borbonio exuli veniam largiretur, ut Flandriæ & Arthesiæ jurisdictionem abdicaret. Conditis omnibus illis, & impletis aliquibus, Rex cū Eleonora conjuge sua discedebat. Sed detentionem in captivitate

de vita Levinis.

A. C. 1525.

A. Ferronus l. 8. histor. M. Bellajus l. 3.

tate ulturus, & quod constabat, nolle Cæsarem Francisco Sfortiæ Ducatum Mediolanensem perfectis conditionibus tradere, paciscebatur cum Papa, Venetis, Florentinis, Liguribus, de asserenda libertate Italiæ, adversus Cæsarem. Priores Veneti expediebant, & Landam occupabant. Papæ exercitus sub Francisco Urbini Comite agebat timidius, neque is hostem nisi viribus duplicatis, aggredi volebat. Advenerunt, quanquam serius, legiones Helveticæ & Gallicæ sub ductu Antonii Marchionis Saluciarum, itaque erectus viribus Cremonam expugnabat. Dum vero Mediolanenses agros incursabat, Germanorum auspiciis debellatus, in acie occubuit. Fronspergius evocato Burbonio ad promovendam belli aleam, relicto pro Mediolano tuendo cum parte copiarum Antonio Leva, & in itinere adjuncto sibi Philippo Orangio, territorium Papæ adortus, Romam ipsam prædæ exponebat, Burbonius globo percussus ad Janiculum periit. Orangius compos factus totius exercitus perducta undiq; fossa, arcem dispositis præsidiis circumvallabat, ut Pontificem & maximam Senatorum partem, qui ocyus cum preciosis opibus eo confugerant, in potestatem redigeret, tum vero civibus captivis Germani, Hispani, Itali certatim mala multa ingerebant, libidine & rapinis omnia fœdando. Mox sese dedebat Pontifex & custodiæ inclusus, à Cæsare postulabat certas redemptionis leges. Galli sub ductu Lautreccii superabant Alpes, ut Pontificem depulsis ab urbe hostibus liberarent. Credebatur eorum adventu perculsum Cæsarem Pontifici libertatem donavisse, postquam auro soluto militum stipendia numeraverat, atque illi ad tuendam Neapolim abirent. Galli diripiebant Calabriam, nec tamen ad rerum summam proficiebant quicquam, nam Cæsari novæ Germanorum legiones sub duce Henrico Brunovicensi veniebant auxilio, & à Rege ob non soluta stipendia desciscebat Andreas Doria, Liguriæ prætor.

Iovius l. 6. Elogiorum num. 8.

XXII. Lautreccius perseverabat in cingenda Neapoli, veruntamen quotidianis ab Orangio Principe & Hugone Moncada velitationibus terra mariq; actis vexabatur, annonæque defectu compulsi milites aut seditiosi fugiebant ad hostium præsidia, aut custoditi fame & peste moriebantur. Lautreccius ipse obiit in castris. Petrus Navarrus & Michael Salassus abierunt in agros Aversanos melioris auræ captandæ gratia, quod serò nimis factum est. Orangius direptis castris persequebatur fugientes, Salas-

Guicciardinus l. 4. 15. 16. M. Bellaius l. 4 Iovius lib. 25. 26. 7. 28. hist.

Salaſſus à multis vulneribus ſaucius non diu ſupervixit, Navarrus morbo correptus in carcere obiit, clariſſimus olim miles in Arragonico exercitu, antequam prælio ad Ravennam commiſſo veniret in poteſtatem Gallorum, apud quos deinde merebat ſtipendio ampliſſimo.

A.C. 1529.

Rex denuò pacis leges amplexus duas milliones auri ſolvebat pro belli ſumptibus, filioſque ſuos, quos nuper dederat obſides, recipiebat, Burgundiæ petitionem remittebat Cæſar, & pacis leges deſcriptæ ſunt Cameraci.

VVilh. Bellaius lib. 5.

Sabaudus Cæſaris amicus toto belli tempore arma & commeatum ſemper erogaverat Cæſaris ducibus, Gallis verò eadem petentibus denegaverat. Quamobrem bello eum invadebant Galli, & optimas urbes capiebant, neque potenti Regi Dux ſolus reſiſtere poterat. Genevæ civitas occaſione iſthac uſa contentiones cum Duce habitas abrupit, & luculentis conditionibus Helvetiorum ſocietatem aſſumpſit. Cæſar pro amico intercedebat datis ad Regem literis, ſed inducias tantum impetrabat. Eodem tempore moriebatur Dux Mediolanenſis Franciſcus Sforti?, nullo relicto hærede. Cæſar Imperii feudum adjungebat Hiſpaniæ ſuæ, excluſo Gallo, qui de repetendis armis ſollicitus poſt tot exercituum, tot ſumptuum, jacturam, ad Barbarorum auxilia convertebatur, & Solymannum Turcorum Principem miſſis Legatis compellabat. Erat is apertus Cæſaris hoſtis, quandò & Viennæ obſidionem adventu ejus ſolvere coactus fuerat, & quod navalibus ejuſdem copiis Africana littora defendebantur contrà Barbaroſſæ incurſiones. Sultanus jubebat naves inſtrui, quibus provectus Barbaroſſa in Dalmatiam, expugnabat Caſtronovum, quatuor millibus Hiſpanorum cæſis, qui ſub imperio Franciſci Sarmientæ littoralem oram defendebant.

Iovius lib. 34. 35. 30. hiſtor.

XXIII. Legatos à Rege dimiſſos Rinconum & Fulgoſum, nobiles Ligures, non procul Papia deprehenſos, in vincula ducebat præfectus Mediolani Davalus, mox etiam velut proditores, obtruncabat. Cæſar negabat, ſibi quicquam de facto illo conſtare, verum Rex conqueſtus de violato jure gentium, arma conquirebat undique. Cæſar & ipſe copias ſub Antonio Leva, Franciſco Albano, Alfonſo Davalo, Ferdinando Maurico, educebat, perque Saluciarum agros tranſiens, in Galliam cum terrore omnium perrumpebat, Novempopulanos cohortibus emiſſis deprædebatur, Arelatum & Marſiliam diviſis copiis obſidebat, ſed famis periculo

Guicciardinus l. 17. 18. 19. 20. A. Ferron. l. 9 hiſtor. VV Bell. lib. 6. hiſt. Iovius li. 39. 40. 41. 42. hiſtor.

riculo monitus ut abiret, defuncto in castris ad quas Sextias Antonio Leva, per Taurinorum diciones Italiam repetebat, Pedemontii castella quædam Gallis ejectis, reddebat Sabaudo. Nihilominus Rex Belgicam invadendo, expugnabat Hesdinum, Lucemburgum & Hannoniam rapinis exhauriebat, Sabaudiam vastabat. Hoc in littore præsto labatur adventum Hariadeni, eidem Cæsaris nomine Aurias in mari Tyrrheno occurrebat, velisque potior (dum Turci Rhegium Lepidi ex itinere diripiendo non frustrà morantur) Galliæ littora ad Tolonum carpebat. Appulit demum Hariadenus prope Nissam, fugientibus incolis, arcemque oppugnavit, sed præsidiarii restiterunt acriter, donec cum magno exercitu adesset Davalus, eumque cogeret ad abeundum, captivorum millibus multis in servitutem abactis, nec enim stipendium aliud à Rege obtenturum sese arbitrabatur pirata nobilis. Interim Davalus quoque oppugnabat castella aliqua in Pedemontio, & cum Anguineo Gallico Duce ad Carignanum fortiter præliatus, vincebatur. Anguineus non multò post domi inter convivia & conflictus ludicros è scalis præceps corruebat elisa cervice. Cæsar in Belgio præsens opem ferebat afflictis, Cameraco

VVil. Bellaius lib. 7. 8. 9. 10. hist Petrus Bizarus lib. 1. 22. histor. Genuens.

Iovius l 6. Elogiorum num. 25.

Iovius l 6. Elogiorum num. 21.

ejiciebat Gallos, qui nuper voluntariorum delectu inter Germanos habito, legiones validas Furstenbergio duce acceperant. Carolus idem postulabat, quem Principes Imperii non amplius juvandum esse opibus suis censebant, postquam ille victoriarum tantarum compos ad ornandam Hispaniam suam converteret omnia, Germaniæ nulla ferè habita ratione.

XXIV. Gallus in Montisferrato potitus locis oportunis, terrorem inferebat Mediolano. Cæsar verò etiam copiis refectis non segniter progressus in Campania, direptis ubique oppidis, cæsis incolis, fugatis præsidiis, recta Lutetiam contendebat. Nunquam magis trepidatum fuit apud Gallos, & Rex ipse ab urbe sedicionis metu profugus, in castris degebat cum omni familia. Demum præter omnium spem Cæsar fessus victoriis suis, publico nuncio Legatorum suorum pacem offerebat Regi affini. Sabaudo reddebantur ablata, & Galli cupidè amplectebantur pacem, quandoquidem novus hostis premebat eos, Henricus Angliæ Rex. Is profectus cum magna classe, Monstrolium & Boloniam urbes opulentas in Morinorum continente expugnabat, Dampetrum Gallicum Ducem prælio statario vincebat, naves in Normanniæ portubus accen-

Iovius lib. 43. 44. 45. histor.

cendebat. Magna hæc Anglorum fortitudo erat, sed tamen quod perceperant rumore verissimo de Scotorum motibus, pacem cum Gallis inibant, ut accepta magna pecuniæ summa, locis occupatis decederent iterum. Composito bello non diu superfuit Rex, virulento ulcere in femore
A.C. affectus, quo decessit Princeps
1547. movendis armis intrepidus semper, ducendis verò dubius, eventu plerumque infelix.

XXV. Successit ei filius *Henricus II.* qui Principes Imperii Cæsari suo infensos fœdere devinxit sibi, eoque tempore, quo illi copias in Noricum adduce-
A.C. bant, profectus in Lotharingi-
1552. am, expugnavit urbes Imperiales, Tullum, Metim, Virdunum. Fuit hoc satis amplum militiæ toleratæ præmium, nam Mauritius Elector, postquam captivi Principes de captivitate exiverant, pacem fecit cum Cæsare, & copias suas duxit in Ungariam adversus Turcos: Cæsar verò commilitonem ejus, Albertum Brandenburgicum qui non obscure Gallicam militiam sectabatur, ad se perductum honestis stipendiis, contrà Gallos armavit, & quidem Albertus prælio superatum Aumalium Ducem pepulit Lotharingia, sed Metim frustra obsedit Cæsar, fortissimè defendente eam Guisio, & accedente sævitia hiemis, qua milites ob-

Thuanus lib. 8. 9. 10 11. 12. 13. 14. 15. *hist*

rigebant ferè. Nec minus dubia Cæsaris fortuna apud Italos erat. Gonzaga Mediolani præfectus obsidebat Parmam, cumq; nihil proficeret, ingrediebatur Hetruriam, Senas capiebat. Cives rogabant Galliæ Regem, ut veniret auxilio, impetratisque octo millium virorum copiis, ducibus Comite Petilliano & Hieronymo Pisano, urbe ejiciebant Mendozam Tribunum Hispanum. Verum Hispani sub ductu Garsiæ Neapolitani Pro-Regis novum exercitum instruebant, & Senas obsidebant. Adjungebat se illis Cosmus Medices, militiæ Rector supremus, urbemq; validis operibus cingebat. Stroza eruptionibus factis castra hostiū loco uno fortiter submovebat, inde majora conaturus Florentinorum vicos spoliabat. Dum revertitur, cæsus ad Fojanum oppidum, quatuor mille viros gladio, totidem fuga & captivitate amisit, spoliis omnibus mulctatus. Comes Melenianus & Chapinus Vitellius fame maceratam urbem redigebāt in potestatem Cæsaris, atq; hic legibus certis donabat eam Cosmo velut beneficiario suo. Reliquiæ Gallici exercitus sub Mōlucio duce evaserunt in Pedemontiū, ubi Guisius stativa habebat. Cæsar pactus est annorum 5. inducias deinceps Imperium Ferdinādo fratri, Hispaniā Philippo filio commendavit, monasteriū ingressus.

XXVI.

Thuanus l. 16.17.18. 19.20.21. 22.23.24. histor.

XXVI. Philippus de Regni Neapolitani juribus recenter assertis, lites serebat adversus Papam Paulum IV. Ejus mandato Ferdinandus Albanus & Marcus Antonius Columna cum exercitu aggressi Latium, urbes omnes capiebant, parumque aberat, quin Roma denuo expugnaretur. Depulsis è Tibure Gallis, recta ad urbem contendebant Hispani, quando nobiles plerosque Columniorum partibus occulte favere sciebant, & Albanus ipse nocte obscura tædis illucentibus lustrabat pomærium. Forte quatuor equites ad prædas agendas egressi hostem in propinquo stantem deprehendebant, ac celeriter regressi indicabant civibus, ut diligentiam adhiberent pro conservanda urbe. Papa evocabat Gallos, qui hanc finiendarum induciarum occasionem nacti, exercitum apud Pedemontanos novis supplementis augebant sub Guisio, alium vero exercitum mittebant in Belgicam. Eodem contendebant Hispani & Burgundi sub ductu Principis Sabaudi & Philippi Orangii, urbs Picardiæ San-Quintinum obsidebatur. Hanc defendebat Colignius Galliæ Connestablius, & ne in potestatem hostis veniret, pugnam movebant Condæus, Mommorancius, Telignius. Cæsi
A.C. 1557.
vero Galli, sex mille peremptis acie, octo mille captivis factis, victoriam insignem reliquerunt Hispanis. Revocabatur ex Italia Guisius, ut Hispanorum progressum sufflaminaret, qui tamen victoria contenti, Belgicæ limites defendere tantum velle videbantur, & Guisius contra veteres hostes aliquid audendum esse ratus, Caletum
A.C. 1558.
invadebat capiebatque. Inde Belgicam tentando, expugnabat Duinkerkam, stativisque positis ad Gravelingam provocabat hostem. Stabat commodo satis loco prope littus, cumque Hispani tempus extrahebant cunctando, Anglica classis Reginæ Mariæ jussu profecta (quanquam sero nimis) in Galliam, ad recuperandum Caletum, littus propius legendo, explosis tormentis in proximas Gallorum alas, promovebat Hispanorum conatum, ut multis peremptis, Egmondano duce victoriam raperent. Rex pacem inibat cum Hispano, ejusque exempla illaudata secutus, persecutionem augebat adversus Veritatis testes, quos multos habebat in aula. Ex illis Annas Burgius Senator, qui Evangelicam doctrinam cordato ad Regem præsentem alloquio commendaverat, rogo exurendus damnabatur. Gestiebat Rex ipse spectare, verum infelici vulnere affectus decumbebat. Scilicet dum filiam

suam

suam Isabellam Philippo Hispaniæ Regi matrimonio locabat,& certamina equestria cum proceribus agitabat, Gabriel Mongomerius Comes in decursu adversus Regem, hastile per galeam ejus non destinato ictu adigebat, & oculo dextero eliso cerebroque perfosso, exitium maturabat. Rex nono post die obiit fato illo,quod ei Lucas Gauricus Italus prædixerat, magiæ albæ peritissimus,sed quamPlanetariæ velo obducebat. Obiit Rex ætate, opibus,gloria florentissimus Exculta patris favore studia artium liberalium fovit, insimul vagabantur Magi & Epicurei nullo Numinis certi metu ducti.

Ful. Cas. Bulengerus Henr. Caterinus Davila, Thuanus lib. 25. 26.27.28. 29.30.31.32.33 34 histor.

XXVII Successit ei filius *Franciscus II.* Mariæ Stuartæ Scotiæ Reginæ maritus. Consiliis Reginæ matris, Catharinæ Mediceæ, ejusque complicum, Lotharingii Cardinalis, Ducis Guisii, Ducis Aumalii, obnoxius, pacem prorogabat cum Hispanis, novumque bellum concitabat adversus veritatis testes, qui Patronis utebantur, Antonio Burbonio Navarræ Rege, Ludovico Condeo,Admiralio Colignio. Atque hi,cum viderent, Papæ obsequiũ dolo,vi, minis stabiliri, discedebant ab aula, neq; deerat eis animus, prolatis armis persequendi hostes suos, ubi pacem servare non liceret. Condæus Aureliis deprehensus,ut Regem alloqueretur de prohibendo communi periculo,vinculis nectebatur, & voto plurimorum damnabatur capitis. Rex verò ab irato Deo A.C. 1560. percussus laborare cepit ex carbunculo venenoso post aures nato,atque obiit.Frater ejus *Carolus IX.* successit, usus curatoria parentis Mediceæ, dudum regere populos assuetæ.Navarrhenus & Condæus è vinculis dimissus, Guisio ringente,propitiam habebant Reginam, eisq; nimium indulgebatur, postquam Cardinalis Lotharingius fortunæ suæ regendæ haut compos amplius, proprio nomine jubebat plurima,non requisita prius authoritate Regis. Navarrhenus concedebat Rhotomagum, civium favore pellectus,utq;tantò magis Reginæ animum sibi devinciret,Papæ obsequio sese obligabat, persuasus à Monachis,quod patrium regnum vellet ei Hispaniæ Rex beneficii lege reddere, aut certè opulentum Sardiniæ regnum permutationis instar committere hac una conditione annexa, si Papæ decretis vellet parere.

Bulengerus.

XXVIII. Navarrhenus discedebat Rhotomago, & Lutetiam profectus, decreto subscribebat, quo Condæus frater ejus aula pellebatur. Hic verò inconstantiam fratris perosus colligebat exercitum. Navarrhenus oppugnabat Rothomagum , unde Condæus auxilia opportuna pe-

tere rebus suis poterat, sed machina bellica in femore percussus decedebat, nec urbe, quam vexabat, potitus, nec regno, quod inani spe concupiscebat. Veruntamen Guisius fame pressam redigebat in potestatem suam, civibus plurimis occisis, quos inter Marloratus Theologiæ professor in patibulo appensus est. Reliquit filium Henricum Burbonium, qui cum patruo suo Ludovico Condeo ducebat in Normanniam, duodecim mille viris
A.C 1562. stipatus. Concurrebatur ad Drucium oppidum & quoniam æquo Marte pugnatum fuerat, cæsis ex utraque parte novem millibus, Condeo insuper capto, nondum pacis mentio facta est. Marescallus Sanct-Andreanus Guisii Legatus devenerat in manus Colignii, qui exercitus reliquias è fuga colligendo, Guisium perpetuò à latere sequebatur. Hic stabat in castris ad Aurelias, ubi transfuga Poltrotus explosa bombarda eum necabat. Ejus obitum secuta est non parva rerum mutatio, Condeo liberato.

Thuanus lib. 35. 36. 37. 38. 39. 40. hist.

XXIX. Atque is Rupellam profectus, exulum omnium asylum, ibi velut in tuto collocabat Reginam Navarrhenam ejusque filium Burbonium. Colignius & Andelotius cum sedecim millium exercitu contendebant in Parisiorum agros, positis castris ad San-Dionysium. Eodem properato itinere veniebat Aumalius, & conflictu moto succumbebat, victor Colignius quatuor mille hostes cædebat, & suburbia Lutetiæ depopulabatur. Tum Condeo ad se recepto, in Pictavos abibat, sequebatur Henricus Andegavensis, frater Regis cũ exercitu multò majore, multisq; locis Condei milites ejiciebat, inde ad Bassacũ vicum acerrimo prælio congressus exiguas hostium copias facilè profligabat. Condeus in fuga captus & contra datam fidem occisus est. Ejus loco suffectus Burbonius, Morisotus. certa spe ductus, quod à Germanis suppetiæ adfuturæ essent, tantisper in Aquitania morabatur Andegavensem, donec VVolfgangus Bipontinus cum decem mille Germanis adesset, illo ipso tempore, cum Ludovicus Nassovius & Wilhelmus Orangius è Batavia, milites suos, ne ab ingenti mole Hispanorum, quos Dux Albanus regebat, prorsus obtererentur, ad limites Galliæ deposuerant. Germani superato Ligeri per Burgundiam vadendo in castra Burbonii veniebant, ubi correptus febre Bipontinus decessit, imperiumque delatum est Volrado Comiti Mansfeldico. Tantis viribus instructi Burbonius & Colignius obsidione cingebant Pictavium, sed cum perciperent nuncio, quod Andega-

degavensis non procul abesset, soluta obsidione, petebant agrum Lugdunensem. Inhærebat vestigiis eorum Andegavensis, & prope Mongonturum inclusos debellabat. Verum Borbonio quamvis toties victo non tamen deerat miles, quem sedecim millium virorum in Narbonensium & Santhonum agris reparavit, inque Aquitaniam dimisso Colignio terribilia Regi arma circumferebat, Normanniam vastabat.

Thuanus lib. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48 legi ;

XXX. Rex & proceres datarum acceptarumq; cladium pertæsi, offerebant pacem. Nobilibus liceret sacra & religionis suæ exercitum domi peragere, populo in suburbanis. At pacis tempore de novis insidiis cogitabatur ab illis, quorum intererat, piorum sanguine imbui terrã. Papa cum Rege consilia sanguinaria per literas conferebat de exscindendis Reformatis tunc videlicet, cum præsentes in nuptiis, quas Rex Henrico Burbonio & Margaretæ Vallesiæ, sorori suæ, apparabat, Lutetiæ adessent. Galli destinatã

A.C. 1572. lanienam, latronum turmas ducente Guisio, magnã sævitiã perpetrârunt in festo Barthol. nobiles, ignobiles, viri, fœminæ, senes juvenes citra delectũ occisi multo sanguine imbuerunt omnes tota Gallia urbes, fide publica non obstante, non Regis verbo, qui peregrinis omnibus vitæ opumq; securitatem spoponderat. Cadavera in lutum provoluta, vulgi ludibrium erant, opes direptæ sunt. Numerus cæsorum septuaginta millia, erantque inter hos Colignius. Solus ille perfidorum ictibus præ cœteris appetitus, omnino mori debebat, itaque nuper à Lupara egressum, ut domum suam adiret, bombarda feriebat Morevillius latrunculator, decumbentem è vulnere haut aspernatus ipse Rex invisere, verbis compotis ad faciendam spem erigebat, vix dolorum memoria perierat, cum inter millium multorum ejulatus per viciniam strepentes advolabant Guisius, Engolismæus, Aumalius, unius mortis plures testes futuri, domoque effracta imperabant Cossenio tribuno, ut Colignium gladio foderet, cadaver projiceret. Hoc ustulatum prius, deinde capite resecto, ad patibulum suspendebatur pedibus in altum sublatis, donec ablatum noctu vili sepulchro inferendum curaret Franciscus Mommorancius. Ubi hoc Romæ auditum est, Papa decrevit supplicationes apud templa omnia pro effuso Christianorum sanguine, & Rex cudi jussit nummos argenteos cum hac Inscriptione: Pietas excitavit justitiam, Burbonio & Condeo vita donabatur, quoniam Regis agnati & propinqui essent ob recenter pactas nuptias.

XXXI. Nec tamen inulti perierunt. Comes Mongomerius periculo vitato devenerat Rupellam, & bello deinceps strenuus, multa millia rasorum & latronum in Narbonensi dicione vicinisque regionibus neci dabat. Missi cum exercitu Bironius & Andegavensis obsidione cingebant Rupellam, Castræus eodem tempore Sancerram infestis legionibus petebat. Utrobique crebris ad mœnia præliis res gerebatur, fames intus crudeliter pervastabat omnia, durabatque patientia pro libertate conscientiæ usq; ad supremum spiritum, quando etiam humanæ carnes erutis de sepulchro cadaveribus comedebantur. Veniebant auxiliares copiæ ab Anglis adductæ, quibus territus Andegavensis & porro morbis per castra euntibus, demum quod Polonorum Legati Gentis suæ regnum ei deferrent, pacis æternæ leges Regis authoritate confirmatas describebat, ut cives in verba Regis jurarent, ut memoria rerum omnium hactenus cum alterius injuria gestarum aboleretur, ut Religionis exercitium liberum permitteretur. Multum adjuvabat roboratæ pacis conditiones Frãciscus Alanzonius, quem nuper Ludovicus Nassovius secretò convenerat Blamontii, eique de tradenda Belgica spem magnam fecerat, qua ut potiretur ille, civiles turbas componere per Galliam conabatur, & exercitum contra Hispanos instruebat. Rex non multo post correptus morbo, sanguinis profluvio per os, nares auresq; vitam finivit, nullo relicto filio.

Thuanus l. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. hist.

A.C. 1574.

XXXII. Proinde *Henricus III.* frater, qui Poloniæ regnum paucis mensibus obtinuerat, ferociæ gentis pertæsus, Cracovia deserta reversus est in Galliam. Eum in itinere deprehensum Maximilianus Cæsar invitabat in aulam, mensæque adhibitum saluberrimis monitis erudiebat, ut in Religionis negocio lenitatem potius, quam remedia asperiora usurparet. Lutetiæ suscepto homagio decessoris sui acta omnia pronunciabat rata, solum quod de religionis negotio non perinde Burbonio & Condæo gratificari vellet, Papæ, Reginæ matris, Guisiorum ducum gratiam amittere veritus. Hoc commodum accidebat Principi Alanzonio, qui se ducem sediciosorum futurum, palam indicabat fratri Regi, nisi is pacem Religiosam confirmaret, ut viribus integris ad Belgas juvandos iretur. Casimirus Palatinus Comes evocatus à Condeo maximas triginta millium copias adducebat, qui cum metiri Galliam sub signis inciperent, terrorem vulgabant undique, neque Regis aula satis tuta esse videbatur, è qua venationis præ textu

Bulengerus.

Thuanus l. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67.

A.C. 1576.

textu diſcedebat Burbonius & in
caſtra veniebat. Rex circumſtan-
te undique repentino tumultu,
imparatus ipſe à milite, & deſer-
tus à Guiſiis, quos opem laturos
ſperaverat, animum mutabat, pa-
cemque Religioſam, annitente
Regina, promulgabat, edicto Ja-
nuarii. Germanorum exercitus
fruſtra venerat, & Alanzonius re
conciliabatur fratri. Liberati Ger-
manorum metu Principes Guiſii
A.C. inſtituebant Ligam ſanctam, no-
1577. mine ſpecioſo, quod majorum ſa-
cra viribus omnibus defendere
vellent adverſus quoſcunque ſe-
ctarios.

Thuanus XXXIII. Hoc pernicioſum fœ-
*l.*8.69. dus Rex aliquando per ſummam
70.71.72 imprudentiam Bleſis in conſenſu
73.74.75. procerum, autoritate ſua firma-
76.77.78. vit, quanquam hoc feciſſe, palam
79.80.*hiſt* videri nollet, eoque animi tepore
uſus, multos utriuſque partis ſe-
ctatores non leviter afflixit. Papæ
nuncius de Rege abdicando inq;
monaſterium relegando, Guiſiis
autor erat, qui altius quam ſaluti
Regis expediret, civium animos
occupaverant. Neque iſta animi
præſentia inſtructus erat Rex, quæ
ad conficiendum negocium tan-
tum requirebatur, mollis, timidus
amoribus uxoris deditus, qui-
que privatus, Carolo fratre re-
gnante, imperio digniſſimus eſſe
credebatur, iſtam de ſe conce
ptam, non modo Gallorum, ſed
quoque exterorum opinionem
fruſtratus eſt, ac faſtidium ſui re-
pente excitavit. Tandem exerci-
tus colligebatur ducibus Alanzo-
nio & Mainio, nec minus Refor-
mati contra Ligiſtas inſurgebant
armis ſub Burbonio, Condeo,
Danvillano. Certabatur minutis
præliis in Pictonibus, demum ve-
ro Alanzonius maturato diſceſſu
ad Belgas, nec feliciter geſtis rebus,
iterum ad Gallos ſuos è populis il-
lis reverſus, partes Regis nec con-
ſtanter, nec bene ſatis defendebat,
paulo poſt nō ſine veneni ſuſpicio-
ne defunctus. Rex fratris ſui mor- A.C.
tem inter proſpera numerabat, 1584.
quo tamen in conſervanda pace
publica nemo operam meliorem
navaverat. Guiſius adjuncto ſibi
Carolo Burbonio Cardinale, per
literas cum illo agebat de Regis *Hottoman*
prope inſtanti fato, quando ſine fi- *nus in ful-*
liis moriturus eſſet, neque Henri- *mine bruto.*
cus Burbonius ad capeſſendū re-
gnum quanquā legitimus hæres,
admitti deberet ob ſtudium novæ
Religionis Papæ Sixti V. excom-
municatoria Bulla damnatum,
quodque Reginæ Matris odio
laboraret.

XXXIV. Revulgata per inter- *Thuanus*
ceptas literas, Navarrhenus con- *l*8.82.83
ventu actu Montalbani, decerne- 84.85 86.
bat porro jus ſuum armis perſe- 87.88 *hiſt.*
qui. Condæus pecunia Anglica-
na inſtructus cum Soiſſonio &
Chaſtilioneo militum delectus
per Santones & Vaſcones habe-
bat. Nec ſegnius agentes Maynius

ac Guisius irreconciliabilibus turbis Lutetiæ permiscebant omnia, Regem ipsum in vincula ducturi, qui cum Helvetiorum custodia octo millevirorum ab urbe plena sedicionum digressus, Blesas incolumis perveniebat. Cumque serio perpenderet, quantam authoritatis suæ jacturam fecisset, Monachis impune & importune omnia agentibus, sequiorem illam animi indulgentiam excutiendo, Navarrheni jus stabiliebat consensu suo. Guisium vero (cui de regno tradendo spem fecerant Papa, Hispanus, Sabaudus, Monachi,) rebellionis ducem, quiq; lanienæ Parisiensis administer supremus fuerat, ad se evocabat, velut in consilio adhibiturus eum pro regni bono, venientem lictoribus subito dedebat & capite mulctabat, Burbonium Cardinalē includebat carceri. Maynius indignatus admodum super fratris cæde, bellum sacrum vulgabat contra Regem, tanto cum furore, ut Regis insignia dejecta Lutetiæ, non dubitaret ludibrio exponere. Rex bellum non recusabat obtrusum sibi à rebellium ductoribus, & vero Maynius, ut implacabili suo adversus Regem odio satisfaceret, copias educebat in prælıū, cæsusque redibat Lutetiam, urbis curā demandabat Aumalio. Quod ille armis efficere nō poterat Monachi fraudibus suis promoverūt. Jacobus Clemens Dominicanus cum literis ablegatus, quas ille à Parlamento obsignatas traderet Regi, veniebat in castra ad Lutetiæ portas deposita, precio conductus à sorore Manii, ut Regi vitam eriperet ad secretum colloquium invitato. Rex coram admittebat latronem, dumque literas perlegeret, ocyus expediebat Monachus cultrum veneno perlitum, regisq; ventrem fodiebat, è quo vulnere intra quatuordecim horas decedebat, herede scripto Henrico Navarrheno. Princeps optimis ingenii & corporis dotibus ornatus, quas ignavia & per desides voluptates fere corrupit. Latro eodem cultro quo Regi fulvus inflixerat, ab ipso jugulatus, & satellitum furore in frustra laceratus periit. A. C. 1589.

CAPUT IV.

De rebus gestis Regum Galliæ è familia Burboniorum.

I. Zampinus rabula quidā consarcinabat schedā, qua probare conabatur, Navarrhenum jure successionis spoliari posse, & Patronus causæ accedebat Papa Gregorius XIV. Toto regno perstrepebant nebulosæ bullæ & iniquæ declarationes, populus à Monachis commotus, ut hære-

Bulengerg Morisotus, Ardovinq Perifeix.

hæreticum execrabatur Navarrhenum,& sediciosis vocibus alterum Guisium petebant Regem. Navarrhenus cum exercitu suo stabat in castris ad Rotomagum, mediocri illo, nec minus tamen ausus pugnare adversus Mainium, qui propè Dipas venerat, millibus aliquot cæsis, reliquos in fugam vertebat. Inde Parisios contendebat, & suburbium Germani capiebat, instrumentis bellicis potitus, occisis quatuor mille præsidiariis, neque quicquam ei tunc ad prorsus expugnandam urbem deerat præter voluntatem: sed parciturus militum sanguini, & perniciem cædis rapinæque prohibiturus à civibus, abducebat copias in Normanniam, necessariam militi tot laboribus defesso requiem concessurus. Maynius in Belgium profectus à Parmense Duce petebat auxilia, obtinebatq; Philippum Egmondanum cum firmo Hispanorum agmine. Inde Navarrhenum fidenter aggrediebatur in stativis ad Drucium, sed acie inferior, Egmondano per empto, Lutetiam paucis comitatus fugiebat. Eo tempore Cardinalis Burbonius Fontenaii in Pictonibus ex calculi doloribus obiit,& verò Maynius tanta clade affectus denuò opem rogabat à Parmense Gubernatore, relicto Carolo Nemorosio, ut curam urbis gereret, eique adjuncto Mendoza Tribuno Hispanico.

Thuanus lib. 9. 90. 91 92. 93. seqq. hist.

II. Navarrhenus subactis castellis vicisque, affligebat Lutetiam, ut rerum omnium inopia laboraret, milites ac pariter cives vix sufficiebant ferendis armis, victitarum equis, canibus, muribus, inde fœdi morbi sequebantur, quibus multa millia hominum absumpta sunt. Navarrhenus ad vim faciendam disponebat tormenta, sed de Parmensis adventu edoctus per exploratores, urbem deserebat,& Caletum usque profectus explicata acie, misso feciali, provocabat Mainium, ut prælii copiam faceret, regnique calamitatibus finem imponeret. Verum ille bellum quàm prælium malebat, contentus, quod urbem liberavisset, neque Rex hostem, qui aggeribus fossisque muniverat castra sua, detrimentosis incursibus turbandum putabat, servabat ergo incolumem exercitum, ejusque partem aliquam tradebat Bironio, ipse in Narbonenses agros discedebat, spatiumque Parmensi dabat, plures in Sequanæ ripa urbes expugnandi, & annonæ plurimum deferendi Lutetiam. Quo facto repedavit in Belgium, milites ejus Italicæ & Hispanicæ gentis, infensi maximè Gallis, miserè vexabant cives, multos occidendo, in quibus erat Brissonius Curiæ præses, vir

vir summæ eruditionis. Eum Cromæus Tribunus proditionis accusatum, suspendio puniebat. Porrò datis ad Regem Hispaniæ literis hortabantur eum, ut occasione usus totam Galliam perdomaret, quandò ipsi Regum sedem in potestate sua haberent. Literas istas Chaseronus nobilis intercipiebat, & Navarrheno offerebat, hic porrò ad Maynium, qui tunc in Suessionibus arma circumferebat, enunciando, Viri ejus animum permovebat, ut de Hispanorum infida societate repudianda cogitando, Lutetiam celeri itinere excurreret, factiosos exquireret, multos laqueo perimeret. Eadem via secutus Navarrhenus, ad Rothomagum substitit. Repentè accurrebat Maynius cum exercitu Hispanico, neuter in alterum pugnare ausus est, ac Navarrhenus quidem solvebat urbis obsidionem. Bironius in abitu persecutus Hispanos, velitando cædebat plurimos, Parmensem ipsum vulnerabat in brachio, qui copias suas cum morbis ac fame luctantes per Sequanæ vada abducebat.

Thuanus lib. 100. 101 102. 103. 104. 105. 106 *seqq. histor.*

III. Eum persequi debuisset Bironius cum equitatu, quo maximè superabat hostem, verum malebat in Campaniam ducere, ut Maynio propior esset. Hic copiis instructus majoribus ac quidem præviderat Bironius, victoriam obtinebat, Bironio fugato, inde comitia Lutetiæ indicebat pro Rege creando Papisticis sacris dedito. Ernestum Austriacum offerebant Hispani, Isabellæ maritum futurum. Ejus rei fama permoti proceres & Parlamentorum Senatores, nuncios ablegabant in castra Navarrheni, videlicet Sconbergium & Revalium. Navarrhenus anxius dudum, quod natus imperio sola religionis specie arceretur, multis quoque Procerum hanc ob causam impediri se testantibus, quò minus auxilia ipsi submitterent, attritas sibi vires atque alios summæ spei proximos, amicos inter laudantes honestam constantiam aut suadentes profutura, incertus volutabat. Tandem quod nihil crederet sanctius regni quiete, & Principum commonefactione invitatus, ut uno ictu concideret quoscunque hostium conatus, Evangelicam Religionem deserebat, atque Romanæ Ecclesiæ professionem amplexus, veste candida, nudis pedibus, ardentem candelam manibus tenens, fanum Dionysii supplex ingressus, ab Archi-Episcopo Bituricensi receptus & in auguratus majorum sacris, Missam devotus audiebat, cruci & altari figebat oscula. Unicum hoc pacis obtinendæ inter cives medium esse videbatur, & ur-

A.C. 1593.

urbes omnes Regi juramentū fidelitatis præstabant. Sabaudus pacem rogabat, & Papa absolvebat Regem publicis feriis, Nivernio Duce, Regis legato, præsente & urgente. Hic utrisque primum partibus, unde abierat, & ad quos venerat, suspectus, salubri deinde moderatione, his maximas potestates, tuta illis sacra & partem honorum largiendo, spem vicit, & diversissimos antè composuit, nisi paucos, quantum acceperint ignaros, quos nulla unquam felicitas, aut nulla ultio expleverit. Nec tamen Hispanis placebat, quanquam Papæ obsequio sese adstrinxerat, ut etiam crudeli bello Galliam infestarent. Albertus Gubernator Belgicæ non exiguos progressus faciebat, Caletum, Ambianum, urbesque alias in Picardia & ad Somonam corona capiebat, pulsis incolis Gallis, eorumque loco Belgis suffectis.

Rodolphus Botereus.

IV. Maynius in castris Hispanorum militabat, necdum satis credere sese ausus Regis manibus, qui Meloduni à sicario quodam, Johanne Chastello, petitus cultro, aberrante ictu in facie percussus, vulnere haud lethali, convaluit tamen, latrone in frusta dissecto primum, ac deinde exusto. Bullioneus vastabat Lucemburgum, Arthesiam, Flandriam, Hannoniam, & Maynius venalem operam apud exteros circumferebat, donec viri sibi cognatione juncti misertus Rex, per Ligneracum Ducem sibi reconciliaret, eumque in gratiam reciperet. Papa demū, nuncio misso Alexandro Mediceo, pacem firmam procurabat, ista lege, ut secundum fœderis Cameracensis pacta limites utrinque restituerentur, ac Sabaudus, quandò Saluzias in Alpibus sitas per internos Galliæ tumultus nuper occupatas retinere vellet, Regi Bressæam provinciam permutando traderet. Dabatur quoque Pax Religionis exercitio libero, edicto Nannetensi, quod post abitum Nuncii Italici toto regno promulgatum est. Compositis bellis civilibus, reducta pace, certo hærede stabiliturus regnū, à Pontifice divortium ab Margareta Valesia, invisa olim, nec bono rumore, & tot annis infœcunda exorabat, conjugemque aliam ducebat, Mariam Mediceam, claram morum. Porrò factiosis (inter quos Bironius, cæterum fortis miles, Sabaudi verò auro corruptus, ut Regem veneno tollere vellet) supplicio affectis, rerum summam firmaverat admodum. Ortæ deinceps lites in Imperio Germanico, propter successionē in Ducatu Juliacensi, hunc quoque Regem ad arma ferenda impellere posse creditum fuit, & sane conscripserat ingentes sexagintà millium copias, dubio procul maximi operis expeditionem (de qua tamen nemini liquidò satis constabat)

Thuanus lib. 18. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. seqq. histor.

A.C. 1598.

Petrus Matthia.

A.C. 1602.

stabat) aggressurus, miseratque
legiones aliquot ad Rhenum, cum
A.C. latro Fraciscus Ravalliacus Engo-
1610. lesmius eum regali curru in Pari-
siorum urbe vectum invadebat, &
cultro venenato sub quinta costa
in pectore sinistro confodiebat,
ut subitò animam cum multo san-
guine funderet. Latro oleo ac sul-
phure percoctus, inde concisus
frustulatim, atque igne exustus
est, ne tumulum inveniret qui hu-
manitatem exuerat.

V. Ità occubuit Rex Magnus,
qui dum constans erat in veritatis
professione, adversus hostium
mille insidias tutus perstitit: ast
cum deficeret impetitus latronum
manibus, una vice sauciatus, alte-
ra cæsus vitam & regnum depo-
Gramon- suit. Successit ei filius Ludovicus
dus, XIII. hactenus impuber, curam e-
jus gerente matre Anna Medicea.
Hanc unicè regebat Marchio An-
creus, è Florentinis nobilibus ad-
vena, & ob id conqueri ausos,
Condeum, Nivernium, Mainium,
Bullioneum, Regis propinquos,
criminationib. in aula obruebat,
quod sedicionis occasionem am-
plam quærendo, Reginam vellent
armis in ordinem cogere, Regem-
que juvenem moribus suis assue-
facere. Credula nimis Regina, po-
pularis sui potentiam insuper au-
gendo, exercitũ colligebat, Prin-
cipes rebellionis accusabat. Qui
perinde arma capiebant, & confli-
ctu adversus Ancreum habito non
procul à Parisiorum urbe vince- A.C.
bantur, Condeus in vincula duce- 1598.
batur. Principes cœteri per explo-
ratores suos urbem ad sedicionem
commovebant, neque hęc poterat
componi, donec Rex, impulsore
cumprimis Richelio, unico & fidis-
simo arcanorum Regis arbitro, e-
vocatum ad se Ancreum, publico
& internecino odio laborantem,
juberet in palacii limine globis A.C.
confodi. Cadaver ejus à plebe fu- 1617.
rente dilaceratum est, atque ità
conquievit Galliæ tempestas, di-
misso Condeo, in gratiam rece-
ptis cœteris.

VI. Externis bellis cum successu
gerendis nunquam defuit. Primũ
fuit pro vindicanda Rhætorum
libertate, quibus Hispani adem-
ptam Vallem Tellinam, certis
legibus Insubrię suę adjungebant,
occisis quicumque Religioni re-
formatæ favebant, Antonio Para-
vicino & Kudolpho Planta latro-
num ducibus. Sed hos Rhæti pro
Religionis libertate non minus,
quam Vallis dominio retinendo,
armis opprimebant, captivumque
Plantam, in furcam agebant.
Rursum sediciosi à Duce Feria In-
subriæ præfecto, copias octo mil-
lium virorum, sub ductu Comitis
Balderoni impetrabant, eisque so-
ciatus Leopoldus Norici Princeps
totidem mille viros adducebat,
ferro flammisq; devastantur Rhæ-
torum agri. Hi auxilia petebant à
vicinis Helvetiæ pagis, cumque
vel

vel modica vel prorsus nulla accepissent, ipsi potentissimis Europæ Regibus impares armis, pacē, quamvis iniquam, Lindaviæ conventu Legatorum habito, amplectebantur. Dictæ sunt leges, ut partem aliquam dicionis Austriacus, partem aliquam Insuber retineret, ut Vallis Tellina potestatis suæ esset protectore assumpto Hispaniæ Rege, ut reformata sacra prorsus inde excluderentur. Serius tamen & post leges dictas, Helvetii Solodurae congregati, pactis illis contradicendo, bellum renovabant, & à Galliæ Rege supremum militiæ ductum stipulati, ad fœdus idem pertrahebant Venetos, ac Sabaudum. Exercitus duce Coeverio superatis Alpibus, Engadinam dicionem, Vallemq; Tellinam pervagabatur, Hispanis undique ejectis. Ad Rivam cum Austriacis pugna dubia congressi, de summa rei conficienda laborabāt. Sabaudus bellum gerebat in Liguria, eique Aldigherius Galliæ Mareschallus decem mille viros addebat. Vix trimestre erat, cum universam Liguriam Savona & Genua exceptis, occupabant hostes, prælio quoq; ad vicum Ottagam victores. Demum intercessi Papa, & Monsonii pacem novam stabilemq; evulgavit omnium consensu, his legibus, ut Rhætorum agri dominis suis redderentur, ut Vallis Tellina Rhætorum dominio subesset, ut Vallis incolæ sacra Papistica unicè colerent.

VII. Interim Bearnenses compellabat per Legatos suos, ut libertatis ejus, quam majorum indulgentia hactenus conservaverat, jura sponte abdicando, pares cum Gallia reliqua leges susciperent, ac Papistica sacra certis locis restaurarent, bonis traditis, undè Monachi postliminio reversuri v ctitarent. Neutrum illis placebat, itaq; bello in Aquitaniam progressus Nemausum, Montalbanum atque cæteras urbes expugnabat, dejectis ubique mœniis, templa multa reddidit Monachis, privilegia omnia detraxit. Porrò maximis apparatibus obsedit Rupellam, & cæso Duce Rohanio, qui terrestres copias pro libertate gentis suæ collegerat, mox etiam profligata classe Anglorum quam subsidio adducebat Bukinghamus, demum Tremollio & Aldigherio, præcipuis Reformatorum patronis, ad capessendam Religionem Papisticam, liberiori conversatione persuasis, urbem omni ope spoliatam capiebat. Leges dictæ sunt, ut Reformati prorsus emigrarent Rupella, Olerona, Privatia, in locis aliis habitarent Papistis immixti & libero exercitio religionis purioris usi, vita fortunisque salvis, tantum ne conventus unquam agitarent citrà requisitum Regis consensum. Bukingami Ducis negligentia an studio extractas fuisse belli calamitates, ut civitas ad extrema redacta A.C. 1628.

veniret in manus Regis, fama e-rat, adeoque ille domum reversus, à Feltono milite cultro in pectus depacto occisus est.

VIII. Maximus omninò hic Regis triumphus erat, postquam urbs illa mœniis ac incolis validissima Reges suos vel terruerat vel timuerat, multis annis hactenus. Pacem facilem dabat, ut bellis externis commodius frueretur. Vincentius ultimus Dux Mantuæ & Montisferrati obierat, ejus proximus hæres erat Carolus Nivernius, atque ille misso filio suo Carolo Rhetelio occupabat utrumq; Ducatum, pro quo tamen ei lites intendebant Dux Sabaudiæ, qui Montisferratum sibi tribuebat, & Dux Guastalæ, qui Mantuanam dicionem ad se pertrahebat certis rationibus. Sabaudus à Cæsare & Rege Hispaniæ subsidia petendo, non omninò frustra erat, adeoque præfectus Insubriæ Cordua ponte super Padum instructo, viginti millium virorum copias educebat in Montisferratum, duodecim mille viros tradebat Montenegrio, ut Mantuanos agros infestaret. Sabaudus ad Trenum longinquam obsidionem moliebatur, præcipuum Montisferrati propugnaculum, namque alteram, nec inferiorem opibus urbem, Casalem oppugnabant Insubres, donec perpetuis imbribus auctus Padus admoneret eos de communiendi castris. Nivernius instabat apud Regem, ut maturaret auxilia. Veniebat ad eum Questembergius Cæsaris Legatus, postulabatque deditionem urbis, quandò Cæsar dominus feudi cognitionem de lite inter hæredes orta sibi reservasset integram. Diffidebat Nivernius, atque interim Sabaudus potitus Treno, quadringentos Gallos occidebat. Corduba pertæsus ocii castrensis, Serbellonem Tribunum cum octo millibus emittebat, ad tentandam Nissam in Alpium aditu sitam, qua Galli fortè transituri erant. Has copias ex insidiis obruit, ipsoque duce perempto, fugavit Rhetelius, urbi commeatum inferendo, sed tamen non multò post à recollectis Hispanorum turmis, Spinola duce, expugnabatur. Rex molestè ferebat, Nivernium hoc uno nomine, quod Gallus erat, armis Hispanicis premi, legiones equestres sub Criquio Mareschallo præmittebat, ipse cum exercitu maximo sequebatur, & Sabaudum Hispanis fœderatum, qui montium angustias obsederat, profligabat, Susis captis, totam regni molem Italiæ immissurus, nisi Cordua deseruisset obsidionem Casalis urbis. Satis visum Regi, armis effregisse montium claustra, & Nivernii copias auxisse, ut contrà hostium irruptiones sese defendere posset, cæterum regressus Susas, leges istas dicebat: Sabaudus habeat Tre-

A.C. 1629.

num, Hispanus retineat Nissam, reliqua Nivernius occupet, donec Cæsaris arbitrio res componatur.

IX. Hispani indignabantur, quod Rex invisum accolam obtrusisset eis veluti bello, & proinde Cæsaris auxilia evocabant sub ductu Collati. Germani profecti in Rhetiam, expugnabant Curiam & Majenfeldiam, inde per Cremonensium fines in Mantuanum agrum adveniebant, ejectisque Gallorum præsidiis, bellum totum intrà unius Mantuæ urbis mœnia redigebant. Spinola obsidebat Casalem vice altera, sed à Rege missus Richelius copias Italicas novis supplementis ubique reficiebat. Sabaudus quoque violata pace Gallos oppugnabat, & Richelio domum reversuro arma objiciebat, proinde Galli Pinarolum, castrum montanum adorti, capiebant in Spinolæ oculis, perque vallem Petrosam in Delphinatum regressi, adjungebant sese Criquio Marescallo, novam expeditionem adversus Sabaudum molienti. Nec Galli tantum, sed Veneti quoque Nivernium juvabant, ac exercitum duodecim millium virorum sub Candale duce mittebant, qui non semel ex itinere cæsus, ad Vallentum, ad Puteolos, frustrà conabatur Germanos ab obsidione Mantuæ depellere, Veronensium & Brixianorum agri devastabantur. Proinde Veneti ad fines suos tuendos copias novas adduxisse contenti in Veronensium agris stativa locabant, & verò Germani urbem nocturna demum irruptione capiebant, ubi numerus militum ob contagionis sævitiam admodum imminutus erat. Nivernius profugiebat in arcem, sed machinis admotis cogebatur, ut faceret deditionem, & Ferrariam incolumis abiret. Rex bellum gerebat in Sabaudia tanto cum rerum successu, ut Carolus Princeps terris suis omnibus profugus, Turinoque conclusus, eventum belli trepidus exspectaret. Verum post captam Mantuam, & quod maxima pestilentiæ vis exercitus omnes Germanorum, Gallorum, Hispanorum perinde vexabat, armis positis omnes Ratisbonæ congregati, Cæsar, Gallus, Hispanus, Sabaudus, has pacis leges describebant, ut Montisferrati partem acciperet Sabaudus, reliquam traderet Nivernio, Nivernius in publica fide acciperet Ducatum Mantuanum, Gallus ablata restitueret Sabaudo, Pinarolum & Vallem Perosam dato precio, si vellet Sabaudus, regno suo adjiceret.

X. Pax duravit paucis annis. Cum enim Germanico bello, quod Cæsar ad augendam potentiam suam invidioso prorsum successu gerebat adversus Imperii proceres, eisque confœderatos Suedos, multa conaretur ille cum

detrimento Gallici regni, imprimis, quod Lotharingiæ Ducem, subditum Regis, rebellionis damnatum sibi obligando, contrà amicitiæ jus egisset, nec monitus quamvis, profugum Ducem vellet destituere, novo bello occasionem præbuit, idque feliciter in Germania cessit Regi, debellato Lotharingo, Burgundia, Arthesia, Flandria evastatis, devicta Alsatia.
A.C. 1643. His gestis obiit Princeps magnæ virtutis, cognomen Justi adeptus, quod Principes alios afflictos, florentissimus ipse, autoritate & opibus suis juvisset, ne à potentiori hoste, qui omnia armis arrogabat, opprimerentur. Successit ei filius Ludovicus Theodosius, paternæ virtutis ac fortunę hæres, qui expeditionem adversus Cæsarem victoriis multis finivit, cumque Hispanis in Belgio & Arragonia armis decertare perrexit, domi usus sapienti consilio Mazarini Cardinalis, foris Condei Principis dexteritate, victor sæpius. Hic in Flandria commisso ad Lencium oppidum prælio, vincebat Leopoldum Archiducem. Regis fortuna eximia fuit, dum sine litibus erat. Condæus per Aquitaniam procerum & civitatum favore immodico nixus, vetera Burboniæ gentis jura ac privilegia, olim per Ludovicum XIII. expeditione adversus Bearnenses, abrogata, volebat restituere. Negabat Mazarinus, id Regi salutare esse, hinc civilibus turbis occasio data est, & Condæus quidem Germanicis, Lotharingicisque copiis instructus ducebat in Normanniam, sed prælio fugatus ac proscriptus insuper, ad Hispanos concedebat. Tantum nocuerunt ista Gallis, ut Barcellonam indefensam permitterent hosti, quam Johannes de Austria capiebat, extincta simul Catalonorum rebellione. Nec minus in Belgio conaturus Leopoldus, obsidebat Atrebatum, juvante Condeo. Turbæ conquieverant, adeoque Turhenius jussu Regis invadebat castra Hispanorum, porrecta leucis octo & duplici fossa præmunita. Duraverat obsidio tribus mensibus, inde Galli cum impetu duobus locis aggressi hostes, fugatis illis & multis millibus occisis, urbem dedendi metu liberaverunt. Porrò Hannoniam & Arthesiam vexabant, Landresium expugnabant. Ad Valancenas paulum circumacta fortuna est, ubi assultibus frustrà adhibitis, repulsi partim civium fortitudine, partim à Condeo & Johanne Austriaco in castris oppressi, non levem cladem accipiebant. Turhenius maturato abitu in Picardiam facilè reparabat vires, & postquam Austriacus in Hispaniam redierat, incursionibus affligebat Flandriam, Iperas, validam urbem, capiebat.

A.C. 1652. A.C. 1654. A.C. 1656.

A.C. 1659. Tunc demum pax descripta est in has leges: ut Galli retineant maximam Artesiæ partem, partem aliquam Hannoniæ & Flandriæ, Didenhovam, Comitatum Ruscinones, ut restituant Hispanis Comitatum Carolotanum, urbem Iperas, Comitatum Cerdanæ, partem Lucemburgici ducatus, ut Princeps Lotharingicus in gratiam recipiatur.

A.C. 1662. XI. Huic verò mox gratia illa contigit, ut Lotharingiam accepto pretio destitueret. Prætexebatur in Gallica aula, quod æquali jure provincias omnes quocunque titulo acquisitas Coronæ subjectas vellent esse, ob quam rem Legatus Crequius ibat Romam, & Papæ denunciabat, quod Rex Galliæ deinceps Ecclesiastica reservata per Lotharingiam, Arthesiam, Ruscinonem ad se transferre cuperet, perinde uti illa proprio jure haberet in tota Gallia. Non admodum placebat hoc Papæ, de rebus suis augendis potius quam minuendis sollicito, & verò Crequius multorum petitus odio, injuriis exponebatur. Ejus ministri per convivia lætiores noctu fortè vagabantur, & ab urbis præsidiariis, qui milites Corsi erant, plagis contundebantur, neque contenti ultione aliqua Corsi, persequebantur fugitivos, Legatique ædes feriebant bombardis. Et quia constabat, Papæ fratrem Marium Chisium Principem verbis impulisse Corsos, ut tale quid facerent, Papa ipsemet reus factus est. Crequius migrabat ab urbe, ut Tibure habitaret, Galli conquesti violatum esse jus Gentium, urbem & Comitatum Avenionem armis eminus monstratis ad deditionem faciendam compellebant, quem tot seculis Papa usurpaverat.

LIBER

LIBER XIV.

Quo continentur res gestæ Hispanorum à prima gentis origine usque ad nostra tempora.

CAPUT I.

De rebus gestis Regum Hispaniæ è populo Gottico.

Ammianus l. 27. 28. 29. 30. 31.

I. GOtti gens Aquilonaris ex regionibus Balthicis, ubi nunc sunt Suedia, Dania, Germania, profecti, facto per Sarmatiam itinere, agros Scythiæ proximos occupaverunt immenso ad Boristhenem & Danubium tractu, donec virorum multitudine aucti in Romanorum diciones conterminas facerent impetum, labore incolarum melius excultas. Sub Decio & Flavio Claudio primi sese commoverunt è populis trans-Isteranis, sed repulsi conquieverunt, occisis
A.C. 332.
multis. Porrò Constantini Magni tempore invaserunt Thraciam, ac denuò profligati operam tamen militarem obtulerunt Cæsari, stipendiis acceptis. Demum ab Hunnis è Tattarorum hordis oriunda gente pulsi locis Danubio tenus, qua prece qua armis Valentem Cæsarem permoverunt, ut stipendia solita non confirmaret solum, verum etiam agros, ubi habitarent, assignaret. Habebant Regem Fridigernum, ei permittebatur Illyricum, addita lege, ut A.C.
Imperium adversus Barbaros defenderet, ac præfectos Cæsaris 376.
genti suæ additos susciperet. Vix unius anni concordia erat, posteà certè gens alienis legibus parere nondum assueta, & servitutis inducendæ metu vexata, præfectis expulsis in Thraciam contendebat, A.C.
prælioque obtento Cæsarem 378.
perimebant, victoriæ jure Daciam & Thraciæ partem aliquam propriis legibus habitandam accipiebant. Mox sociatis cũ Theodosio armis rebellem Eugenium devictum occidebant. Præerant illis tunc temporis Reges A.C. 394.
plures: Athanaricus, qui in diciones Romanas concesserat: Alaricus, qui cis Istrum regnabat: Zosimus lib. 5.
Rhadagisus, qui cum novo exercitu à Boristhenis ripa progressus, & Illyricum permensus contendebat in Italiam. Cæsis ubique præsidiis Romanorum, aperiebat, Hetruriam, obsidebat Florentiã A.C.
atque 405.

A.C. 405. atque ipse à Romanorum copiis, quas Stilico Proconsul Italiæ regebat, vicissim obsessus, cum fame & morbis luctatus, periit omninò, captivis ad ergastula damnatis.

II. Nec minus *Alaricus* vitæ ociosæ pertæsus, & spe majoris gloriæ potiundæ erectus, exercitum magnum dimittebat per Græciam, Pannoniam, Dalmatiam, latè populatus omnia, cumque Romani vix quicquam conarentur ad prohibendas rapinas, factus audentior Italiam appetebat, perque saltum Tridentinum veniebat in Marchiam Tarvisinam, subitò captis urbibus omnibus. Stilico occurrebat cum legionibus è Rhetia & Gallia evocatis, ac propè Pollentiam congressus vincebat Gottos, diripiebat castra tot populorum spoliis referta, & paucis diebus elapsis novo ad Veronam conflictu reliquias fugientium hostium cædendo, prorsus ab iis liberabat Italiam, perque literas deinceps rogabat Cæsarem, ut stipendia militaria acciperet veteri more, neque recusabat illa dare Cæsar in tanto Barbarorum undique irrumpentium numero, quandò haut poterat omnibus perindè armis resistere, & verò Stilico, qui noverat inquietos Barbarorum animos, clanculum hortabatur eos ad convertenda in Orientem arma, sic foreratus, ut Italia pacem haberet.

Zosimus lib. 6.

III. Cæterum Stilico in istis turbis, quæ toto Imperio convaluerant, novas etiam commovebat, urgendo Cæsarem, quia careret filiis, vellet Eucherium, filium Stiliconis, adoptare. Proceres obstabant voto, & Cæsar unius atqueomnium consiliis perindè obsecutus, negabat, se velle Imperium donare peregrino. Stilico vi obtenturus quod precibus non poterat, datis ad Alaricum literis, invitabat eum ad turbandam Italię pacem, quandò Vandali eodem tempore vastabant provincias A.C.
Rhenanas. Re vulgata, capite plectitur Stilico, amici ejus ordinum 418.
ductores in exercitu profugiebãt ad Alaricum, qui transfugarum in Cæsarem suum odio benè usurus, comitatus illis Itàliam denuò petebat, Ravennamque obsidebat, ubi Cęsar aderat. Cumque in præsidiariorum multitudine haut aliquid proficere posse videretur, Romam versus ducendo tantum in castra sua provincialium, mixtis illis Gottis, quos nuper Rhadagisus infelici expeditione perdiderat, conflu xum cievit, ut trecentorum millium copias admovendo, magnum terrorem incuteret urbi, atque his demum conditionibus ad Cæsarem perlatis, urbi se parcere velle diceret, ut certam auri summam quotannis acciperet, ut sortiretur Rhetiam pro domicilio suo, ut exercituũ omnium per Imperium summus præfectus esset.

Recedebat tantisper in Hetruri-
am, id fugæ instar Honorio visum
est, neque ille curavit pacis leges.
Zosimus l.d. Ergò Romam Gotti reversi, &
A.C. proditorum indicio portam Asi-
nariam nocte ingressi Orbis Do-
409. minam in servitutem redigebant,
Cæsarem abdicabant. Placati hac
vice multo auro, & ab Honorio
exorati, leges novas pacis scribe-
bant, ut cives Imperii essent, ut
Galliæ partem habitandam acci-
perent. Dum eò abeunt, Sarus Al-
pium præfectus ex itinere illos in-
vadebat, multisque occisis impe-
dimenta rapiebat. Cæsar istarum
rerum ignarus, huic tamen culpæ
subditus à Gottis irarum plenis,
repetita expeditione affligebatur,
Roma capta diripiebatur, incolis
A.C. occisis quicunque non confuge-
410. rant ad templa, paucis domibus
incensis. Post triduum excesserunt
urbe, nullo etiam præsidio relicto.

IV. Porrò Campaniam, Apuli-
am, Lucaniam, Calabriam pera-
grabant, spoliis ubique onerati,
navibusq; conquisitis in Siciliam
transire volebant, divitiis immen-
sis nobilem, militibus vacuam, sed
tempestatum vi repulsi, Calabriam
tenebant. Rex morbo decedebat
A.C. Consentiæ, nactus successorem
411. *Adolphum*, qui cum Honorio pa-
cem inivit, ejusq; sororem Placi-
diam matrimonio accepit. Pacis
lex unica erat, ut Narbonensem in
Gallia agrum occuparet cum par-
te Hispaniæ, quæ Catalaunia hodiè
est. Occisus est Barcinone, propin- A.C.
quorum dolo, quibus non place- 415.
bat, eum Cæsaris affinem esse. Eli-
gebatur *Sigericus*, & mox necaba-
tur, quod pacis cum *Cæsare* ser- A.C.
vandæ autor esset. Post hunc re- 416.
gnabat *VVallias*, fortis & gnavus,
qui Placidiam Reginam Cæsari re-
stituit, & Suevis ereptas Hispaniæ
urbes plurimas genti suæ acquisi-
vit. Hunc excepit *Theodoricus*, qui A.C.
prælio vicit Litorium Galliæ præ- 419.
fectum, cum ille Narbonam ob-
sidione cingere vellet. Pacem re-
stauravit Aetius *Comes*, sociosque
militiæ Imperialis appellavit Got-
tos, quorum fortitudine subni-
xus, prælio maximo profligavit
Attilam Regē Scythiæ utriusq; in
Catalaunica planitie, servavitque
Galliam, ne à Barbaris vastaretur.
Occubuit in prælio illo Rex, eiq; A.C.
successit filius *Dorismundus*, qui 451.
novo prælio superavit Attilam, &
victor molitus est bellum contrà
Galliæ Proconsulem Aetium, ob
dilata contrà hostes auxilia. Cum
Arelatem obsidebat, pacis redi-
mendæ gratia maximam auri sum-
mam accepit. Pace facta insolenti-
us ergà proceres gerebat sese, itaq;
in odium veniebat, cumque fortè
ægrotabat, immisso à fratre Theo- A.C.
dorico sicario occisus est. *Theodo-* 454.
ricus armis suis Suevos per Hispa-
niam debellavit & Gallæciam oc-
cupavit, porrò Lugdunensem tra-
ctum per Galliam eripuit Roma- A.C.
nis. Fratre *Evarico* impellente 466.
occi-

occisus est Tholosæ à satellitibus.
Evaricus vir strenuus perrexit
bello adversus Suevos, cepitque
Pompelonam, Cæsar-Augustam,
& dicionem Tarraconensem. Gal-
liam quoque vexando, Arvernum
deditione obtinuit, Arelatum ar-
mis superavit.
A.C. V. Ejus filius *Alaricus* bellum
483. cum Rege Francorum Clodoveo
gessit, victusque periit acie, impe-
rium tamen penes filium ejus no-
thum *Gensalaricum* permansit,
A.C. quem defendebat Theodoricus
507. Ostrogottorum Rex in Italia. Mox
verò hostis ejus factus ob ignobi-
A.C. les mores clanculum occidi jussit,
511. ejusque loco subrogavit *Amala-
ricum* fratrem minorem, sed legi-
timum, qui novis adversus Fran-
cos turbis implicitus, decertavit
prælio, & non procul Narbona in
A.C. fuga occubuit. Successit *Theoda*,
531. ociosus magis quam rebus geren-
dis intentus, occisus ab histrione
A.C. inter epulas. Inde regnavit *Theo-
548. dogisilus*, filius nothus Regis Toti-
læ in Italia, sed cum voluptatum
sectator esset, ac Narbonensem
dicionem armis recuperare nol-
A.C. let, occisus est procerum impetu.
549. Eum secutus est *Agilla*, cum civili-
bus turbis assiduè luctatus, & de-
A.C. mum ejectus ab *Athanagildo*, qui
553. Narbonenses agros bello feliciter
A.C. gesto repetivit. Successit *Luiba*,
567. justitiæ laude celebris. Excepit
A.C. eum frater *Leovigildus*, qui Cor-
570. dubam urbem expugnavit, &

Svevorum Rège ultimo devicto,
capto, sacris addicto, univer-
sam Arragoniam perdomuit. E- A.C.
jus filius *Recaredus* pacis artes 586.
coluit. Secuti ordine *Lubia*, 601.
Theodoricus, *Gundemarus*, *Si-* 602.
sebutus, *Suintilla*, *Sisenandus*, 608.
Suintilla II. *Fulgas*, uni- 611.
tas Hispaniæ regiones pietatis 620.
ac pacis legibus validè muni- 631.
verunt. Simili cum laude præ- 636.
fuerunt *Gindesvvindus*, *Re-* 640.
cesvvindus, Bamba, *Ervigi-* 642.
us, *Egicas*, donec *Vitissa* de- 654.
pravatis indies moribus, ad- 672.
versus proceres civesque alios 680.
sæviendo, animos omnium 687.
procul à se diverteret. Cor- 700.
dubæ Ducem Theodofredum,
Regii sanguinis Principem, ocu-
lis spoliavit, indè carceri in-
clusit. Sed filii ejus duo, *Vi-
tissa* & *Rodericus*, patris ca-
lamitatem ulturi, copias ma-
gnas colligebant, Regemque A.C.
captivum & oculis mulctatum 707.
carceri includebant, filios ac
propinquos ejus exilio damna-
bant. *Rodericus* potitus regno
descivit à virtute pristina, dede-
bat sese crapulis & libidinibus,
milites ob comparcendos sum-
ptus dimittebat. Extorres Vi-
tissæ propinqui degebant in Mau-
ritania, & Saracenorum opem
rogabant, quorum Calipha
Vledas ducem suum bellicum
Tariffam cum exercitu & clas-
se ablegabat in Hispaniam,

Is subito incursu capiebat propu-
gnaculum Gibraltar, mox Eneco-
nem militiæ Gotticæ Rectorem
prælio vincebat, & parabat omnia
ad obsidendam Hispalim. Rex ipse
ducebat exercitum, & hostium
castra munitissima adortus, velita-
tionibus multa millia perimebat,
A.C. supremo conflictu occisus, regnũ
713. prædæ exposuit. Mauri ad necem
conquirebant quoscunque pro-
ceres, cives reliquos jugo subde-
bant, & Cordubæ sedem Impera-
toris sui ordinabant.

CAPUT II.

De rebus gestis Regum Hispaniæ in Legionis & Castiliæ populis.

Vasæus M. Ritius, Stephanus de Garibai.

I. CÆso Roderico, procerum
optimus *Pelagius* insidiis
Maurorum vitatis, exclusus Nar-
bonensium agris, quos in ista Hi-
spanici imperii direptione occu-
paverat Martellus Galliæ Mare-
A.C. schallus, discessit in Asturiam,
717. collectaque exsulum manu silvis
montibusque adversus Mauros
defendebatur hactenus, præliari
quoque ausus, cum ità ferebat oc-
casio, demum Legionis urbem
muniebat, novi Regni auspicium.
Eò profecti Mauri & montium
angustiis conclusi ingentem acce-
perunt cladem, viginti millibus
peremptis. Deinceps in Gallias
excurrendo, cum multorum mil-
lium jactura, spacium dederunt
Legionis populo, ut rectius ordi-
nando plurima, & justi exercitus
instar conveniendo Mauros non
leviter turbarent, progressus eo-
rum semper impedituri. Ejus filius A.C.
Favila pace fruebatur, dum ho- 736.
stes omnibus viribus affligebant
vicinam Galliam. Gener verò *Al-* A.C.
phonsus, hostium tot cladibus di- 738.
minutorum infortunio prosperè
usus, multas Galleciæ & Navarrhæ
urbes occupavit. Hujus filius *Froi-* A.C.
la mentis & fortis dubiæ Princeps, 757.
bello non malus, cœterum sævus
& iniquus, fratrem alterum suum
propter affectati regni suspicio-
nem obtruncavit, alterum in vin-
cula compegit, qui tamen elapsus
ultionem paravit, & Regem fra-
trem conductis sicariis interfecit.
Obtinuerat ille maximam victo-
riam adversus Josephum Mauro-
rum Sultanum, qua cæsa fuerunt
hostium quinquagintà millia, in
Galleciæ agris. Josephus in odi-
um suorum propterea adductus
regno abiit, inque Tingitanam
profectus locum dedit Abdira-
meno propinquo suo.

II. Occiso fratre invasit regnũ A.C.
Aurelius, quem proceres rebel- 769.
les torserunt, neque contrà Mau-
ros adjuvare curabant, à quibus
superatus ingenti prelio, redimen-
dæ pacis ergò certam auri sum-
mam, nubilesq; virgines donativi
instar

instar paciscebatur cum gente in libidines projecta. Successit ei *Silus*, qui sororem ejus matrimonio acceperat, conversus ad fidem, (nam origine Maurus nobilis erat) procerum quorundam odio agitatus, datam Mauris pacem nova legatione confirmavit. Post eum regnavit *Alphonsus II.* filius Froilæ, sedicionibus à Mauregatho fratre ejus notho concitatis, dejectus regno concessit in Galliam, porrò non huic solum annis quinque permisit regnum, verum alteri insuper notho, *Varamundo*, locum dedit annis tribus, quibus elapsis reversus Alphonsus, proecerumque fida ope adjutus, præclarè multa egit. Hassemus Maurorum Rex populos illos, quod vectigal solenne amplius solvere nollent, bello invadebat, cæsus verò & cum sexagintà millium virorum jactura depulsus, offerebat pacem, remisso vectigali. Pergebat victoriis & Mauros Balearidibus Insulis expellebat. Quin & Barcinone dejecti sunt hostes, neque Sultanus Alhassem ad repetendam eam obsidione proficiebat quicquam, ipse telo perfossus ad mœnia; castris direptis, milites in fugam versi sunt. Tantis cladibus affecti procul à montanis recesserunt, & maris potentiam acquirendo, classem in mare Ægeum emiserunt, Sporades diripuerunt, Candiam expugnaverunt, frustrà comminante Michaele Balbo Cæsare Orientis, quod exercitu suo eos persequi vellet.

A.C. 775.

A.C. 783.

A.C. 788.

III. Rex, quia filio carebat, hanc gratiam moriturus Varamundo fratri suo referebat, à quo ipse olim bona fide acceperat regnum, ejusque filium *Ramirum* adoptabat. Erat is magnæ virtutis Princeps, qui Seviliam eripuit Mauris, & piratas Normannos in Galliciæ littore profligavit. Successit *Ordonius*, qui civilibus hostium turbis commotus copias ducebat ad Toletum, sed cum clade repulsus in Asturiam redibat. Post eum regnavit *Alphonsus III.* cognomine Magnus, domi forisque victor. Froilam patruum suum, qui partem aliquam regni petebat, exilio damnabat, Zenonem Cantabriæ præfectum sediciosum ejiciebat, sociosque Mauros non procul Toleto maxima pugna superabat, ut millibus trigintà occisis inducias rogarent, vectigalia solverent. Senex demum filiorum suorum concertationes impias videbat, qui nec secum ipsis concordes, nec erga patrem obsequiosi, cædes & bella minabantur, Galliciam unus, alter Asturiam occupabat, Regis titulo uterque superbus. Pater vivo sibi regiam potestatem eripi indignatus, filium majorem Garsiam carceri mancipabat, nec antè dimittebat quàm propinquus fato. *Garsias* paucis annis præerat, exhaustus curis ob toleratos carceres. Ejus frater

A.C. 824.

A.C. 850.

A.C. 862.

A.C. 910.

A.C. *Ordonius II.* adversarium habe-
913. bat Almansorem celebrem rebus gestis Sultanum. Primo conflictu superiores Hispani, quinquagintà mille viros profligabant, multasque Arragoniæ & Castiliæ urbes capiebant. Deinceps verò popularium suorum copiis novis è Numidia submissis aucti Barbari, restaurabant bellum, & cum Hispanos magna clade ad vallem Juncariam affecissent, Cantabriæ partem victorię jure occupabant, portusque navibus suis obsidendo vicinum mare latrociniis infestum habebant. Rex culpam imputabat Comitibus de Castella, & quatuor eos, ordinum ductores militari judicio damnatos, gladio feriebat. Propinqui horum sævitiá Regis ulciscebantur defectione, nec poterat eos vel armis vel promissis ad obsequiũ revoca-
A.C. re. Ejus fili9 *Froila III.* ocio & luxu-
923. riæ deditus interficiebatur à nobili viro quodam, cujus uxorem stuprare volebat. Nec melioris a-
A.C. nimi filius hujus *Alfonsus IV.* qui
924. demum consensu procerum abdicabatur & monasterio includeba-
A.C. tur. Succedebat frater *Ramirus II.*
931. qui Ferdinandum Consalvum è Comitibus Castellæ sibi fœdere devinxit, & acceptis ab eo subsidiis magno prælio vicit Mauros, cæsis octogintà millibus.

A.C IV. Filius ejus *Ordonius III.* pa-
950. cem habebat cum Mauris, non item cum fratre Sanctio & patruo suo Ordonio, quibus tamen superior armis ac paulò post defunctus *Ordonio* regnum donabat, A.C.
procerum votis persuasus, qui o- 955.
derant Sanctium ob mores degeneres. Hinc bellum exortum est,
& *Sanctius* quidem Mauris evo- A.C.
catis prælio vincebat fugabatque 956.
patruum suum, regnum corripiebat, Gallæcos rebelles ad obsequium redigebat. Abderamenis Sultani amicitiam impensè colebat, dum viveret, illo defuncto cum Alhaceno filio ejus leges fœderis renovabat. Et hunc Mauri adversus Castellanos, qui à Legionis regno desciverant, prolatis armis, vincebant eos gravi pugna, qua periit Consalvus Comes nobilissimus. Rex ob dilatam opem, ne subditis quidem suis acceptus veneno dato in pomo medicato o-
biit, ac successit ei filius *Ramirus* A.C.
III. adhuc puer, curatoriam ge- 967.
rente patruo Varamundo, qui deinde etiam rebellis factus concitavit Gallæcos, sed pugna victus profugit Cordubam, inde reversus post obitum Regis, ipse Rex A.C.
designabatur, perpetuo adversus 982.
Sultanum Almansorem bello occupatus. Multa pollicitus exsul, nihil eorum servabat, potitus regno. Mauri obsidebant urbem Asturam, eis superveniebat Rex cum expedita militum manu, cæsisque hostibus diripiebat castra. Anno vertente Barcinonem & Legionem diviso exercitu oppugna-
bant

bant, factisque crebris assultibus
utramque capiebant, porrò in-
gressi Galliiam, superabant Com-
postellam, universam ragionem
subacturi, nisi peste correpti do-
mum redire pauci, quam foris pe-
rire omnes, maluissent. Rex non
multò post defunctus filium *Al-*
A.C. *phonsum V.* habebat successorem,
999. virtute & belli studio clarum. Ex-
ercitu instructus Sultanum præ-
lio vincebat, receptaque Legione
ad casas redacta ferè, novis eam
operibus ornabat. Almansor non
diu superfuit huic cladi, ejus filius
Hassemus civiles turbas proce-
rum suorum expertus, nihil otii
reliquum habuit ad corrigendas
superiorum temporum expeditio-
nes. Rex verò Gallæciam ab eo-
rum reliquiis prorsus expurga-
A.C. vit, ac tandem in Visei urbis ad
1027. Lusitaniæ confinia obsidione per-
cussus telo exspiravit. Ejus filius
Varamundus III. pacem fecit
cum Mauris, & adversus Castel-
lanos duxit, verum improspero
A.C. exitu. Victus enim prælio a soro-
1038. rio suo *Ferdinando* Castellæ Do-
mino, & in acie cæsus vitam re-
gnumque perdidit.

V. Ferdinandus unitis Castel-
læ, Arragoniæ, Cantabriæ,
Legionis, Lusitaniæ, Navarræ
regnis Imperatoris titulo sese
efferebat apud vicinos Princi-
pes, verum quia Cæsar Ger-
maniæ Henricus III. & Papa
Romanus ei contradicebant, ex-
cidit voto. Copiis eductis obsi-
debat Toletum, expugnabat
Conimbricam, & cum fratre
suo rebelle Garsia, Navarrhæ
Principe, congressus, occiso
illo victoriam obtinebat. Obiit A.C.
febri, relictis tribus filiis, quo- 1065.
rum maximo *Sanctio* dedit Ca-
stellam, *Alphonso* medio Legio-
nem, minimo *Garsiæ* Lusitaniam.
Sanctius haut contentus sorte
sua, in possessiones fratrum invo-
labat, Alphonsum monasterio,
Garsiam carceri includebat. Per-
fidiam ulta est fortuna, dum-
que Zamorrham urbem obside- A.C.
ret, à satellite Vellido confossus 1071.
in castris decessit. *Alphonsus* de
monasterio eductus solio impo-
nebatur. Hic bellum gessit cum
Mauris, & Toletum alteram Bar-
baræ gentis Regiam pertinaci
quatuor annorum obsidione pres-
sam expugnavit. Mauri evoca-
tis popularibus suis ex Africa,
novis legibus aliud regnum, Al-
moravidum, condiderunt. Reli-
quit filiam *Vrracam*, quæ primò A.C.
nupsit Raimundo Comiti Barci- 1108.
nonensi, eique peperit filium Al-
phonsum. Defuncto illo copulavit
sibi *Alphonsum VII.* Arragoniæ A.C.
Comitem, sed mutabilis animi 1109.
Regina exacto sexennio matri-
monii, fastidiũ Alphonsi cepit, ei-
que in exilium projecto subroga-
vit filium suum *Alphonsum VIII.*
Quem

A.C. Quem armis diu exercuit profu-
1115. gus Alphonsus, verum proceres
defendendo Alphonsum junio-
rem, potestatem illi firmaverunt.
Res gessit feliciter adversus Mau-
ros, quibus eripuit Sarragossam,
Cordubam, Bajonam, urbes opu-
A.C. lentas. Novissimo conflictu per-
1157. emptus successorem habuit fili-
um *Sanctium III.* qui primo regni
anno cæsus est in pugna adver-
A.C. sum hostes. Filius ejus *Alphonsus*
1158. *IX.* in cunis adhuc positus Rex de-
signabatur. Huic bellum movebat
patruus Ferdinandus, Comes Le-
gionis, ut solio potiretur, verum
in isto subditorum omnium ergà
Regem puerum favore, nihil cum
successu præstabat, duobus præliis
superatus confugiebat ad Mauros,
eisque prodebat Toletum. Donec
A.C. ætatis virilis compos Rex factis
1166. conventionis legibus, patruo cul-
pam omnem condonabat, ejusq;
opera Toletum recuperabat. Ma-
roccani & Tingitani delectus fre-
quentes emittendo in Hispaniam,
objiciebant sese progressibus Re-
gis, datis acceptisque cladibus
tempus extractum est, sed ultimo
conflictu inferiores Barbari pa-
cem rogabant. Difficilem nimis
experti Regem, à quo jussi Hispa-
nia tota emigrare, virtutem à de-
speratione petebant, & in prælium
A.C. ruendo victoriam obtinebant,
1195. cæsis quadragintà millibus Hispa-
norum, captis melioribus in Gra-
nata, Andalusia, Algarbia, urbi-
bus. Arragonium quoque vexare
ausi, cum gentis ejus Rege Al-
phonso magnum vectigal pacisce-
bantur. Rex obtenta cum Mauris
pace, ducebat copias in Navar-
rham, & gentis Principem Sancti-
um pellebat, ut fuga contenderet
in Africam.

VI. Ejus filius *Henricus I.* ætate A.C.
puer, dum ludebat cum æqualibus 1214.
suis, tegulæ ictu læsus in capite oc-
cubuit apud urbem Pollentiam.
Successit avunculus ejus *Ferdinan-* A.C.
dus III. Castellæ Princeps, qui vi- 1216.
ribus auctus, plurimas à Mauris
hostibus urbes reperebat, Sevili-
am & optimam Granatæ regionis
partem expugnabat, Cordubam
superabat, centum millibus Bar-
barorum vel expulsis vel occisis.
Hunc excepit filius *Alphonsus X.* A.C.
eruditionis laude ac belli studio 1252.
celeberrimus. Sultanus Mahome-
des collecto exercitu Salvatoris
urbem biennio obsessam ceperat,
eum aggressus Rex cruento præ-
lio superabat, sexagintà mille per-
emptis, reliquias eorum intrà an-
gustos Granatæ fines compelle-
bat, vectigali imposito. Suppetias
deinde ferebat Jacobo Arrago-
niæ Principi, cognato suo, ut Ba-
learides Insulas liberaret ab inco-
latu Maurorum. Et verò Mauri
vectigalia capere, non dare, assue-
ti, violata pace reparabant copias,
denuò infeliciter pugnaverunt, &
victor Alphonsus ademit eis Mur-
ciæ regnum. Doctrinis variis
excul-

excultus, cumprimis Astronomiam honoravit nullis sumptibus parcens, ut ejus Scientiæ peritissimos ad corrigendos cœli siderumq; motus permoveret. Hinc procusæ Tabulæ Alfonsinæ, in quibus multa rectius ordinata sunt, quam prisci ævi Mathematicorum schola descripserat. Virtute sua Principibus Germaniæ ita probavit sese, ut Cæsaris honorem illi deferrent quem tamen oblatum non recepit Philosophica quadam animi moderatione usus. Tam nobilis Princeps supremo ætatis tempore infelix, pro-
A.C. 1281. prium filium *Sanctium IV.* Regni invasorem ferre coactus, animi dolore periit. Sanctius cum Mauris bellum gessit, quibus Rex Fessæ opem laturus valida classe, appulit in Granatæ agris, sed prælio victus recessit in Africam, unde venerat. Morbo pestilente ex-
A.C. 1295. stinctus reliquit filium *Ferdinandum IV.* impuberem, sub tutela matris, prudentissimæ Reginæ. Cumque vicini Principes Arragoniæ, Lusitaniæ, Navarrhæ, astellæ, sociali bello conflato, Legionis regnum infestarent, post oppressos Mauros, frustra tamen erant, atque induratæ horum virtuti cedere coacti, gravibus damnis affecti fuissent, nisi Ferdinandus properato obitu finivis-
A.C. 1310. set. Ejus filius *Alphonsus XI.* patri illatas injurias ulturus, Regem Arragoniæ bello invadebat, quo tamen plus damni accepit ipse quàm dedit hosti proinde Mauri intestinas lites speculati, tẽtando aliquid excurrebant in Castiliam, præsidia multis locis ejiciebant, Regem ipsum velitatione equestri superatum cogebant, ut tradita agrorum parte aliqua, & pecuniæ summa addita pacem redimeret. Interim ille cum Arragoniis decertabat, eosque navali conflictu vincebat. Pace rupta Mauri, cum non solveretur eis aurum, denuo excurrebant in Castiliam, & Seviliæ portum navibus ex Africa adductis obsidentes, reliquas copias Tariffæ admovebant, urbi ad exercenda in mari latrocinia oportunę Rex sollicitus de liberanda illa, copias omnes congregabat, & profectus terra marique, obsessores feliciter profligabat, centum millibus in fugam actis. Utque prorsus vires hostium prosterneret, in mari non parum formidabiles, castra ponebat ad Gibraltar, in quo primæ originis propugnaculo fortiter sese defendebant Mauri. Pestis exorta perimebat multos in castris Regis, quos ipse etiam secutus morte, obsidionem fi- A.C. 1350.
niebat.

VII. Successit ei filius *Petrus,* *Froissardus.*
bello facilis, sed infelix, prælio ingenti victus à Mauris aliquot millium virorum jacturam fecit. Nec prosperiori successu usus in Arragonia & Lusitania,

ubique inferior armis, regni sui vires admodum enervavit. Odio procerum, quos innocentes capite mulctabat, agitatus, Henricum fratrem rebellem habuit, qui collecto exercitu Barcinone conventum egit, deinde quoque Calogorræ palam Regis titulo ornatus, faventibus ei Galliæ & Arragoniæ Regibus, unde ingens rebus suis auxiliũ sperare poterat. Petrus degebat Burgis, ociosus & voluptatum studiosus, cumque sero nimis de compescenda fratris rebellione cogitaret, citius exsulem factum sese vidit, quam de hostis adventu perceperat. Sevilia profugus veniebat, ad Regem Lusitaniæ Alphonsum IV. opemque ejus rogabat, sed nihil obtinebat in recenti memoria veterum offensarum, itaque longius abibat in Britanniam, ubi rerum potitus Angliæ Rex Edvardus III. non videbatur exsuli denegaturus quicquam, tantum si Galliæ Regis conatum impedire posset. Dabat ergo mediocrem auri summam, & copias decem millium virorum, quibus instructus relicto in Hispaniam itinere, ad Pampelonem cum fratre suo confligebat, victor solium recuperabat. Successu crudeliter nimis usus, quoscunque proceres civesque minoris ordinis deprehensos, quod favissent Henrico, damnabat capitis ac securi feriebat. Eo ipso exasperatis plurimorum odiis, profugo fratri animum addebat, ut ad contraria versus auxilia, Gallorum legiones conscriberet, ac Legionis urbem deditione caperet. Petrus evocabat Mauros, quando illum subditi oderant, atque Angli ob non soluta stipendia militiam detrectabant. Cepta est pugna in confiniis Granatæ, cæsis Mauris, captus Petrus ducebatur in vincula, & criminum multorum postulatus securi percutiebatur. Henricus A.C. 1369. pro navata opera, ingentem auri summam numerabat Gallis, eorumque Regi Carolo V. similem gratiam referendo, classem validam è portu Tarraconensi submittebat, quæ Anglos ad Rupellam fortiter adorta, quinquaginta naves demergebat, mille ducentos milites occidebat.

VIII. Ejus filius *Iohannes* gravissimo bello invadebat Lusitanos, A.C. 1379. quorum Rex Ferdinandus sine filio decesserat: petebat vero sibi regnum istud jure propinquitatis, quod Eleonoram defuncti regis sororem matrimonio duxerat. Proceres externam dominationem perosi, Petrum nothum sibi Regem imponebant, qui Anglorum subsidiis obtentis, Castilianos rectà Lisabonam euntes acri pugna superabat, ut decem millibus peremptis,

emptis infecta re discederent.
Non multo post Rex equestri-
bus ludis deditus cum nimis ar-
cte caballum vectorem suum
freno stringeret, dejectus impe-
tu ejus, fractisque à lapsu mem
bris decessit. Sequebatur eum
A.C filius *Henricus III.* pacis amans,
1390. non sine magno civium bono,
quos perpetua fere bella exhau-
A.C. serant. Filius ejus *Iohannes II.* æ-
1407. tate minor sub cura procerum
agebat, interim Mauri devasta-
bant vicinos Castiliæ agros, sed
prælio victi pacem rogabant, &
Antiguirra urbe cedebant. Dum
Granatæ urbis obsidionem mo-
A.C. liebatur, subito morbo corre-
ptus obiit. Ejus filius *Henricus*
1454. *IV.* ultimo loco regnabat. Quia
enim nulla sobole relicta dece-
debat, sororis ejus Isabellæ ma-
ritus *Ferdinandus V.* Arragoniæ
Rex procerum consensu in Le-
A.C. gione & Castilia succedebat, mul-
1479. torum regnorum Dominus, *Ca-
tholicus* dictus.

CAPUT III.

De rebus gestis Regum Hispaniæ in Suprarbiæ & Arragoniæ populis.

I. Cum Mauri longe lateq; va-
starent Hispaniæ regiones
proceribus cumprimis & nobi-
libus infensi, horum alii cum Pe-
lagio in montes Asturiæ discesse-
runt, alii novum sibi præfecerunt
ducem, *Garsiam Ximenium*, Can- A.C.
tabriæ præfectum, qui in monti- 724.
bus Pyreneis regnum condidit
Suprarbiæ dictum, quo continé-
tur Navarrha, Catalonia, Canta-
bria, Arragonia. Ejus filius *Garsi-* A.C.
as Enneco muniebat primariam 758.
Navarræ urbem Pompelonam,
& primum Arragoniæ Comitem
designabat Azeranium, facinori-
bus multis adversus Mauros edi-
tis clarissimú. Hunc excepit *For-* A.C.
tunius, fidus assectator Caroli Ma- 802.
gni Imperatoris, qui tunc tempo-
ris in Catalonia & Navarrhæ par-
tibus cum Mauris, varia sorte u-
sus, decertabat. Filius ejus *Sancti-* A.C.
us in pugna contra hostes occu- 815.
buit, non relicto filio, quam A.C.
obrem votis procerum surroga- 839.
batur ejus loco *Ennicus* Bigorræ A.C.
Comes, quem ipsum in Barci- 870.
nones agris victú prælio obtrun- 885.
cabant Mauri. Successerunt ordi- 901.
ne *Garsias III. Fortunius II. Sancti-* 933.
us II. Garsias IV. Sanctius III Garsi- 969.
as V. Sanctus IV. Ramirus, Sanctius 990.
V. Petrus, Alphonsus, Ramirus II. 1000.
Raimundus, Alphonsus II. Petrus II. 1034.
Iacobus I. quorum omnium virtus 1058.
ac militare studium multa cum 1094.
successu præstitit adversus Mau 1108.
ros à quibus recuperaverunt Cor 1126.
dubam Toletum, Majoricam Va- 1145.
lentiam, Murciam, opulentas 1162.
urbes ac regna totidem. 1196.

 II. Se 1213.

A.C. II. Secuti deinceps *Petrus III.*
1276. *Alfonsus III. Iacobus II. Alphon-*
1286. *sus IV. Petrus IV. Iohannes I. Mar-*
1292. *tinus, Ferdinandus*, in perdoman-
1327. dis Siciliæ ac Sardiniæ regnis,
1335. quæ Galli Andegavenses occu
1386. paverant, feliciter egerunt. Por-
1396. rò *Alphonsus V.* Neapolim acqui-
1410. sivit, eamque notho suo Ferdi-
1416. nando commisit. Ejus frater
1458. *Iohannes II.* Navarrham adjecit, sed non retinuit. Hujus filius
1479. erat *Ferdinandus II.* Catholicus, qui ducta matrimonio Isabella Henrici IV. sorore obtinuit Legionis & Castiliæ Regna amplissima. Granatam adhuc possidebant Mauri, coloniam gentis suæ maximam, sexaginta mille domibus constantem, tot seculorum invisæ apud Hispanos accolæ, hospites, hostes, quorum Regulus erat Baudelles, atque is Zamorrham Castiliæ urbem nuper expugnaverat. Rex copiis eductis invadebat Barbaros, eosque victos prælio, multis urbibus, Algitha, Velia, Maliga, Bassa,

Car Verhardus, Paulus Iovius lib. 1. de vita Magni Consalvi.

A.C. ejiciebat, demum obsidebat Gra-
1491. natam, & post octo mensium difficiles conflictus expugnabat. Ita Hispani liberati sunt ab hoste nimis vicino. Mox nova felicitate cumulatus, Orbis novi dominium acquisivit. *Christoforus Columbus* è municipio Liguriæ Cureo ortus certò persuaserat sibi, Insulas Atlanticas Veterum quorundam testimonio celebratas nondum rediisse ad hominum notitiam, & tamen posse illas certò investigari, quandò Rex aliquis sumptus conferre vellet. Adierat Regem Angliæ Henricum VII. rogando naves virosque, ad inquirendas ultrà mare Atlanticum sitas terras, haut dubiè amplissimorum proventuum. Rejectus verò ab Anglis, compellaverat Alphonsum V. Lusitaniæ Regem, atque is satis occupatus in Malabaræ & Guineæ populis edomandis, non se posse tantas impensas dubio eventu facere, ajebat, dimissis certis. Tandem impetrabat apud *Ferdinandum* Castiliæ regni nomine, suadente Isabella Regina,
1492. tres naves & ducentos viros armis, opibus, annona instructos, Gadibusque egressus inter Occidentem atque Austrum cursu directo, multo jactatus tempore, nusquam terris apparentibus, cũ nautarum ira non leviter etiam conflictabatur, qui frustrà agere virum jurabant. Dum vel sperant vel metuunt rerum omnium maximè incerti, ecce volucres eminus conspectæ nunciabant, propè terras esse. à quibus provolaverant. Perveniebant ergò ad Insulam Guadalapam, nemorosam quidem & amœnissimam, sed à nemine habitatam. Inde perpetuis Euris provecti ad Insulam Hispaniolam appellebant, ubi homines conveniebant, & Isa-

Vrb. Calveto Gons. de Oviedo, Hier. Benzo l. 1. c. 5. seqq. P.

Bembus lib. 6. P. Martyr. Mediolanensis part. 1. historiæ novi Orbis lib. 1 2. 4. 5 6. 7. 8. 9. 10. Petrus Bizarus lib. 1. historiæ Genuens. Iohannes Mariana lib. 26 hist. Hisp. c. 3.

bel-

bellam arcem condebant. Hoc
facto reversus in Hispaniam, pro-
ductis novarum terrarum spoliis
quæ inter viri indigenæ erant, in
spem magnam erexit Regem,
cumque altera & tertia classe vi-
am priorem relegendo, plures In-
sulas aperiebat, Cubam, Jamai-
cam, Canibales, easque perdo-
mabat, non tamen sine clade suo-
rum, quos Barbari venenatis spi-
culis confodiebant. Ita quidem
Columbus Infulas auro & gem-
mis divites primus commom-
A.C. stravit, secutus eum *Americus*
1497. *Vespucius Florentinus* continen-
Levinus tem exploravit, Pizarri, Cortesii,
Apollonius Almagri pugnis adversus inco-
l. 1. 2. 4. las cædibusq; mutuis, per Mexi-
5. historia canæ & Peruviæ regna funestatā.
Peruana.

III. Neapolitanas provincias
in socia cum Gallis militia occu-
pavit, ejecto inde Ferdinando
Rege, cumque mallet omnia,
quam partes aliquas, habere,
quæsita belli causa, porrò etiam
Gallos expulit per Consalvum
Ducem, ac demum, ne quid con-
troversi juris superesset, Galliæ
Regis propinquam Foixeam ma-
Sabellicus trimonio duxit. Ejus filia *Iohanna*
l. 1. sup Philippo Maximiliani I. Cæsaris
plement filio nupsit, ac socero vivente Re-
gna Legionis & Castiltæ adiit,
cum quibus Belgicam univit.
Cumque uxor parum sanæ men-
tis esset, divortium petebat apud
proceres, non verò obtinebat, &
ipse victu indulgentiore sub in-
sueto cœlo usus, febri obiit, reli-
ctis filiis Carolo ac Ferdinando
minoris ætatis, curam agente Re-
ge avo. Qui pacem domi firma-
verat, non tamen armorum stu-
dio foris omisso, vicinos terra
mariq; persequebatur. Navarrhā
eripiebat Regi Johanni Labreta-
no, qui profugus in Galliam, ejus A.C.
Regni feudum Bearniam poste- 1515.
ris suis, Burboniis Principibus,
conservavit, neque unquam Py-
reneos montes repetendo patrias
terras superavit. Classe instructa *Alvarus*
sumptibus Ximenii navigavit in *Gomesius,*
Africam, ubi Oranum, Bugiam *Ioh Maria*
& Tripolim subegit, dū verò ad *na lib. 28.*
Gerben Insulam appellendo, po- *c. 15. l. 29.*
dites siti maceratos adversus equi- *cap. 18.*
tatum, quo hostes prævalebant,
festinus emittebat, & non satis
exploratæ militiæ objiciebat sese,
duobus millibus à subito Mauro-
rum concursu peremptis, Garsia
Toletano & Christophoro Ve-
lasco fortissimis ducibus unà oc-
cisis in fugam cōvertebatur. His A.C.
tantis rebus gestis obiit poculo 1516.
medicato, quod uxor juvencula
propinaverat ei, & amplissima
Regna tradidit Carolo Austriaco
nepoti suo, quem tandem Germa-
niæ Principes designaverunt Cæ- A.C.
sarē, animi magnitudine rerum- 1519.
que successu felicissimo avo suo
parem & majorem. Sub eo *For-* *Hier. Ben-*
dinandus Cortesius, novam classem *zo l. 2. hi-*
ducebat versus Occidentem, & *storia novi*
Jucatanam Insulam adibat, Mexi- *Orbis c. 13.*
seqq.

canam perdomabat, incolis occisis, qui sudibus & sagittis pugnare assueti bombardarum tonitra equitumque loricatas turmas haut sustinebant. Rex eorũ Montezuma dedebat sese, & quia credebatur non stare velle promissis, quando liberiori aura frueretur, compedibus vinctus in turri asservabatur. Eò lapides projiciebant Barbari, & Rex propter apertam in parte superiori turrim caput sauciatus, non multò post interiit. Ferdinandus Magellanes Numidici maris præfectus cursum dirigebat ad Orientem & Moluccas Insulas, itaque maritimam Brasiliæ oram prætervectus, regionem Patagonum detegebat, pauloque altius ad Austrum declinando, fretum Magellanicum emetiebatur. Tum per mare del-zur vagatus, & ipso Æquinoctiali circulo revoluto, proximas Insulas Philippinas visebat, accurrebant Barbari & sagittis emissis necabant advenas, quos inter Magellanes erat. Socii ad naves reversi præfectum renunciabant *Iohannem Serranum*, qui ipse etiam in Suburh Insula ab ejus gentis Caico inter pocula occidebatur. Succedebat loco *Sebastianus Canus*, qui feliciter ad Moluccas appellebat, aromatum feracissimas. Duravit iter triennio, rediitque navis prætoria in Hispaniam, Victoriæ nomine donata, cœteras

Ioh. Petrus Maffeius lib. 8. historia Indica.

fluctuum impetus sepeliverat, viris fame extinctis.

IV. Carolus tædio curarum & mutationum, prævidensque majores, deponebat ultrò Imperium, & Regna Europæ, Africæ, Novi Orbis permittebat filio suo *Philippo II.* Hic prorogabat quidem inducias cum Galliæ Rege, sed eæ paucorum annorum fuerunt, itaque congressi prælio in Picardia ad San-Quintinum, Gallis cæsis, insignem victoriam obtinebant Hispani. Saracenos in Africa aggressus accepit deditque clades. Aphrodisio insidiabatur Dragutes, urbi munitissimæ, postquam vicinam Tripolim adhuc obtinebat. Sanctus Leva præerat illi, vir avarus, & qui ob non soluta militibus stipendia patiebatur horum sediciones. Ergò urbs, quando nonnisi magno & inutili sumptu poterat servari, solo æquabatur, cuniculis actis. Mox nova classe missa in Africam, quam regebat Johannes Cerda Siciliæ Pro-Rex, invadebat Tripolim, per insidias à Turcis occupatam, ut Siciliæ mercimonia è propinquo diripere possent, cumq; adventu Pialis Bassæ perculsus Cerda recederet in Gerben Insulem, & fretus auxiliis, quæ ex omnibus Italiæ portubus adducebat Dorias, arcem novam in ea moliretur, spe citius advolabant Turci, & devictis Hispanis, navium, mili-

A.C. 1555.

A.C. 1557.

tum,

tum, armorumque omnium apparatum capiebant, octodecim
A.C. mille Christianis vel occisis vel
1560. in servitutem abactis, Dorias & Cerda Pro-Rex fuga perveniebant Melitam. Feliciori cum successu Garsias Toletanus Cataloniæ præfectus, Chappinus Vitellius, Dorias expugnabant Penonium in Marocceno Regno sitam urbem, & vicinam ei arcem Velez. Aderat cum magno exercitu Abdalla Serifius, verum paucis hostium cæsis, qui in extremo agmine stabant, arcem tamen haut poterat recuperare, & navigabant illi versus Bugiam, qua capta nobilem piratarum receptum evertissent. Interim mutabat tempestas, & Garsias abibat in Siciliam destinatam sibi à Rege provinciam, è qua Johannes Cerda emigraverat. Papæ Romano & edictis ejus sanguine scriptis obsequentissimus, pertinaciter bellum obtrusit Belgis,
A.C. misso Albano Duce armato in
1567. gentem pacatam, qui procerum alios capite mulctavit, alios proscripsit, bonis in fiscum redactis. Eodem tempore Mauri vectigalibus maximis oppressi, de recuperanda libertate pristina consilium agitantes, armis insurgebant, bellique sedem in Alpuxaræ montibus constituebant, Turcorum & Numidarum auxiliis confisi. Regem designaverant Abenhumeiam in Granata & Corduba, sed agendo timidius, quàm ceperant, rem tantam, & subsidiis promissis verius quàm præstitis illecti, cesserunt victi prælio tumultuario à Johanne Austriaco, & verò Abenhumeia laqueo peremptus occubuit. Johannis hujus fortitudine obti- A.C.
nuit clarissimam victoriam ad- 1571.
versus Turcos, cumque in successu deficerent illi quorum bono victoria parta erat, Turci viribus receptis Hispanos oppugnando in Africa, expugnabant Tunetum & Golettam destrue- A.C.
bant, opus sumptuosum Caro- 1574.
li V. ac maris Numidici claustrum.

V. Albano è Belgica revocato imponebat curam belli gerendi contrà Lusitanos, quorum Rex unus florens ætate *Sebastianus* in prælio contrà *Ant. Viperanus.* Mauros ceciderat, alter senex marcidus Henricus domi sine hærede legitimo obierat, cumque nothus hæres Antonius succedere volebat, nec Philippo resistere poterat, armis domiti Lusitani Philippo obsequi- A.C.
um præstabant. Et quasi per- 1580.
inde facilè esset, Regna plura domare armorum vi, postquam Lusitaniæ Princeps nothus ab Angliæ Regina Elisabetha navium militumque subsidia acce-

ceperat, ultionis studio adactus
Medinæ Sidoniæ Ducem maxi-
ma classe instructum ablegabat
ad devastandam Angliam. So-
A.C. lius Dei virtute profligati Hispa-
1588. ni, cum procellis & fluctibus lu-
ctati, damnoque irreparabili af-
fecti, Regis opes admodum di-
minuerunt, vicinisque gentibus
A.C. justum metum ademerunt. Obiit
1598. Principum quotquot nascuntur,
ditissimus à vermibus corrosus
non sine occulta vindicta Dei in
Regem illum, qui inconsulto
erga religionem corruptam stu-
dio, melioris religionis sectato
res innumeros, cœterum nullius
culpæ reos, flammis, ferro, exsilio
atrociter puniverat. Pecuniæ sem
per compos, ita usuum ejus gna-
rus, arcana regnorum scrutaba-
tur adversus prospera & adver
sa constans animi, sed conditus
in dissimulationem odiis & suspi-
cionibus indulgebat, spei impro
bior & regnandi libidine cuivis
veterum conferendus, nec te-
mere sæviebat, sed quoties do-
minationi expediret, famam cle-
mentiæ haut multum moraba
tur. Successit ei filius *Philippus II*.
qui fœderatos Belgas liberos
pronunciavit & inducias cum il-
lis pepigit. Maurorum intestino
bello superveniens, duce Pimen-
tilla, vicit eos navali prælio, ca-
strum Alaricham expugnavit re
fertum divitiis quas ibi piratæ
congesserant, & destructis muni
mentis securã mercatoribus na-
vigationem fecit Filius ejus *Phi-* A.C.
lippus IV. Regna & populos à pro- 1621.
avis suis vel cõservatos vel novi-
ter acquisitos, in varia fortuna
administravit. Belgas terra ma-
rique victus omnino liberos pro-
nunciavit, nec minus à Gallis per
Italiam, Catalauniam, Belgium,
Burgundiã perpetuo bello, raro
victor, sæpissime victus, agitatus,
pacis leges sibi detrimentosas in-
ivit. Catalauniam rebellem armis
pacavit, sed Lusitania novum Re-
gem eligendo prorsus ab eo de-
fecit, quod veteris gloriæ opibus
sensim mulctari sese & Castiliano
rum jugo tandem opprimi posse,
mature satis animadverterent.

CAPUT IV.

De rebus gestis Regum Hispaniæ in Lusitaniæ & Algarbiæ populis.

I. Alphonsus VI. Rex Legio- *Ioh Mari-*
nis & Castiliæ venientem *ana.*
ad se Henricum Lotharingiæ Co-
mitem, & popularium suorum
manu aliqua comitatum operis
bellicis feliciter adhibuit, de-
mum filiæ suæ Tarasiæ matrimo A.C.
nio honoravit, dotis instar addi- 1134.
ta parte Lusitaniæ, & pollicit9 sub
sidia pro edomandis agris vici-
nis. Ejus filius *Alphonsus* con-
ductis

A.C. 1139. ductis è vicinia subsidiis prælio vicit Saracenos, ac Lissabonam urbem occupavit, Regis titulo ornatus à subditis. Successerunt
A.C. 1185. 1211. 1223. 1247. 1279. 1325. 1357 1383 ordine *Sanctius, Alponsus II. Sanctius II Alphonsus III. Dionysius, Alphonsus IV. Petrus, Ferdinandus,* qui adversus Mauros feliciter gerendo bella, maximum Lusitaniæ incrementum adjecerunt. Porro Johannes nothus in Numidiam ipsam profectus, Septam nobilissimam urbem in ora maritima freti Gaditani expugnavit, inque Maderam Atlantici maris Insulam colonias duxit. Ei filius successit *Edvardus*, qui paucis annis præfuit. Inde regnavit
A.C. 1433. *Alphonsus V.* qui classem ducendo ad Tingin urbem littoralem
A.C. 1438. Africæ, potitusque illa Barbaros maximo terrore implevit. Ejus filius *Iohannes II.* perrexit in domanda
A.C. 1481. Africa maritima, vectigalia Mauris imponendo, & Caput bonæ spei superando, ubi Regem Congi ad fœdus ineundum pertraxit, viamque monstravit ad Indos Orientales, magno orbis Europæi commodo. *Ioh. Petrus Maffeius l. 1. histor. Indicar.*

II. Cum filio suo Alphonso Isabellam Ferdinandi Catholici filiam ducturo nuptias appararet, eidem ex equo delapso exsequias
A.C. 1495. faciebat, & sponsa nupsit *Emanueli* patrueli ejus, qui in regno successit. Hic mittebat Vascum de Gamma ad explorandas ulterioris Africæ terras. Ergo supera- *Hieron. Osorius l. 2.*

to promontorio bonæ spei ordine detexit littora Mosambiquæ, Mombazæ, Melindæ, Quiloæ, porro Calecuti regnum aromatis & auro fertile aperuit sed ingressu prohibitus, comitum exiguo numero non ausus invadere Barbaros integris legionibus sese defendentes. Reversus domum alia classe duodecim navium, militibus, nautis, armis, annonaque onustarum, impetrata, eodem tempore, quo Regis hu- A.C.
jus sumptibus Caspar Corteria 1500.
lis per septentrionem via quæsita Americam petebat, ipse pristinum iter ingressus, Quiloæ Regem armis vincebat, & Cochini Regem dudum Lusitanis fœderatum, novis officiis confirmabat. Aromatibus plurimis ad se receptis, Lusitaniam repetebat. Eo absente Calecuti Rex invadebat Regem Cochini, & regno pellebat. Veniebat Albuquerkius ad liberandum Regem amicum, terra marique profligabat Calecutanos. Pari successu usus Franciscus Almeida, cum valida classe profectus debellabat Connonorenses, Zeilanis & Madagascaræ Regulos. Campson Sul- A.C.
tanus Ægypti per mare rubrum 1508.
submissa classe, volebat pellere Lusitanos Indiæ potentes, eam in littore Cambajensi aggressus Almeida victoriam reportabat, Arabicum sinum armis patefaciebat, & Dium prona via de- *Ioh. Petrus Maffeius lib. 2.* *Ioh. Petrus Maffeius l. 3. Ioh. Mariana l. 19. c. 15.*

Oſorius l.3 4.5. latus in portu urbis hujus viginti Indorum & Mamaluccorum triremes exurebat, perque ſtrages & ſanguinem graſſatus, armatus ipſe, urbes omnes inermes in Arabiæ & Perſiæ littoribus ad vectigalia danda cogebat. Sed poſt tot victorias tradebat claſſem Albuquerkio, ipſe domum reverſurus, apud promontorium bonæ ſpei egrediebatur, & noctu à Barbarorum turmis occidebatur. Albuquerkius expugnabat Ormuſium, Goam, Malaccam, opulentiſſima per Orientem regna, Saracenis, ejectis, Sumatræ & Javæ Regulos conflictibus maritimis ſuperabat. Verum Adenam, munitiſſimam Arabiæ urbem, infeliciter oppugnando, plurimarum navium jacturam faciebat. Eam denuo aggreſſus Lupus Suareſius, portum vi magna inſtando perruperat, neque dubitabatur, poſſe urbem capi propediem, cum Sultanus Ægyptius claſſem auxiliarem mittendo, annonam & præſidium inferebat. Ita obſidionem porro tolerabat & vero Campſon poſtea victus à Turcorum Sultano, littoris Arabici cuſtodiam depoſuit, neque Luſitani deinceps adverſus Turcos aliquid profecerunt.

Ioh. Petrus Maffeius l.4.-.78.

Oſorius l.6 7.-.9.10 11.12.

III. Rex obtentis mercimoniis per Arabiam, Indiam, Æthiopiam, ſubditis ac ſociis permittebat navigandi libertatem, quare etiam Venetos, qui cum Perſis & citerioribus Indis amicitiam multo tempore coluerant, toto mari illo excludebat, jubebatque eos Syriæ & Ægypti littoribus eſſe contentos. Princeps omnium, gentis ſuæ Regum, maximus, cujus tempore aureum ſeculum in populis illis erat. Succeſſit ipſi filius *Iohannes III.* qui Caſtilianos à Moluccis Inſulis depulit, Turcorum, Maurorum, Calecutanorum piratas innumeros neci dedit, Dium urbem portumque totius Orientis commodiſſimum Regi Cambajæ armis eripuit, Regem ipſum duplici pugna ſuperavit, Turcos auxiliares profligavit. Valde angebat Solymannum, quod Luſitani præcipuas Orientis urbes occupaverant, ſinumque Arabicum claſſe potenti obſiderent, ad excludendos Turcos, ne poſſent in proximas Indorum & Æthiopum terras navigare, ad petenda aromata, gemmas, aurum. Jubebat Mahomedem Ægypti præfectum, ut cum quinquaginta navibus proficiſcatur in Cambajam. Veniebat Adenam, nuper à Luſitanis, quanquam fruſtra tentatam, & dolo evocatum ad ſe Regem fœdere obſtringebat primum, inde epulis refectum jugulabat, urbemque capiebat. Impoſito præſidio ſecus lit-

A.C. 1521.

Damianus à Goes.

Ioh Petrus Maffeius l. 10.11.12. Iovius l. 36 hiſt.

littus contendebat ad Indos, ex-
ercituque admoto Dium urbem
effringebat, Lusitanis intra arcē
compulsis. Dum illos obsidebat,
partemque vallorum perpetuis
ballistarum ictibus everterat,
subito accurrebant omnes Lu-
sitanorum copiæ è portubus vi-
cinis, quas non poterant susti-
nere Turci, adeoque fuga redi-
bant Adenam.

IV. Habebat filium Johan-
nem, qui vivo adhuc patre obiit.
itaque regnum obtigit nepoti
Sebastiano, quem nimis præceps
A.C. gloriæ parandæ studium impel-
1557. lebat ad suscipiendam expedi
tionem adversus Mauros inte-
stinis litibus agitatos. Cæsus in
acie, nec potitus commodis il-
lis, quæ speraverat, gentem su-
am incommodis plurimis affe-
A.C. cit, cumque nemo Regii gene-
1578. ris excepto unico *Henrico*, patruo
magno ejus, superesset, regno
potitus senex, anno uno præe-
rat. Tunc vero certatim hæredes
nobilissimi regni possessionem
adire gestiebant. Eorum primus
& potentissimus Rex Castiliæ
Philippus, erat, natus Emanue-
lis Regis filia majore Isabella, at
que is proceres hortabatur per
literas, ut sibi gratiam successio-
nis facerent. Rejecto illo proce-
res, ne peregrini Regis dominio
subessent, Catharinam Bragan-
tini Ducis uxorem, Emanuelis
Regis è filio Edvardo neptem,

Hieronym Conestagi-us l. 2. historiæ Portugall.

præferebant votis suis. Dux pa-
rere nolebat, vix se Castiliæ Re-
gis potentiæ in ista rerum omni-
um discordia parem futurum
arbitratus. omittis habitis disce-
ptabatur res, interim Philippus
mittebat Ferdinandum Ducem
Albanum cum triginta millium
virorum exercitu, qui regnum
propugnaculis nullis permuni-
tum, & ob funestam in Mauri-
tania cladem viris melioribus,
pecunia, bellico apparatu exhau-
stum, ingressus, victor ubique re-
cta contendebat Lisabonā. Solus A.C.
Antonius Emanuelis Regis no- 1580.
thus cum mediocri agmine sta-
bat ad Tagum, auxilia præstola-
tus à Bragantino, verum ea nul-
la adfuerunt, & ipse velitatus im-
prospere, fugiebat Conimbri-
cam, vestigia fugientis secutus
Davila expugnabat urbem, An-
tonius ad naves citato itinere per
veniebat, Galliam & Angliam pe-
titurus. Albano patebat Lisabona,
cives proceresq; juramentū di-
cebant Regi Philippo. Eo in Casti-
liam reverso, Anglorum subsidia
adducebant Robertus Essexius &
Franciscus Drakus, captaq; Lisa-
bona milites peregrini cædeban-
tur, octo milliū copiæ terra ma-
riq; victis Hispanis obsidebant
Tagi ripam, indigenasq; exem-
plo suo provocabant ad capiēda
arma pro libertate. Sed quia hos
novus à Castilia terror afflave-
rat, neque Bragantinus pro

notho experiri volebat bello adversus hostes, in patriam suam discedebant Angli. Antonius consenuit Lutetiæ, munificentia aliena fruendo.

Victorius Siri Tom. 1 histor. Universal. l. 1. Ioh. Baptista Birag. in Mercurio universali.

V. Sexaginta annis Lusitania paruit Castilianis, opibusque suis, quibus alia Hispaniæ regna omnino superat, profuit eis ad bella per Europam cum successu gerenda, inde quandò *Philippus* IV. Gallos, Batavosque hostes in se concitaverat, re perlata ad Gallos, annitente Cardinale Richelio, magni animi & consilii viro (quo nemo majora unquam in Gallia ausus est, nemo feliciora gessit adversus Austriacos) defecit. Proceres ingressi palatium gladiis confodiebant Michaelem Visconcello regiarum partium supremum ministrum, Regemque proclamabant *Iohannem* IV. Bragantiæ Ducem, filium Johannis ejus, quem Philippi II. arma nuper à successione prohibuerant. Hic feliciter omnes Regni provincias terra marique ejectis præsidiis Castilianorum recuperavit, & Batavos partim vi partim dolo è Brasilia removit, bellumque in Estremadura gessit. Succeſſit ei filius *Iohannes V.* qui sororem suam Britanniæ Regi matrimonio dedit, ejusque auxiliis confirmatus armis sese adversus Castilianos tuetur. Exercitum regebat Johannes Austriacus, & postquam Badaios urbs Estremaduræ fuerat Castilianis reddita, inde fines Lusitaniæ vexabantur admodum. Ne verò per Galliciæ montana perrumperent copiæ hostium, vetare conabantur Lusitani, demum maximo conflictu repulsi abibant domum, Evora & Portalegra dedebantur Austriaco. Dum Elvas obsidere volebant Castiliani, magno prælio vincebantur, & Evora depulsi recedebant in Galliciam.

A.C. 1640. — A.C. 1656. — A.C. 1663.

✠ (o) ✠

LIBER

LIBER XV.

Quo continentur res geſtæ Britannorum à prima gentis origine uſque ad noſtra tempora.

CAPUT I.

De rebus geſtis Regum Angliæ.

VV. Cambdenus, G. Libus, L Silvius, M. Pariſienſis, P. Virgilius.

I. JUlius Cæſar è portu Iccio profectus cum navibus ſuis intravit Angliam, tentavitque conflictu gentem non uni Regulo ſubjectam. Claudii, Veſpaſiani, Domitiani temporibus promoveri bellum, & victoriis ubique partis cepit edomari Inſula, quaquaverſus extenditur citra montem Grampium, nam quicquid montibus illis concluditur populorum, ferocium multo, prohibiti ſemper armis, ne in plana deſcenderent, nunquam devicti fuerunt. Scotos vocamus & Pictos, qui demum viribus aucti steriliumque ſcopulorum pertæſi, repetenda campeſtria arbitrati, eo tempore quo gentes plurimæ Imperium Occidentis undique invadebant, à montanis cum impetu deſcenderunt, & prima vice repulſi à Romanis legionibus, evocatis verò iſtis ad gerendam rem contra Gothos, Vandalos, Hunnos, Francos, denuo progreſſi, ad propria arma capienda permoverunt Anglos, qui Regem deſignabant *Vortigernum* Cornubiæ Ducem indigenam. Is verò dum fortius quàm felicius pugnat, ne ſenſim periret, mercenaria Saxonum, Friſiorum & Cimbrorum arma petebat auxilio, qui, quod piraticam exercerent, per omnes maris oras noti erant. Hengiſtus & Horſus ex Anglis Cimbricæ populis nobiles cum viginti navibus aderant, Scotos palantes feliciter profligabant, Britanniam pacabant. Cumque pro armorum uſu parcius, quàm convenerat, erogabant Britanni, nec tamen Saxones ingratis vincere vellent, ſtipendii inſtar dominium in gentem ſibi tribuunt, verſiſque

A.C. 429.

Polyd. Virgilius l. 1. 2. 3 hiſtor. Anglicæ.

A.C. 449.

Pol Virgilius lib. 4. 5. 6.

Vbbo Emmius lib 2. hiſtoriæ Friſicæ.

A.C. 457. sisque in Britones obluctantes armis, Cantium nobilissimam provinciam occupant, & regnum ibi condunt. Periit in his turbis Vortigernus, eique successit Aurelius Patricius Romanus, qui è Britannia Gallica accersebat copias pulsurus advenas, prælioque adoriebatur Hengistum, sed victus acie quidem A.C. 474. peremit victorem, ejus tamen filio Oscæ regnum eripere non poterat.

Pol. Virgil. lib. 7. II. Hujus posteri continua serie Angliam, eversis sensim Britonibus, in potestatem suam redegerunt, cum Danis quoque pugnare coacti postquam illi domitis Saxonum virtute provinciis ingerere sese, & unà habitare volebant. Quod primum A.C. 860. contigit sub Rege *Edelberto*, & porrò sub aliis Regibus, quorum ultimus *Edelredus*, cum plurimos Danos ultrò admisisset, A.C. 978. mox pœnitens facti, omnes mactabat, quamobrem Sueno Daniæ & Norvegiæ Rex potentissimus bello eum invasit, vicit, fugavit, seque Regem Angliæ A.C. 1010. constituit. *Sueno* armis egregius, sed pietate infidus, ad religionem meliorem aliquandò sese applicuit, subinde verò mutatus animi resilivit. Graves per *Pol. Virgil. lib 8.* Oceanum Balthicum turbas concitavit, Pomeranos diripuit, captus demum in conspectu Julini, & precio soluto dimissus est. Ericus Suediæ Rex sæpius illum victorem habuit, demum in Scanicis agris vicit, ita ut Dania quoque per sedicionem pulsus, exsul abiret in Scotiam, ubi quatuordecim annis degebat. Tum verò ad Christiana sacra reversus est, amicisque persuasit, ut viribus junctis exercitum compararent, quo adjutus recuperavit omnia regna sua. Interim Edelredus è Normannia reversus Angliæ partem vendicaverat sibi, & Londinum defendebat fortiter, Canutum filium Suenonis prælio vincebat, sed cum majora conaretur, exstinctus morbo, viduam Emmam, fi- A.C. 1016.
lium *Edmundum* primogenitum reliquit, cum quibus pacis leges istas inivit Canutus, ut Emmam duceret ipse matrimonio, regnumque obtineret, Edmundo portionem in mediterraneis assignaret, unde Comitis instar honestè viveret. Brevi post tempore obiit Edmundus, ejus frater Edvardus cupiebat succedere, verum prohibitus à Rege, vertit solum & in Galliam confugit. Rex tribus filiis A.C. 1035.
suis totidem regna testamento legavit, ut *Sueno* quidem haberet Norvegiam, *Canutus* verò Daniam, *Haraldus* obtineret Angliam. Paucorum annorum possessio erat, quæ armorum violentia potius, ac favore subditorum nixa, animum omninò addebat pro-

profugo Edvardo, ut speraret, melius fore aliquando. Et sanè
A.C. Haraldo succedebat *Canutus II.*
1040. quem porrò excipiebat *Haraldus*
A.C. *II.* Ejus tempore pax vigebat,
1065. adeoque Eduardus domum reversus, permittente Rege adibat fratris hæreditatem, & defunctus totam illam donabat Wilhelmo Normanniæ Duci, apud quem exulaverat, propinquo suo, viro forti & strenuo, cujus filiam Rex Haraldus sibi desponderat, mox
A.C. tamen repudiabat. Wilhelmus
1066. injuriam tantam haut laturus, transivit classe instructa è Gallia in Angliam, victoque Haraldo & perempto, sibi regnum luxu & inertia ferè perditum asseruit, omnesque novas leges condidit, omnesque Anglis ademptos agros militibus suis beneficio suo possidendos assignavit. *Pol Virgil. lib. 9.*

III. Hic est *VVilhelmus* dictus *Conquæstor*, qui libertate Gallica usus potestatem in Clericos sibi arrogavit, eosque immorigeros plurimos ejecit Oxonio & Ebo raco. Abierunt itaque ad Canutum Daniæ Regem, eumque permoverunt, ut cum trecentis navibus in Angliam adveniret, caperet Eboracum, devastaret
A.C. Northumbriam. Hoc facto pe-
1069. stis afflavit copias ejus, & Conquæstor soluta pecunia facile persuasit ei, ut rediret domum, quando Suedi etiam de movendo bello consilia agitare certo nunciabantur. Dum lites aliquas cum Galliæ Rege ceptas armorum fiducia pertinacius urgebat, inque Normanniam reditum parabat, A.C.
lapsus ex equo decessit. Sequebatur eum filius *VVilhelmus Rufus*, 1087.
quem periculosis turbis vexabat *Pol. Virgil. l. 10.*
frater ejus Robertus, Rex Scotiæ, Clerici. Et frater quidem Gallicis auxiliis nixus cum valida classe in Angliam contendebat, sed procellarum vi distentus, inq; Normanniam rejectus certissimum damnum sibi attraxisset ab Anglis nisi Scotorum irruptione subita prohibiti, ab eorū rapinis liberare Northumbriam, & fines munire voluissent. Clerici nullam subjectionem Regi præstandam esse Papæ suasibus aures dando, consensu magno pugnabāt. Sed contraria Regis edicta prævaluerunt misso in exilium Anselmo Cantuariensi, qui ferociter nimis tuebatur Papam. Rex obiit sagitta læsus in venatione, quo comperto Anselmus reversus est domum. Successit Regi frater ejus A.C.
Henricus I. qui erga Clericos 1000.
æquiori animo usus, con- *Pol. Virgil. l. 11.*
certationes antiquas facilè finivit, cum Galliæ Rege Ludovico armis contendit, qui Normanniam Galliæ feudum esse pronunciabat, victor prælio jus suum integrum conservabat. Filios duos Wilhelmum & Richardum naufragio

ami-

amisit, ipse demum ætate gravis febri correptus obiit. Itaque *Ste-*
A.C *phanus Comes Blesensis*, qui Wil-
1036. helmi Conquestoris ex filia Adela nepos erat, Regnum obtinuit. Scoti in Northumbriam pro-
Pol. Virgil. gressi damna plurima inferebant
l.12. Anglis, sed prælio habito vicit Rex & hostium undecim millia occidit. Liberatus ab hoste externo, civilibus turbis implicabatur adversus materteram suam Mathildem Henrici V. Germaniæ Cæsaris viduam, quæ arbitrata, regnum sibi potius, quam sororis defunctæ filio deberi, comitata filio suo Henrico Andium & Pinonum Comite, exercitum sex millium virorum in Angliam adducebat, Comes Glocestriæ Robertus totidem mille provincialium addebat, pugnabatur, & victus Rex captus-
A.C. que servabatur Oxonii, Mathil-
1140. dis profecta Londinum, à civibus subjectionis fidem exigebat.
Pol Virgil. Interim Robertus stativis suis
l.13. incautius immorando, ab amicis captivi Regis obruitur & fugatur, Rex è custodia dimittitur. Duravit bellum plurimis annis, & vero Mathildis Regina feliciter rem gerendo has pacis leges descripsit, ut Stephanus præesset, quoad viveret, utque defuncto illi succederet Mathildis filius Henricus, patre natus Godofredo Andium Comite, è matrimonio secundo.

IV. *Henricus II.* potentia & o- A.C.
pibus floruit admodum, corpo- 1155.
ris animiq; dotibus eximiis præditus. Walliam prorsus subegit, in qua Cimbrorum reliquiæ non omnibus Regni legibus obtemperare volebant. Hiberniam occupavit, quam libero jure possidebant Northumbriæ Duces, vasalli Regis in Anglia. Pro tuenda Normanniæ & Comitatus Andegavensis libertate adversus Galliæ Regem bella valida gessit, nec tam Gallorum armis, quàm filii sui Henrici perfidia superatus, Normanniam servabat tantum, Pictones liberare non poterat. Utq; tanto magis premere-
tur, Wilhelmus Scotiæ Rex im- *Buchan.*
pulsus à Gallis, invasit Angliam, *l.7. histor.*
quem conflictu superatum cepit, A.C.
nec dimisit antequam juramen- 1175.
to condiceret, futurum se Angliæ Regis beneficiarium, traderetq; castella limitanea, Carlilum & Novocastrum. Bellis victor, Clericis impar visus est, veteres lites de Pontificis Romani eminentia super civiles potestates repetentibus, causæ patrono adhibito Thoma Becketo Archiepiscopo Cantuariensi, qui Clericos facinorum capitalium reos pœnis monasticis affici volebat, Rege contra jubente, ut per lictores de patibulis suspenderentur. Becketus exilio mulctatus post impactum ei seditionis crimen, adibat Romanum Pontificem, & factus Nun-

cius Apostolicus, nec jā amplius, uti putabat, Regis censuræ obnoxius, revertebatur in Angliam, superbus & crudelis, excommunicando quoscunque vellet, Regem, proceres, cives, demum vero occisus ad aras interim dū inania sacra Missæ peragebat. Latrones effugerunt, Rex vetabat inquirere de cædis autorib9, nec tamen satis tutus à Clericorum insidiis, Papæ solvebat magnam auri summam, ad impetrandam veniam facti. Becketus inter Divos relatus est.

A.C. 1189. Pol. Virgilius l. 14. V. Ejus filius *Richardus* militia facta adversus Saracenos clarus, ad sumptus in bellum istud persolvendos, pecuniam magnam confecit, à Scotis vero in pristinam libertatem assertis auri plurimum accepit. Navibus in Siciliam ex itinere delatus, annonæ comparandæ gratia, nec tamen receptus, porro contendebat in Cyprum, ubi à portu prohibitus & procellarum vi mulctatus navibus aliquot, quarum spolia legebat Comnenus Princeps Cypri, ne periret omnino, copias in terram exponebat, victo Principe, captis urbibus imponebat præsidium. Inde appulit in Syria, expugnavitque Ptolemaidem, occisis quinque mille Saracenis. Hierosolymam frustra aggressus est, & reversus Joppen, Saladinum apud vicum Antipatridem cum exercitu obvium prælio magno vicit. Deinceps orta peste, cum videret sibi necessario abeundum esse, Ptolemaiden à Guidone Hierosolymorum Rege accipiebat, facta permutatione & reddita illi Cypro, quam Lusiniani annis trecentis obtinuerunt. Itaque magnis sumptibus frustra factis, rerum omnium inops mercatoris habitu per Austriam & Belgicam redibat in Angliam, ubi quietis pertæsus bellum transtulit in Galliam, & varia sorte usus, demum in obsidione Calaci apud Lomovices percussus telo, obiit. A.C. 1199.
Successit ei frater *Iohannes*, qui procuravisse credebatur cædem Pol. Virgilius l. 15.
patruelis Arthuri, ad quem testamento Richardi pertinebat regnum, quando hic moriturus præterire voluerat fratem vivum, cujus mores nimium truces nunquam laudaverat, prætuleratq; defuncti fratris Godofredi filium, virtutibus optimis excultum. Johannes procerum votis, quæ auro dato redemerat, solium obtinebat, utque pacatum illud haberet, Arthurus mori debebat. Papæ illico aderat Nuncius, excommunicationem denunciabat, mulctam injungebat. Mater vidua Arthuri precibus instabat apud Regem Galliæ Philippum, ut Johannem tanti criminis reum ad tribunale superius evocatum,

quia comparere nolebat, Normannia spoliaret. Et quanquam in Flandrico littore magno prælio victi Galli, non leve rerum suarum damnum acceperant, attamen victoriæ fructum perinde exiguum habebant Angli, quod intestinæ Clericorum molitiones non possent componi, & quoque Flandriæ Comes, magnus Regis Johannis amicus novo conflictu ad Bovinas succubuisset. Primum igitur dato Pontifici auro, & insuper pollicitus vectigalia annua, facile Clericis imperabat pacem: Galliæ Regi submisit libertatis jura, quæ hactenus Angliæ Reges usurpaverant in Normannia, dedito Rhotomago, & quinque annorum induciis impetratis. Proceres hoc adeo male habuit, ut contra Regem suum armis insurgerent, evocato Regis Galliæ filio Ludovico, per quem sperabant, posse jura & libertates antiquas in integrum restitui contra iniquas Papæ declarationes. Hoc modo bellum domesticum pertinaciter geri ceptum est, quod Regem torsit admodum, ut æger animi moreretur, postquam frustra invocaverat Mauros ut Galliam invadere vellent.

A.C. 1214.

A.C. 1216.

Pol. Virgil. lib. 16.

VI. Successit ei filius *Henricus III.* quem proceres, deserto Ludovico, fortiter adjuverunt, ut post cæsas Gallorum terra marique copias, Ludovicus obsideretur Londini, & tunc demum liber dimitteretur, postquam juramento sanciverat, non se unquã prætendere velle in Angliam, ac præterea velle restituere vetera jura Angliæ Regum in Normannia & Pictonibus. Hæc equidem feliciter & ex voto, sed deinceps priscæ vestigia fraudis apparuerunt. Proceres, ac inter eos nobilissimi, Walliæ Reguli, apud Regem petere ausi maximas libertates, dudum abrogatas, cum frustra essent, consilia ultionis differebant, imprimis quod instaret expeditio in Galliam, pro recuperanda Normannia, cujus restitutionem promiserat equidem Ludovicus, nec tamen servaverat. Parcius erogatâ pecuniâ non suppetebat copiosus miles, & Rex in Galliam profectus mediocres copias opponebat hosti, ceterum victus duriores pacis leges etiam accipiebat, quam ipse olim captivo Ludovico dederat. Reversus domum, exercitu spoliatus novo bello à proceribus, quorum ductor erat Comes Lycestriæ, excipiebatur, victusque & captus una cum filio suo Edvardo & fratre Richardo electo Imperatore Germanorum, in custodiam Herefordensem ducebatur. Clanculum elapsus Edvardus sub sidia Gallorum Scotorumq; conquirebat, ac pugna restaurata Cambros profligabat, occisis plurimis,

A.C. 1242.

A.C. 1264.

rimis, captis reliquis, Lycestrius in acie occubuit. Ita Rex soluta custodia abibat. Duos habebat filios, Edvardum Walliæ Principem atque Edmundum Lancastriæ Comitem, qui factionum suarum insignia, rosam albam & rubram, usurpaverunt.

Pol. Virgil. l. 17. VII. Edvardus bellum gesserat nuper in Palæstina, cæsisque Saracenis defenderat Ptolomaiden. Evocatis Tattaris, qui Asiam superiorem perdomuerant, ut Saracenos bello premerent, ipse domum redibat, patrique defuncto succedebat, Walliæ proceres superabat. A.C. 1273. Matrimonio petebat filiam Comitis Flandriæ, hanc vero Philippus IV. Rex Galliæ interceptam, ne proco suo, Angliæ Regi, daretur vetabat, Comitem ipsum dicione ejectū vinculis immittebat, Aquitaniam diripiebat Anglus classem instruebat, petendo Galliam, Comitem solatus de novis auxiliis è Germania adducendis, postquā Adolphus Nassovius ad faciendos delectus pecuniam acceperat. Nec tamen Cæsar domesticis turbis constrictus poterat subsidia procurare, & Galliæ Rex paciscebatur inducias, Comiti libertatem restituendo, sponsam obsidis loco retinendo. Ita compositis rebus transtulit bellum in Scotiam vicinā. Ejus gentis Rex Alexander decesserat sine certo hærede, & controversiam de Rege successore proceribꝰ reliquerat. Johannes Balliolus uxorem habebat generis Regii, habebat talem quoq; Robertus Brussius, uterq; vota procerum apprehendebat maximo studio. Balliolum tuebatur Rex Angliæ, pollicitus quod armis suis Regnū ipsi procurare vellet, quādo illud beneficiario jure Angliæ subjiceret. Balliolus omnia facturus, ut potiretur solio, consentiebat in legem illā, & Anglicanis armis obtinebat regnum. Mox tamen pœnitebat eū consilii, abjectaq; fide, quā nuper dederat Anglis ad Francorū auxilia confugiebat. Edvardus ulturus viri ingratitudinē, æmulum ejus veterem Brussiū occultis literis concitatum, ut Balliolo novas lites intendere vellet, exercitu instruebat, vincebatur Balliolus, sed victor Brussiꝰ teli ictu peremptus est, Scotia omni genere cladis devastabatur, Baliolo ad montana redacto, Optimates & Nobiles spoliati bonis avitis per Angliādispersis locis habitare coacti sunt, ne deinceps rebellando Anglis negociū facesserent. Prorex Johannes Varhamius Sudsexiæ Comes missus in Scotiā, jura dabat genti secundū leges Anglicanas. Galliæ Rex misertus Scotię sibi fœdere cōjunctæ, Brussii filiū exulem implebat firma spe occupādi regnum, quod ei velut propinquo hæredi deberetur, quanquam Angli armis suis acquisiverant illud. Dum Brussius cum auxiliis Gallicis aliquantū moratur,

Thomas VValsingham.

Buchananus l. 8. hist.

Edvardus quoque non dubium hostem in Galliæ Rege sibi concipit, Scoti facto concursu peregrinum jugum excutiebant. Scilicet Wilhelmus Vassas olim cum multis aliis in Angliam traductus, relicta statione sibi assignata in patriam aufugiebat, & ruralium valida manu contracta, vicos urbesque commovebat, Pro-Regem justo prælio ad Fortham amnem vincebat, brevique tempore fortunam belli ita circumagebat, ut Anglos universa Scotia expelleret. Edvardus reparabat copias, pronoque itinere Scotiam ingressus, Vassam conflictu ad Fonkircham superabat, decem mille viris interfectis, sauciato Vassa, qui non multo post in Glascoensibus agris civium suorum indicio proditus & per multos cruciatus occisus est. Denuò jugum Scotis imponebatur, Brussius verò frustrà venerat.

A.C. 1307. Pol. Virgil. l. 18. VIII. Ejus filius *Edvardus II.* pacis studiosior, victorias in Scotia obtentas non multum curabat, proinde victis populis redibat in præcordia virtus, atque ipsi ejectis Anglis Regem designabant Robertum Brussium exsulem, commendantibus eum Gallis. Is fortiter ac prosperè gerebat omnia, cumque militum copiam in promptu haberet, fratri suo Edvardo author erat, ut prolatis in Hiberniam armis prorsus inde etiam pelleret Anglos. Ceperat urbes in littore positas, sed cum nimium fideret novis subditis ab Armacano primate clanculum impulsi cives Dublinenses Principem secum agentem & sine præsidio justo, comprehendebant, & captivum Londini sistebant, ubi contradicente quamvis Rege Parliamenti decreto securi percussus est. Scoti vindictam exacturi, correptis armis vastabant Angliam, Barvico potiti, Regem obvium cruento prælio fundebant. Unde non parvus Regis contemptus exstitit, Scotis in plenam libertatem vindicatis, Angli verò etiam factionibus in partes contrarias divisi, de Rege novo eligendo consultabant. Eorum præcipuus autor Lancastriæ Comes, ut sibi procuraret Regiam potestatem, domesticis pariter atque externis legionibus instructus, Londinum versus progrediebatur, sed prælio victus & captus, inde securi subjectus est, commilitonibus per fugam dispersis. Nihilominus cæteri proceres instabant apud Reginam Isabellam, ut Regi marito persuadere vellet, quando ipse crapulis atque ocio nimium deditus curas publicas minus adverteret, ocium sibi faceret omninò, filiumque solio imponeret. Rex multum ac diu recusabat, interim turbis auctis, ne seque suumque filium

pariter spoliaret potestate, con-
A.C. cessit demum filio coronam, ipse
1326. in castellum Barclaium missus, ibi paulò post custodum perfidia, quos Comes Herefordensis im pulerat, cum in lecto jaceret, stragulis injectis opprimebatur.

Pol. Virgil. lib. 19. IX. *Edvardus III.* Rex magnanimus & felix, primus instituit Equites periscelidos aureæ. Cum Scotis & Gallis acerrima bella gessit, semper victor. Scotiæ Rex fortissimus Robertus obierat, postquam votum fecerat, quod vellet in Syriam proficisci & adversum Saracenos bello sacro militare. Morte præventus non poterat votum implere, attamen rogabat ut Duglassus procerum nobilissimus cor, ipso defuncto adferret Hierosolymas, atque ibi sepeliret. Duglassus in itinere occidebatur. Anglus verò pugnam orsus successorem Regem Davidem Brussium prælio cepit, captivumque detinuit an nis decem. Tunc enim pace facta, & accepta pecuniæ summa ingenti dimisit eum. In Gallia multis conflictibus dubiis habitis, duobus verò ad Cressiacum & Somam victoriis potitus maximis, eò compulit Philippum Valesium Galliæ Regem, ut de Regni possessione incertus, filium suum Johannem regni clavo admoveret. Edvardus Normanniam, majorum suorum hæreditatem armis cernebat, & Caleto expugnato, haut procul à Parisiorum urbe abesse nunciabatur, cum Johannes prælio ad Burdigalam decernere ausus, vincebatur & captivus in Angliam deducebatur. Habebat filium Edvardum Nigrum, virtute, animo, fortuna parem, sed qui potestatem regalem nunquam sortitus vivo adhuc patre obiit. Hujus verò filius *Richar-* A.C.
dus II. successit avo Edvardo. ipse 1377.
non quidem ignavus, verum in *Pol Virgil.*
successu patri avoque Regum *l. 20.*
felicissimis multum dissimilis, non unam à Scotis & Francis accepit cladem, & culpam imputavit proceribus suis, quorum plurimos exilio punivit, quosdam morte affecit, atq; inter hos erat patruus ejus Thomas. Sed exsulum præcipuus erat Henricus Lancastriæ Comes, qui clanculum reversus in patriam, & Cambrorum exercitu munitus, invisum proceribus Regem ca-
piebat Londini, inque carcere A.C.
per lictores necabat. Hic est *Hen-* 1399.
ricus IV. quem statim Scotorum *Pol. Virgil.*
irruptio in Angliam excepit, ve- *lib 21.*
rum cæsis illis ad Homeldonum Northumbriæ vicum, captoque Regis filio florem nobilitatis amiserunt, & Rex quidem victoriam persequi nō poterat, domestica Walliæ nobilium rebellione impeditus, qui benificii loco imputando Regi, quod armis suis Londinum effregissent, Richar-

dum in vincula misissent, Comi-
tem solic impositum Regem de-
claravissent, multas avitasq; liber
tates jure velut suo petebant, &
nisi Rex daret, sedicionem com-
minabantur. Victi pugna & bo-
norum parte aliqua spoliati, pacē
A.C. rogabant. Rex morbo pertinaci
1413. consumptus habebat successorē
Pol. Virgil. filium suum, *Henricum V.* qui pa
lib. 22. cem stabilem Scotis obtulit, sed
cum Gallis veteres lites capiendo
prælio congressus ad Dagincurtū
vicit, decem millibus hostium oc-
cisis, totidē captivis. Inde Rotho-
mago & Cadomo valida præsidia
imponebat, ductoq; exercitu Pa-
risios versus, Reginæ in occursu
has pacis leges dicebat, ut filiam
Regis Catharinam matrimonio
acciperet, ut titulum Regis Fran-
ciæ usurparet, ut socero defunctò
Regnum ipsum hæreditatis jure
immutabili adiret, ut Delfinus
apanagio contentus viveret, ut
Normannia, Pictavia, Aquitania
liberrimi juris essent. Leges duræ
quidem, sed Carolus Galliæ Rex
pacem firmabat, uti poterat, non
etiam uti volebat, & Henricus vi-
ctoriæ fiducia nihil non ausus
proceres Galliæ in verba sua ju-
ramento adigebat.

A.C. X. Decessit Meloduni non sine
1422. veneni præbiti suspicione. Ejus
Pol. Virgil. filius *Henricus VI.* teneræ ætatis
lib. 23. successit, & Curator additus est
Humfredus Lancastriæ Comes,
patruus ejus. Bellum in Gallia im-
prosperè gerebatur, civiumq; suo
rum prono favore usus Delfinus,
potentissimas urbes recuperabat
cęsis, ejectisq; Anglorū præsidiis.
Lancastrius immeritò vocatus in
suspicionem, quod cum hostibus
colluderet, aodamnatus ad car-
ceres, demū per sicarios strangu- A.C.
labatur, cumq; deinceps bellū pa- 1446.
ri serie procederet, victis ubique
Anglis & tota Aquitania ejectis,
propinqui Comitis ejus, qui in
vinculis perierat, exercitu coacto
bellū movebāt Regi. Eorum cla-
rissimi *Richardus* Dux Eboracen-
sis & *Edvardus* Comes Warvvi-
censis, prælio acto Regem capie-
bant, eumque juramento adactū,
quod Eboracēsem Pro-Regē ad-
mittere vellet, illico dimittebant.
Vix liberatus erat, cum revocaret
omnia, proceres velut hostes pro-
scriberet, bona eorū fisco inferret
sed magis irritati illi ex Ivernia &
Cambria novas legiones conscri
pserunt. Orta ad Northamptoniū
pugna viginti mille viri occubue
runt, fugit Rex in Scotiā, Ebora-
censis acie periit, VVarvvicensis A.C.
loco successit, ipsumq; occupavit 1461.
soliū. Neq; Henric. profecit quic-
quam Gallicis aut Scoticis auxiliis
sed cum habitu mutato deprehē-
sus esset in Northumbria, captus
in vinculis obtruncabatur.

XI. *Edvardus* IV. Regni inva- *Pol. Virgil.*
sor, non dissimilia iis quæ fecerat, *lib 24.*
passus est. Namq; frater ejus Geor-
gius Clarentiæ Dux pro liberan-
do Hen-

doHenrico, (qui tunc in vinculis adhuc vivebat) impense conatus exercitum comparabat, & VVarvvicensis Comitis auspicio feliciter præliatus non procul Londino Edvardum profligabat. Is verò nec à Scotis nec à Gallis receptus, veniebat ad Carolum Burgundiæ Ducem, socerum suum, & impetratis auxiliis ibat repetitum omnia quæ amiserat. Classe devectus in Angliam ad agrum Eboracensem appulit, inde Nothingamum versus movit, ubi provincialiũ viribus auctus contendit Londinum. Orto prælio ad fanum Albani peremptus est Warvvicensis, copiisq; ejus fuga tis Rex partim suasibus, partim armorum terrore permovit Henricum & Georgium, ut ille ex aula rediret ad carceres, hic verò gratiam fratris supplex peteret. Condonavit quidem Rex, ut videri volebat, sed cum paulò post Gallicis bellis adesset, ac valida manu collecta Regem Ludovicum, sic satis à Burgundiæ Duce Carolo vexatum, novis velut turbis premere vellet, Rege jubente comprehensus, inque do-
A.C. lio vini Cretici per inversum ca-
1480. put submersus primum, inde capite truncatur.

XII. Reliquit filios duos Edvardum V. & Richardum, sed patre defuncto ambos sustu-
A.C. lit patruus *Richardus* Lancastriæ
1483. Comes, ac Regina vidua in carcerem ducta, coronam sibi im- Pol. Virgil. lib. 25.
posuit, defunctum fratrem criminatus, quod matre adultera natus esset. Sævus ergà omnes, proceres multos suppliciis afficiebat, alios exilio damnabat, qui profugerunt ad Scotos, Gallos, Flandros, & copiis conscriptis ducem belli adversus Regem nominabant Henricum A.C.
Comitem Richemontis. Et suc- 1485.
cessit victo ad Bosvvorthum cæsoque Tyranno, ultimo è Normannorum gente masculo hærede. Nam *Henricus* VII. avum *Franciscus Verulamius in Annalibus*
habuit Ovenum Cambriæ nobilem, maritum Catharinæ Henrici V. Regis viduæ, quem capite mulctaverat Humfredus Regni Curator, illo tempore, quo Warvvicensis Comes rebellione vexabat Henricum VI. Regem. Sed tamen Edvardi IV. Regis filiam in matrimonium recepit, Regalibus nuptiis regnum firmaturus, ut non tàm in extranium translatum, quàm in familiam Regũ *Pol. Virgil. lib 26.*
veterum reversum videretur; simulq; obliteravit periculosas factiones rubrarum & albarũ rosarum. Pacem fecit cum Gallis & Scotis, moriens successorẽ habuit filiũ *Henricum* VIII. omnibus na- A.C.
turæ bonis cumulatissimum. Is 1509.
bello invadebat Galliæ Regem *Ludovicum* XII. ut eum de me- *Iovius l. 11. histor.*
dio victoriarum cursu, quibus per Italiam clarebat, retraheret. Thomas Graius Dorsetensis Mar-

Marchio vexabat Aquitaniam, Havardus maris præfectus depopulabatur Britanniam & cum navibus præda gravibus Vectem Insulam versus enavigabat. Copias novas sedecim mille virorum adducebat Georgius Thalbotus & Therovannam Flandriæ urbem obsidebat, profligato Duce Longovillano, qui commeatum inferre satagebat, ad deditionē redigebantur cives Mox & Tornacum superabatur. Vicissim à Galliæ Rege conciti Scoti, facta irruptione in Angliam cum quinquaginta millium virorum exercitu, infeliciter adeo pugnabant, ut Rege ipso occiso, quindecim mille peremptis, captis vero totidem, domum inglorii redirent. Gallus pecunia data expiavit hostem, ut bellorum abstinens pacis negocia sedulo curaret, pacis obsidem accipiebat Gallus, ducta in matrimonium sorore Angliæ Regis. Et hic quidem uxorem habebat *Catharinam* Ferdinandi Aragonii filiam, sterilem eam, proinde masculæ prolis cupidus, divortium petebat Romæ, nec tamen Papa volebat autoritate sua roborare illud, veritus Caroli Cæsaris in Italia dominantis gratiam amittere, materteræ suæ injuriam tantam irrogari, non satis æquo animo laturi. Quo percepto Sorbonam consulebat, & benivolum responsum accipiebat, scilicet posse Regem à thoro isto divertere, tum quod fratris ejus Arthuri sponsa illa fuerat olim, tum quod inepta ad generationem Regno obesset, ubi hæres masculus omnino deesset hactenus in vegeta Regis ætate. Suffragabantur Thomas Volsæus Archiepiscopus Eboracensis, Clerici pariter ac Nobiles omnes, quia sic Rex volebat, tantum quod dissentirent Thomas Morus Cancellarius & Johannes Vischerus Episcopus Rochestriensis, editis contra Regem libellis Volsæus cum spe decidisset, quam ei Cæsar de consequendo Pontificatu Romano injecerat, Franciæ Regis sororem destinaverat Regi suo futuram conjugem. Mox audito, Regem Boleniæ amore imbutum, tepidior factus in stabiliendo divortio, excidit gratia, metuque supplicii anxius, vitam abrupit. Rex vero propositum tenuit, malamq; Papæ gratiam retulit potestatem ejus tot annis Regno toto usurpatam abrogando, denarium Petri ad fiscum suum referendo, Morum & Vischerum securi feriendo, *Annam Boleniam* Vice-Comitis Richefordiæ filiam in thorum adducendo. Hanc non multo post adulterii incusavit, & lata sententia, percussam gladio sustulit, matrem Elisabethæ, quæ deinceps regnavit.

[Margin notes: A.C. 1513. — *Iovius l. 6. Elogiorum num.* 4. — A.C. 1532.]

XIII. Tertia uxor ejus *Iana Semersa*

meria peperit filium Edvardum, cumq; eo tempore Jacobus Scotiæ Rex obiisset, relicta unica filia Maria, proceribus nonnullis persuasit, ut matrimonio junctis hæredibus regnorum duorum, regna ipsa unirentur, ne qua bellorum occasio inter gentes adeo vicinas superesset. Verum Cardinalis Sanct-Andreanus Reginaldus Polus Regi infensus propter abjectum Papæ jugum, & Regina vidua è Gallis oriunda recusaverunt. Gallorum consiliis impulsi, ne Angliæ potentia nimium augeretur. Rex bello petebat Scotiam, vastatisque agris obsidebat Edinburgum, urbe potiebatur, ab arce repulsus tamen, confluentibus eò in tempore Gallorum auxiliis, quæ perinde etiam Dumbarum & Sterlinum communiverant. Quamobrem Scotia omissa, obsequens fœderis ejus, quod cum Imperatore Carolo pepigerat, Oceanum trajiciebat, Bolognam urbem in Picardia tormentis verberatam expugnabat, & postquam Francisco Regi magnam auri summam extorserat, domum redibat.

Jovius l. 45 histor.

XIV. Morti proximus Thomam Norfolcium, cujus opera in causa adversus Papam Romanum usus fuerat, perpetuo carceri mancipabat, & filium ejus Comitem Surrejæ, cujus virtus in bello contra Gallos perspecta fuerat, securi percutiebat. Cæterum testamento exarato commendabat filium suum *Edvardum VI.* Regni proceribus, ut quocunque modo sponsam Mariam traderent ei. Ibant Legati in Scotiam, luculentæ conditiones offerebantur Genti, quando matrimonium conciliaretur Regis cum Regina Principe, cunctantes novo bello aggrediebantur, consertoque ad Musselburgum prælio vincebant, fugabant, captis vel occisis multis nobilibus. Exercitum regebat Edvardus Semerius Dux Sommersetensis, Regis avunculus, ut vero bello finis imponeretur, Regina puella mittebatur in Galliam, ubi educata est & Regi Francisco demum copulata. Semerius non placebat omnibus Collegis suis, nactusque irreconciliabiles hostes, Comitem Warvicensem & Johannem Dudlejum Northumbriæ Ducem, per fidis horum criminationib9 succumbebat, proditionisque accusatus securi feriebatur. Et tamen ille optima fide egerat omnia pro Regis salute conservanda. Secus vero Dudlejus, qui veneno præbito Regem peremit in flore ætatis. Causæ potissimum duæ permovere eum poterant, tum ut Henrici VIII. factum qui patrem ejus capite mulctaverat ulcisceretur in filio, tum ut excisa virorum progenie, successionis jura traduceret ad fœminas relictas.

A.C. 1547. *D Chytræus l. 1 Saxonia*

Thuan. l. 5 histor.

Thuanus l. 9. histor.

A.C. 1553.

Ccc Fili-

Thuanus l. 13.14.15. histor.

Filius ejus Gilfordus uxorem habebat Johannam Suffolciam, progenitam Maria quæ fuerat soror Henrici VIII. Regis. Proinde volebat Gilfordum solio imponere, & comitiis Londini habitis declamabat serio adversus Regis defuncti sorores, Mariam atque Elisabetham, quarum illius mater à divortio passo, hujus ab adulterio commisso, vitium maximum contraxissent, adeoque filias suas legitimo successionis jure indignas reddidissent. Accersebatur Jana Suffolcia, & nobilium omnium approbatione coronam accipiebat. Sed apud vulgum non obscura indignationis documenta illico exstiterunt, nullæ enim audiebantur congratulantium voces, & Henrici Regis Testamento prolato, constabat, tabulis secundis hæredem scriptam esse Mariam filiam è Catharina Arragonica. Hæc igitur vulgi studio in rem suam bene usura, pecuniam conflabat, exercitum conscribebat. Quo territi proceres multi defecerunt à Suffolcia, & ipse Northumbriæ Dux, ut erat humilis ingenii, desertus ab omnibus seipsum deserebat protinus, cumque sollicitus de capite suo esset, Suffolciæ insignia Regia detrahebat, monebatque ut regni abstinens ad privatam vitam redire non ægre ferret. Inde Londino profectus ipse conventu populi acto Cantabrigiæ, Mariam proclamabat Reginam. Hunc tamen Comes Arondelensis in vincula mittebat, & Reginæ oblatum, securi percutiebat Londini, velut supremum autorem turbarum, Suffolcia in carcere detinebatur, patre ejus, Duce Suffolciense, apud Reginam deprecante, ne propinquam suam interficere vellet. Hæc Regis filia, sed rejecta, Regis soror, at fastidita ob sævos mores, summo loco nata, sed velut privata, multis si forte petita procis, recusata plurimis, vulgi studio ad imperium provecta, sed procerum votis damnata, præter omnem spem, superata fortunæ invidia, Philippo Hispaniarum Principi matrimonio juncta regnum Angliæ pro dote illi attulit. Gaudebant multi, quod Regina extra regnum abducta procul à rebus gerendis abesset, multi contrariis votis augurabantur, conjugium Hispanicum damno maximo futurum Angliæ. Ex his Suffolciensis Dux, filiam suam novis tumultibus offerebat, allectisque in partem suam nobilibus aliis, cum exercitu Londinum versus properabat, verum cæso illo per Comitem Huntintonium, & capto Duce quieverunt turbæ, Reginæ jussu Dux capite plectitur, Johanna eodem supplicio afficitur, Princeps elegantissima & meliores literas apprimè docta.

A.C. 1554.

XV.

Thuanus l. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. histor.

XV. Regina vero, secus quàm expressa lege caverat ipsa, mariti bellis immiscebat sese, atque exercitũ Duce Pembrocense, Quintini fanum obsidenti auxilio misit. Cæsis Gallis dedebatur urbs, cumque Anglis una imputaretur exercitus maximi jactura, ad referendam vicem Galli oppugnabant Caletum, atque iteratis summa virtute assultibus, demum capiebant, postquam ultra ducentos annos in potestate Anglorum fuerat. Decessit hydrope, & secundũ Henrici VIII. tabulas successit loco tertio hæres, Elisabetha soror. Hæc pacis leges in sacris perinde & civilibus tota Anglia & Ivernia promulgavit exclusis omnino Hispanis. Qui vetera pacta novis confirmaturi, suadebant Regi Philippo ut matrimonium Elisabethæ peteret, verum excidebant votis, itaq; varias occasiones quærebant, si qua possent nocere Anglis. Et quia in vicino Belgio naves copiasq; habebant, Hiberniam petebant, ubi Comes Tironius sedicionem alebat. Res non levibus armorum experimentis peracta illum evẽtum habuit, ut Binghamo Duce vincerent Angli, ejectisq; indigenis novas popularium suorum colonias restituerent, cœteris ad pagos redactis, ut furores eorum tanto facilius comprimerentur. Hispani infectare, sed quam propediem majoribus ausis instaurare decreverant, in Belgicam redierunt. Porro Hispanos viribus omnibus aggressura, Batavis suppeditavit pecuniam, naves, milites, annonam: Franciscum Dracum & Thomam Candisium cum altera classe misit ad portus Americanos, qui Peruviæ urbes diripiendo, & circumnavigando orbem, cæsis Hispanorum præsidiis, expugnatis navibus, immensi pretii spolia avexerunt

A.C. 1558. Cambdenus in annalibus rerum Anglicarum.

XVI. Rex pro damno sibi illato reparãdo, formidabilem classem tribus annis apparabat, trecentarum navium, quibus vehebantur decem mille milites, totidẽ mille nautæ, præeratq; Alfonsius Peresius Medinæ Sidoniæ Dux, tanto cum maris imperio, ut post expugnatã Angliam, direptam Scotiã, liberatã Hiberniam, ferocius instaret Belgis, Germanis Gallisq; metum incuteret. Accedebat Sixtus V. Papa, suis quoque legibus Angliam acquisiturus, quam isti sacerdotio tributariam Regum quondam simplicitas effecerat. Veterum exemplo bullis editis Angliam exponebat occupanti, veluti quam nullo jure oppressam Regina per illustrium virorum cædes & populi metum detineret, solvebat indigenas jurisjurandi religione, qua tenerentur, ut Reginam maxime vivam, sin minus possent, necatam traderent.

A.C. 1588. Fam. Strada part. 2. l. . Gotius l. 1. histor. Belg.

 Præ

Præmium addebat sceleri scelerum impunitatem, etiam apud Deum, atque alia id genus ludibria, quæ rudibus seculis maximè valida fuerant. Classis ingens stabat apud Insulam Vectem, jactisque anchoris expectabat minores è Belgio naves à Duce Farnesio collectas, ut impetu uno per Tamesin subveherentur Londinum. Sed has Batavi sub Justino Nassovio eminus obsessas prohibebant, ne erumperent, itaque classis Hispanica non poterat amplius commorari loco periculoso, maturatoque discessu contendit Pleimuthum. Et verò Anglorum Rectores Carolus Havardus, Franciscus Dracus, Martinus Forbisserus abeuntes persequebantur, navium mole inferiores multò, animis & virtute militum præstabant. Naves maximæ tardius provectæ, ad pugnam imparati milites, animos Anglorum incendebant, qui navibus suis celeriter pergendo, venti favorem semper captando, atque momento ferè nunc dextrum nunc sinistrum latus elibrandis commodissimè tormentis in hostem dirigendo, magnum damnum inferebant Hispanis. Nam & Seviliensium prætoriam navem, ubi imperabat Petrus Valdesius, ad deditionem compellebant, & Oquendi aliam ignibus exurebant, & Venetam perforatam demergebant, & plurimarum vela, antennas, malos, clavos verberando, affligebant eas, ut contrà fluctus marinos & ventorum intemperiem minus commodè regi possent. Triduo exacto inter gravissimos conflictus, desperato ad aliquod Angliæ littus appulsu, iter capessebant versus Flandriam, unde Parmensis credebatur adfuturus esse, qui interea templa circumcursabat, vota faciebat, quomodò solent insani spe aut consilii expertes, postquam Semerius cum parte navium Anglicarum accesserat ad Batavos, ut tantò magis custodiretur. Ad Caletum statio, ut putabant, tuta subducta est, in ista propinquitate littoris pro commeatu adferendo, & navibus reficiendis. Noctu oriebantur procellæ, quæ ab Oceano validè spirabant ad littora, iis usurus Dracus octo lembos incendiarios firmiter compactos pice & igne complebat, propulsosque immittebat confertis navibus hostium, quæ ignibus improvisò circumdatæ non sine magno labore funes & vela expediebant, inque altum educebant. Inter hos tumultus Galeata navis, quam Hugo de Moncada regebat, ab Anglis capiebatur & spoliabatur, sed incendi ipsam Caleti præfectus vetabat, ut Regi Hispaniæ nondum hostem professo in Galliam, amicitiæ species serva-

Thuanus lib. 89. 90. histor.

ſervaretur. Manè quieſcebat ventus, & Hiſpani velis applicatis navigabant in Flandriam, ſecuti illico Angli & in conſpectu Grevelingæ facto prælio, naves hoſtium tot incommodis affectas, majori etiam vi & velut integras adorti, expugnabant, lacerabant, mergebant, inque vada propellebant, & opima ſpolia reportabant. Reliquiæ in fugam verſæ Norvegiam petebant, ubi rurſum deprehenſæ ab imbribus & procellis tanto cum impetu diſpergebantur, ut naufragio facto in vicina littora quæcunque expellerentur. Angli obſervato tantum curſu, ne Scotia fortè aut Cimbricum fretum peteretur, ubi omnem hanc oram omitti conſtitit, & vaſto mari fugam tantum quæri, noluerunt alios inſequendo ipſi idem diſcrimen incurrere, depulſæ claſſis & ſervatæ patriæ gloria contenti. Tanta claſſis ſolum viginti laceras & dirè mulctatas naves in Hiſpaniam, de clade accepta nunciaturas, remiſit, cæteras flamma, procellæ, fluctus ſepeliverant, aut victores occupaverant. Hoc memorabilior exitus fuit: omni tempore, quo cum Hiſpanis pugnatum eſt, navis alicujus pretii nulla, homines bello marique non ultrà centum deſiderati ſunt, Hiſpanos interea genus omne miſeriarum exercuit. Ita *ſurrexit Deus & judicavit cauſam ſuam*, quas voces ſacras cruenta Hiſpanorum apluſtria miro præſagio efferebant. Cuſi triumphales nummi aurei, verba adjecta ſunt latere uno, *Soli Deo gloria*, ab altero plurimæ naves ibant peſſum, cum hac inſcriptione, *Claſſis Hiſpanica venit, fuit, ivit.* Regina triumphum ſplendidum Londini peregit, & oratione ad populum expoſuit, majore nunquam æternæ providentiæ beneficio approbatum, quàm infirma adverſus vim ſuperam humana præſidia ſint Neq; unquam deſiit Hiſpanos vexare. Robertus Eſſexius & Carolus Havardus tenebant cum valida claſſe Gades, ubi naves Hiſpanicæ octuagintà ſtabant, milites & arma devecturæ in Belgicam, eas invadebant, primoque adventu terrebant plebem nauticam, ut navibus inter ſyrtes appulſis, ipſi vel enatarent vel mergerentur. Victores in portum irrumpebant, cæſiſque præſidiariis urbem diripiebant, ſed cum ipſi Gadium deprædandarum cauſa naves ſuas exonerarent, nuncio percipiebat aurifera claſſis è Peruvia de Anglorum piratica, atque ita Terceram appellendo, theſauros loco tuto

deponebat. Essexius deinde missus in Iverniam, ut persequendo Comitem Tironium novas seditiones abrumperet, pace data Reginæ injussu, hostibus non multum damni intulit. Ob id proditionis accusatus, ad Reginæ intercessionem dimittebatur, sed cum expostulare vellet de injuria sibi facta, & correpta militum manu palatium ingrederetur, denuò condemnatus, securi percutiebatur. Et tamen unus ille multis hactenus annis in flagrantissima Reginæ gratia fuerat, suffultus clientelis, armatus legionibus, terra marique Victor, eversus propria ingenii confidentia, tunc cum sine decore, sine imperio vitam privatam ferre non poterat. Franciscus Dracus in expugnanda Lissabona felicissimè agebat, Antonium nothum reducturus, tantum quod incolæ viribus suis diffisi, consilia ejus pari fide non juvarent, & ipse profectus altera vice ad Antipodas, spoliis datis captisve, morbo correptus in portu Ricco obiit, vir quem rerum mari gestarum magnitudine Veterum nemo anteivit, nec posterorum ullus æquabit.

A.C. 1603. XVII. Secuta cum morte Regina, postquam constantem & æqualem fortunam tota vita experta fuerat. Magnis casibus conflictata, magnas res pari cum viris animi magnitudine gessit. Fuit ingenio docili & scientiarum cupido, statura procera & digna imperio specie. Conjugium recusaverat, procos multos & potentes, Ericum Suedum, Carolum Austriacum, Henricum Andegavensem, Franciscum Alansonium, Johannem Austriacum, ipsumque Philippum Hispaniæ Regem spreverat. Valetudine prospera semper usa, vixit annis septuaginta, regnavit quadraginta quatuor, placida morte vitam felicissimam finivit. Regnum opibus florentissimum & pace beatum reliquit hæredi Jacobo Scotorum Regi, eruditorum omnium Patrono eminentissimo, quique primus intrà omnem annalium memoriam Britanniæ totam Insulam uno imperio complexus est.

CAPUT II.

De rebus gestis Regum Scotiæ.

I. Scoti Anglorum vicini eorundemque agrorum consortes, dimidiæ Britoniæ imperium obtinuerunt in partibus illis, quæ vocantur Caledonia. Reges gentis ejus ex primæva vetustate multos recensent Scriptores vernaculi, fabulosas traditio- *Hector Boethius, Buchananus.*

ditiones cum veris facili nimis
fide permiscendo. Hoc con-
stat, Romanos post domitam
Angliam, perrexisse quidem ad
occupandos agros in mediter-
raniis, sed montanos illos nun-
A.C. quam subigere potuisse. Eo
82. tempore quo Julius Agricola
Britanniam omnem circumna-
Tacitus. vigabat, & Insulas Orcades per-
lustrabat, Rex Scotiæ Galgacus
pro libertate sua retinenda acri-
A.C. ter pugnabat, victus in monta-
86. na latibula confugiebat. Sub
Adriano Cæsare præfectus In-
A.C. sulæ erat Julius Severus, qui val-
134. lo permunito citrà montem du-
Buchananus l.4. cto volebat prohibere Scotorum
irruptiones, quorum Rex tunc
temporis erat Mogaldus. Ejus
ex sorore nepos Donaldus non
A.C. unam accepit cladem à Septimio
208. Severo Cæsare, & novo insuper
vallo separatus, maximam par-
tem agrorum perdidit. Deinceps
Ivernorum latrociniis vexati,
cum nec Romanis in servitutem
uti ajebant, sese dedere vellent,
nec hostium direptionibus resi-
stere possent, navibus profecti
A.C. in Scandinavia novas sedes quæ-
380. rebant. Pax erat tantisper in fini-
bus, donec interjectis multis an-
nis, populo multiplicato, ad præ-
A.C. sidia Romanorum deturbanda
429. provolarent denuò, Anglisq; ne-
cessitatem injicerent Regem ex
indigenis creandi Vortigernum,
postquam à Romanis auxilia nul-
la mitterentur, bellorum exter-
norum mole oppressis. Ab illo
evocati Angli fortiter dimican- *Buchananus l.5.6.7.8.9.*
do Scotos ultrà Adriani vallum
rejiciebant, qui tunc Regem Eu-
genium habebant. Secutis annis
conflixerunt adversus vicinos,
nunc victi, nunc victores, fini-
busque prolatatis, Danorum ope
Northumbriam & Cambriam
subegerunt. Reges inclarebant, A.C.
Kennethus, Donaldus, Constan- 823.
tinus Milocolumbus, Alexander
Celebres imprimis & victoriis &
cladibus suis Wilhelmus, quem A.C.
Angliæ Rex Henricus II. prælio 1165.
cepit: nec non Johannes Ballio- A.C.
lus & Robertus Brussius, quos fe- 1285.
lici bello exercuit Edvardus An-
gliæ Rex potentissimus. Nec mi- A.C.
nus infelix David Brussius, quem 1329.
Angli decem annis captivum ha-
buerunt, ac precio soluto dimise-
runt. Ejus nepos ex sorore Ro- A.C.
bertus Stuartus novissimi ævi 1370.
Principes condidit.

II. Cum Richardo Angliæ Re-
ge feliciter pugnando Barvicum
occupavit, exercitus verò sub du-
ctu Arcibaldi Duglassi in Nor-
thumbriam progressurus clade
non mediocri accepta repedabat
ad Tuedam fluvium, oppositis
subinde per illos, qui fugā bono
ordine tenebant, fortiter corpo-
rib9, ne Angli persequēdō recupe
rarēt ablata spolia. Successit ei fil. A.C.
Johannes, maximo vict9 prælio 1390.
ab Henrico Anglo, & verò hostes
pyra-

Buchananus l. 10. pyraticam exercentes, Regis filium Jacobum in Gallias profecturum ad Flamburgum promontorium capiebant, David filius alter ob impuros mores à sicariis in Falcolandia obtruncatus est. Pater mœrore decessit
A.C. 1406. Rothesajæ, & hujus frater Robertus munia Pro-Regis obivit, donec Jacobus copioso auro liberatus reverteretur in aulam.
A.C. 1423. Hic fœdus inivit cum Galliæ Rege Carolo VII. quem victricia arma Henrici VI. Regis Angliæ premebant. Sed tamen pacis studiosus bella nequaquam gerere volebat, cœterum leges tulit, forum reformavit, sacerdotum potentiam refrenavit opesque diminuit, quantum sine illis vivere commode satis posse videban
A.C. 1447. tur. Quod unum Regem optimum fato suo impegit, cæsusque in cubiculo suo per sicarios, quorum ductor erat Waltherus patruus ejus Atholiæ Comes, viginti octo vulneribus, non sine luctu civium suorum, quibus consilio salubri pacem optatam conservaverat. Filius hujus Jacobus II ætate hactenus minor,
Buchananus l. 11 procerum factiones in gente illa præ aliis frequentes haut poterat compescere, & Regina mater in arce Sterlini munitum præsidio filium moribus suis assuefaciebat, operam suam unà ei commodante Alexandro Levistoniæ Comite. Hujus inimicus Duglassus Comes insidiatus Regi inter venandum, ut matris potestati ereptum manciparet suæ, improspere egit, captusq; & Edinburgũ adductus, mulctatus est capite. Vix civiles turbæ desierant, cum Angli in Scotiam expediebant sub Rege Henrico VI. verum cæsi ad Tuendam mediocri prælio, tres mille viros amiserunt, & quinq; annorum inducias obtinuerunt. Elapsis iis vehementissimæ sediciones inter Anglos ortæ, Regem *bello timidum*, ut ajebant, *pace sordidum, qui spreta nobilitate homines novos efferret*, coegerunt solum vertere & ad Scotorum auxilia confugere, quibus eductis Rex ipse obsidebat Rofseburgum castellum, inq; castris incautius versatus, tormento dis- A.C. 1460.
ploso enecabatur, Princeps bello ac pace insignis.

III. Delatus in castra filius ejus Jacobus III. præsentia sua accen- Buchananus l. 12.
debat milites, ut castellum expugnarent. Rex Angliæ profugus cum quibusdam turmis, habitu ignoto longius evectus speculandi gratia, proditusque à comitibus suis capiebatur, & Londini in carcerem mittebatur. Neq; eum deinceps curabat Scotiæ Rex, sed militem revocando, pacem faciebat. Domi enatæ turbæ sunt. Robertus frater ejus accusabatur insidiarum, & venis incisis cogebatur mori, alter frater Alexander in castello Dunbaro armatis cinge-

gebatur, quibus elusis veniebat in Angliam, procuratisq; sibi auxiliis cum foris tum domi adeo Regem affligebat, ut pace data Regni Vicarium eum designaret. Ita proceres volebant, postquã Regis animus ætate infirmus aulicorum blandimentis succumbebat, adeoq; res omnes tam sacræ quam profanæ in aula velut ad publicam nundinationem proponerentur. Rex vero non tulit diu hunc vitæ morumq; suorum Censorem, venenoq; potum interemit. Re comperta, proceres bellum Regi inferebant, quo victus & in fuga occisus ille, quanquam autor facti notus esset, impune tamen fecit, & Rex jure cæsus fuisse, procerum omnium decreto censebatur. Successit ei filius Jacobus IV. magnus Anglorũ amicus, donec illi Gallorum armis irritarentur ad hostilitatem exercendam. Tunc enim ut Angli cum Hispanis, ita Scoti cum Gallis propiori fœdere juncti, mutuas operas tradebant, & quidem Angli sub Henrico VIII. Rege invadebant Galliam: Scoti impedire volentes progressum Regis extra regnum suum arma ferentis, ingrediebantur Angliam, prælio que ad Bramstonum fortiter acto infeliciter finiebant, Rege ipso in acie cæso & Londinum ad sepulturam delato.

A.C. 1488.

Sabellicus l. 1. supplem. Jov. l. 11. hist. Buchananus l. 13

A.C. 1513.

VI. Ejus filius Jacobus V. duxit matrimonio filiam Galliæ Regis Francisci Magdalenam, & socero suo operas militares non spernendas adversus Carolum Imperatorem præstitit. Defuncta Magdalena secundam conjugem nactus est, Mariam Guisiam. Bellum gessit pro finibus tuendis adversum Henricum VIII. Angliæ Regem, cumq; inferior acie semper discederet, capto ab hostibus Edinburgo, pacem dedit, inque ocio provixit domi, & veneno demum sublatus est. Mascula prole carens, Mariam è secundo matrimonio filiam, fœminam ingeniosam quidem, sed arrogantissimam, testamento scripsit hæredem. Ne bello novo, quod Angli parabant, opprimeretur Scotia, Galliæ Rex pecuniam & milites navibus impositos auxilio submittebat. Rex Henricus differendo bellum, artibus agendum esse censebat, & Mariam filio suo Edvardo conjugem petebat, unde Regnorum duorum perpetua unio consequeretur. Proceres Scotiæ aliqui favebant Regis postulato, verum Galli certissimi hostes Anglorum obstando, persuadebant Reginæ matri, ut cum filia emigrare vellet ad Gallos, quo nunciato pergebat Henricus armis. Edinburgum vastabat, littora quaquaversus populabatur navibus prædatoriis. Prorex Matthæus Stuartus conscriptis legionibus accurrebat, sed impar

Buchananus l. 4.

A.C. 1542.

Buchananus l. 15.

hosti cũctabatur, insuperpromissis Anglorũ victus negligebat arma, ducta conjuge Anglica, unde natus est Henricus Stuartus, postea Mariæ conjunx. Rursum igitur Mongomerius cum Gallorum classe advolabat, Anglos pulsurus, qui Scotiæ agros rapinis exhausisse contenti, domum redibant.

A.C. 1547. Defuncto Henrico filius ejus Edvardus renovata lite quærebat matrimonium cum Maria, confligebat acri prælio ad Muselburgum, & vincebat, sed ne potiretur sponsa, egit serio mater vidua, profecta in Galliam abducta unà filia sua, quæ in Parisiorum urbe educata multis annis, Francisco Regi demum copulabatur.

Thuanus l. 3.4.5.6.7.8.9 10.11. seqq. hist.

V. Hæc est illa Maria Scotiæ Regina, ab infantia variis fortunæ casibus jactata, intra sextum postquam nata erat diem orba, inde matris lectissimæ fœminæ cura educata, paulo post belli periculis de patriæ amplexibus excussa, & in regiones exteras, quanquam ad fortunas amplissimas, abducta fuit, ostentato magis quam exhibito pleno gaudio: Franciscum II. Galliæ Regem conjugio accepit, quo simul & matre propediem extinctis morte inopina, ad luctuosam orbitatem recidit, superba vero titulis atque insignibus sese Galliæ, Scotiæ Angliæque Reginam efferebat, poterantq; aliquos eorum matrimonii & nataliũ jura defendere, sed Angliæ accessionem per summã injuriam fieri, querebatur meritò Elisabetha, optimo jure hæres. Reversa in patriam & ad subditos suos, variis curis angebatur, donec agnato suo Henrico Stuarto, Leviniæ Comiti, ob ætatis ac formæ præstantiam nuberet, eumq; Regem salutaret, ita vero ut ipsa Regiminis compos fere, sterile Regis nomen marito relinqueret. Ac ille contentus honore, scenæ tantisper non infeliciter inserviebat, demum vero parasitis quibusdam, Reginę gratissimis, ex aula profligatis, bilem movebat ei ut in ultionem animo obfirmato excandesceret. Rizius Sabaudus excitharædo comptulo factus magister libellorum, Reginæ favore potitus efferebatur adeo ut vetaret, juberet quæcunq; vellet, nobiles ad supplicia posceret, opes in fiscũ redigeret, satellites aulæq; ministros ex Italis conscriberet, removeretq; indigenas. Hoc proceres impulit, ut pro legibus patriis conservandis arma caperent, & Rizio pœnam mortis irrogari perlatis ad Regem supplicibus libellis efflagitatent. Clam eo decretũ factum est, & in aulã vocatus multis vulneribus confodiebatur. Regina vices referendo, Bothuellium Comitem mittebat, qui affli-

Fam. Strada part. 2. l. 8 Buchananus l. 16 17.18. hist

A.C. 1560.

Thuanus l. 24. 5.26 seqq. hist.

A.C. 1564.

afflictæ hactenus valitudinis maritum dormientem per sicarios interficeret, pulvere nitrato incubiculũ illato, incensoq;, unde lectus dissiparetur, & facinus occultaretur. Ac ille quidem acerbo funere elatus solium vel quasi vacuum effecit, Regina vero Jacobum Hepburnum Comitem Bothuellium ad matrimonium invitavit, idq; Proceres serio improbabant, & Reginam carcere, Comitem exilio puniebant. Hic profugus in Norvegiam, non diu supervixit, noctu in lupanari quodam confossus.

A.C. 1566.

Thuanus l. 38.3?.40. 41 42.43 histor

VI. Patris loco regnabat Jacob. VI. teneræ ætatis Princeps. Avus ejus Matthæus Darlæus Regis curator designatus est, & curarum velut particeps fact9 agnatus proximus, Jacobus Stuartus Moraviæ Comes, uterque religionis purioris fautor, ejectis Papæ præconibus, maximis turbis occasionem dederunt. Archi Episcopus Sanct-Andreanus ejectæ Reginæ partes defendebat, sed velut regni proditor accusatus è patibulo suspendebatur. Brevi post occubuit Darleus, à sicario quodam confossus, accepitque successorem Thomam Ereskinum Comitem de Mar, qui pro salute Regis multos labores sustinuit, & è Gallia accersivit Georgium Buchananum, maximæ eruditionis virum, sub quo Rex juvenis multum profecit, ut regnandi arte excelleret Regum exemplum. Regina Ordinum communibus suffragiis repudiata & in custodiã adducta, copias scribebat sub auspiciis Hamilthonii Marchionis, consanguinei sui, ablatum regnum omnino recuperatura, nisi Duglassus principiis obstando, in conflictu peremisset turbatorem, & recentes delectus oppressisset. Regina spe tanta dejecta clanculum de carcere elabitur, inq; Galliam contendit, opem quovis modo rogatura. Sed ex itinere in Anglia deprehensa, ad Reginæ colloquium provocavit quæ humaniter exceptam secum detinuit, hospitium, victum, commercia aulæ præbuit liberaliter, promisit auxilia ut cum filio Rege & proceribus in gratiam reduceretur. Cæterum hi consensu summo postulabant in aula Anglicana ut custodiæ daretur, fugitiva & criminum multorum rea. Constat ipsos Anglos jure aliquo suo voluisse Reginam in vincula mittere, ausam olim florentibus rebus titulum & insignia Regni hujus, donata sibi à Papa Romano, usurpare. Exaggerabatur novis querelis procurata ab ipsa mariti cædes, Leviniæ Comitis & Patricii Anglicani. Vitam cum possent eripere, doni loco reddiderunt ad perpetuos carceres

A.C. 1567.

L. Sylvius, Cambden9 part. 2. Annal rerum Anglic. Buchananus l. 19. 20. histor.

damnatæ. Novis criminibus veterum memoriam refricavit, postquam Havardum Norfolciæ Comitem, Babingtonum, aliosq; viros Nobiles literarum commercio ad defectionem à Regina
A.C. 1587. pellexisset, ac certissima ab Hispaniæ Rege auxilia opperiretur, Judicum votis damnata & securi percussa est.

CAPUT III.

De rebus gestis Regum Britanniæ magnæ.

A.C. 1603. I. JAcobus VI. hoc cumprimis egit, ut Regna Angliæ & Scotiæ unita ad easdem leges assuefaceret, Religionem puriorem ubique stabiliendo, Monachos proscribendo. Quamobrem pul-
Thuanus L. Sylvius.
A.C. 1605. verariam conjurationem invenerunt hi scelerum magistri, Regem, Reginam, Walliæ Principem, Regni Duces & Comites, Nobiles & Civitatum Delegatos, una ruina involvere & in aerem mittere gestientes, sed facinus eo ipso ferè momento, quo peragendum fuerat, evulgatum est. Complices erant Thomas & Robertus Winteri, Robertus Catesbeius, Guido Faukes, Thomas Perci, Johannes Wright. Scelestorum unus Montaquilium Baronem occultis literis monuerat, ne Comitiis adesse vellet, quæ improvisum ictum sensura essent, ut non videretur percussor. Id suspicionem Regi sagaci movit, ad quem perlatæ sunt literæ, ut crederet, periculum subesse. Scrutabantur apparitores Regis jussu cellam subterraniam Curiæ, ac viros horrendi operis custodes, nitratum pulverem, fungos ad intervalla temporum dispositos & lento tractu ardentes invenerunt. Faukes primarius horrendæ necis instrumentorum procurator stabat ad ostium, temporis momentum observaturus, quo commodè fieri posset fungorum excussio, visus in loco obscuro & deserto novus hospes, comprehenditur, & crimen quod celare nequibat, ubi rerum testimonia aderant, prodit, consciosque nominat omnes. Triginta sex dolia erant pulvere nitrato plena, & per angulos plurimos distributa, injectis saxorum, ferramentorum, truncorum, sarmentorum molibus, unde ictus posset validior esse. Sublatis fungis, ne pergerent ignem alere, dispositisque excubitoribus ad januam Cellæ, comitia extra periculum fuerunt. Perduelles fugerunt, sed partim in fuga cæsi, partim retracti & ad patibula ignesque damnati justo supplicio perierunt. Garnetus Jesuita rerum horrendarum conscius & approbator, de patibulo martyr factus, à Sodalitatis ejus scriptore, Eu demo-

VVolfgangus Meierus libro peculiari.

dæmone Cretensi amplissima encomia retulit. Cæterum Rex eruditus non dubitavit calamo suo exarare Commentaria, quibus Regum eminentiam uni Deo subjectam, adversus Bellarminum Italum & Perronum Gallum, Papalis omnipotentiæ assertores studiosè defendit. A bello maximè alienus, quoniam Regna unita sumptibus onerare nolebat, pacis artibus impetravit multa, plura etiam tentavit. viditque Palatini Comitis Friderici, generi sui, quem Bohemi Regem elegerant, prælia, fugam, exsilium. Quem frustrà precibus conabatur apud Cæsarem in gratiam reponere, adeoque pacis successu dejectus, ad fædus invitabat Galliæ & Daniæ Reges, Venetos & Hollandos, ut communibus viribus Austriacam domum invaderent.

A.C. 1625. II. Fædere obtento moriebatur, successorem nactus Carolum filium suum, qui in belli usum pro exsule Palatino arma virosque sub Mansfeldio emisit in Germaniam, classem simul in Hispaniam ablegavit, sed quæ cum fluctibus & ventis adversis luctata ad Gades, non parvum damnum accipiebat. Habebat conjugem Mariam Gallicam, Latinis sacris addictam, quæ ministris suis liberiorem vivendi rationem in aula ac pariter Regno toto, petere ausa, multorum invidiam concitavit, atque illis in ordinem redactis è Parlamenti decreto nunciabatur, ut vel arctius vivendo Angliam citrà turbas incolerent, vel finibus regni ejus excederent. Inde simultates primum, mox secutæ bellorum minæ, quas in effectum deduxerunt intestini Hugonottorum motus, & verò auxilium laturus Bukinghamus, segnior in promovendis armis, tàm commodè juvit Galliæ Regis conatum, ut devicta Aquitania, perdomitisque Rupellis cum triumpho reverteretur Lutetiam. A.C. 1628. Anglica classis Regi suo onerimagis, quam Hugonottis oppressis usui erat, cæso etiam domi suæ Bukinghamo. Proceres culpam malè gestæ rei non huic tantum, sed quoque Regi imputabant, ex adverso Galli accusabãt Regis lenitatem in uno, quatenus proceribus obnoxiam potestatem haberet, & in altero nimium ejus rigorem, quod Latinorum sacrorũ ministros omninò aversaretur, cum tamen Galliæ Rex toleraret Helveticæ doctrinæ præcones. Hæc & similia quotidie instillabat Regis auribus, Carolus Rosettus, Nuncius Apostolicus, Reginæ minister primarius, consilia formante in Gallia Cardinale Richelio. A.C. 1639. Sacris paulum reformandis initium factum est apud Scotos, missusque ad eos Regis nomine suffragante verò

Victorius Siri Tom 1. hiſtor Univerſ. l. 1.

etiam Williamo Laudo Archiepiſcopo Cantuarienſi novus liber Liturgiæ, novas cerimonias præſcribebat. Spotſvvodus Epiſcopus Edinburgenſis autoritate Regis permotus, commendabat librum novum, & publicabat. Sed miniſtri Eccleſiarum ſummo niſu repugnando, ſupplicibus libellis apud Regem quærebant remedium, cumque nihil impetrarent, ex bello inveniebant, & viginti millium exercitu miſſo, duce Alexandro Lesleo, ad Angliæ fines caſtra ponebant. Erant Puritani, quibus cum Anglo-Calviniſtis nunquam ſatis convenire potuit, Regis verò librum, & quæcunque illo continebantur, in Synodo Glaſcoæ damnaverant. Nimirum: Epiſcopis autoritatem omnem abrogabant, genuflexionem in cœna, baptiſmum privatum infantibus deſperatæ valitudinis adminiſtrandum, Cœnam ſacram moribundis domi porrigendam, improbabant: feſtos quoſcunque dies, ſolo Dominico excepto, aſpernabantur: imaginem aut ſtatuam crucis publicè in templis appenſam, ſonos Muſicos & inſtrumenta varia, nec non certas Evangeliorum formulas in Poſtillis deſcriptas, à ſacris prorſum removebant. Puritani illa velut Papiſmi dudum proſcripti tradita accuſabant, & quoniam credebant, Regem amoribus ergà Reginam valdè facilem conari talia, ut placeret Gallis, atroces iras conceperunt. Spotſvvodus ad carceres damnatus, antequã comprehenderetur, monitus à fratre Roberto, Secretario Regni exul abibat in Angliam. Copiæ armatæ, ſed vexillis & ſignis militaribus complicatis, ſtabãt ad fines Angliæ, libelloq; iterum miſſo in aulam petebant à Rege, ut vellet miſereri ſubditorũ, invifas novitates abrogando, inſimul Proceres commonefaciebant roboratæ toties concordiæ.

Georgius Bateus in motibus Anglicanis

A.C. 1639.

III. Et hos quidem in partes ſuas illicò adducebant, neq; aliter decreverunt, quàm ut fratribus auxilia quovis modo præberentur. Rex negabat, ſe velle petitis refractariorum ſubditorum deferre, & ſuadente imprimis Thoma Straffordiæ Comite, Iverniæ Pro Rege, bellum proclamabat, Londinenſibus vectigalia imponebat, delectus copioſos per Angliam & Iverniam indicebat. Sed Angliæ proceres vetabant in dicionibus ſuis, ne quis Regis caſtra ſequeretur, & Londinenſes recuſabant vectigalia ſolvere pro turbis civilibus alendis. Iverniæ Reguli pollicebantur auxilia liberalia, confiſi fore ut Romana ſacra Regis conceſſu in publicis exercitiis tolerarentur deinceps. Scoti noverant, Regem cum proceribus

Ioh. Baptiſta Biragius in Mercurio univerſali.

ribus suis luctari, factoq; impetu Novum castellum, Barvvicum, Carlilum expugnabant, turmas Regias prælio equestri cædebant
A.C. 1640. Neq; Rex poterat bello pergere, sed procerum interventu firmabat pacem Edinburgi, data venia Scotis, abrogatis Episcopis, Liturgiæ novo libro sublato. Valdè hoc animum ejus torsit, postquã altius secum expenderet, multisque literis Richelii & Straffordiæ Comitis in diversa traheretur, ut fretus auro Gallico, Scotorum discordia, (quam Jacobus Montis-rosarum Comes procuraverat) & legionibus Ivernorum, pacta cum Scotis irrita faceret, legesq; pactorum descriptas exureret. Proceribus iniqua res visa est, Regem paucorum consiliis obnoxium contrà plures de ferendis armis pronunciare, atque hi Conventibus Scotorum per nuncios suos præsentes renovabant pacta, Regem verò etiam amicè dehortabantur, ne procerum autoritatem à multis Regibus, ipsoque ejus patre, reverenter habitam proculcaret, factiosis aliquibus nimium favendo. Verbis addiderunt facta, evocando Comitem Straffordiæ, veniebat ille & vinculis nectebatur, criminum instar objectum est, quod Regi consilia noxia inspirando pacem turbasset, patriæq; libertatem af-
A.C. 1641. flixisset, porrò capitis damnatus & securi percussus, accepit successorem Ormundiæ Comitem.

Brachelius lib. 6.

IV. Rex noverat, virum sui amantissimum fuisse, & deprecabatur non semel pro vita ejus cõservanda: verum Proceres nec Regis gratiam, si vitam Comiti donarent, ambire, nec iram ejus, si vitam eriperent, metuere videbantur. Et putabatur, nece ejus furori populari litatum esse, cum aliter multò eveniebat. Scoti legiones suas ad omnem occasionem paratas instruebant. Rex operam dabat, ut procerum quorundam gratia usus in Cambria & provinciis Borealibus, milites colligeret. Regina concitabat Ivernos, ut pro decretis Regis adversus proceres contumaces insurgendo, magnam tota Hibernia lanienam exercerent, duorum mensium spacio centum millia hominum per Anglorum & Scotorum colonias, privatis & nocturnis plerumque cædibus perimendo, urbes, vicos, pagos diripiendo, vastando, Ormondi milites profligando. Hanc efferatæ gentis per tot annos (postquam illam Regina Elisabetha maximis cladibus obtriverat) jugum perpessæ, crudelitatem junctis viribus Angli & Scoti punire volebant, Regiq; supremum militiæ ductum offerebant, quem ille repudiabat, & potius multa (quanquam inaniter) conquerebatur de spreta majestate sua, quando plurimi ipso.

ipsorum nec arma nec viros tradere vellent ad perdomandos Scotos, manifestæ rebellionis convictos. Omissisque illis, de justa in latrones vindicta capienda nullum responsum dabat, sed milites conscribendo non segniter pergebat, censibus privatis, ubicunque poterat corrogatis. Proinde non minus Parliamenti Senatores providendo rebus suis castella provincialium suorum armis communiebant, Regis progressum è propinquo speculaturi, qui omnem quamvis movendo lapidem vix tamen aliquid promovere posse censebatur, nisi exterorum auxiliis navium ope accersitis. Palatini exsules Mauricius & Robertus militiam Regis curabant: Procerum delectus ordinabat Comes Essexiæ, atque hi ipsi magno rerum suarum commodo occupabant Classem Regni, quam commendabant summo præfecto, omiti Warvvicensi, insuper armamentarium, quod Hullæ semper est, Hothamo Tribuno commiserant, vetando ne ille Regi jubenti aperiret portas.

Victorius Siri Tom 2. hist. Univers. l. 1. 2. 3.

V. Rex veniebat ad Hullam, postulabatque ut admitteretur portis expassis, sed non obtinebat. Itaque abibat Eboracum, & Hothamum declarabat majestatis læsæ reum. Proceres contrario scripto defendebant virum, qui tale quid in mandatis habuisset pro conservanda pace, adeoque civis boni officio functum non debuisse armamentarium reserare. Hoc veluti sidere mota est belli Anglicani tempestas. Rex magnis sumptibus ex Hollandia advehendo instrumenta bellica, legionibus armatis Eboraci diribitorium agebat, erecto Notinghami vexillo prætoriano, inde Hullam obsidebat. Contendebat eodem Comes Essexius, & fugabat Regis milites, qui celeri itinere progressi Eboracenses agros diripiebant, in populares suos crudeliter agendo, velut hostes essent Mox ad prælia deventum est. Rupertus Palatinus assumptis validis turmis vicinas regiones infestabat, ei occurrebat Essexius cum exercitu suo quatuordecim millium virorum, & cæsis Ruperti alis equestribus ad urbem Windsor, cogebat eum referre pedem in castra Regis prope Southamum. Duodecim mille viros educebat Rex castris suis, rectaque via Londinum versus ibat. Essexius verissime ratus, urbis tantæ accessionem posse Regis partes admodum erigere, ubi nec præsidium nec propugnacula impetum militis averterent, vestigia pone legendo, & postremas legiones carpendo, nocuit adeo ut Rex inhibito progressu ad pagũ Kingstonum aciem moliretur, animis armisq; omnino par hosti

Ruper-

Rupertus cum dextero equitum cornu provectus sinistras alas Essexii in fugam agebat, peditumque cohortes terrore magno implebat, quod victoriæ loco citius quam oportebat, ducens, solutis ordinibus, deserta militia, ad spolia capienda conversus, autor fuit maximæ cladis, sinistro cornu ad internecionem cæso per Balforeum, ablatis machinis & vexillis, interempto Comite Lindseio Regiarum partium fidissimo adjutore. Nox prælium diremit, neutra pars aut victoris aut victi nomine æstimari poterat, cladem æquante fortuna. Essexius abibat Londinum, ut extenuatas legiones suppleret: Rex admissus Oxonii militem in hiberna distribuebat. Ad
A.C. 1644. dubia signa veris primus ipse convocabat legiones, petebatque Londinum, velitatione propè Brainfordiam superabat Essexii turmas delectas, Wallerum Occidentis præfectum justa pugna vincebat, Bristoliam urbem expugnabat, Fairfaccium Septemtrionis Ducem fugabat, ut in castra *Essexii* reciperet sese, Glocestriam validam in mediterraneis urbem obsidebat, consilio prorsum inutili.

VI. Defendebat eam Massejus, & perpetuis eruptionibus optimos milites in castris Regis occidebat, interim Essexius copiis refectis ad liberandam Glocestriam progrediebatur, factoque prælio vincebat. Serò nimis pœnitebat Regem, quod non omissa urbe victrices copias ad ipsum caput rerum, Londinum, duxisset. Porrò fortunam semper adversam expertus est, cum duplicata belli mole adesset Scotorum exercitus, Leviniæ Comite & Davide Lesleo ducibus, qui castra Parlamentariorum intrabant. Rex verò & jam Ivernorum legionibus auctus, omnium procerum animos eò magis exasperabat, quod latrones innocentium sanguine fœdos ad belli societatem pellexisset. Neque illi crucis Candidati prosperè egerunt, acri ad Nantvvicum conflictu profligati, Farfaccio autore, qui è Septemtrione discesserat, ubi Scotorum militia valde proficiebat adversus Comitem Novocastellensem Regis partes affectantem. Essexius oppugnabat Oxonium, & Rex ipse tunc in ea degebat, sed hoc noctu elapso & ad copias suas profugo, ipse quoque cum exercitu duxit in Occidentem, & militiæ præfectura abdicavit sese. Locum explevit Fairfaccius, qui sociatis cum Levinio Comite legionibus, cingebat Eboracum. Accurrebat Rupertus cum ingentibus copiis ab Austro, & propè vicum Marston pugna congressus, multis millibus ferro amissis, ipse cum paucis equitibus evasit, non satis commodus rerum malè gestarum nuncius ad Regem avunculum, Eboracū dedebatur.

A.C. 1645. VII. Londini in judicium vocabatur Williamus Laud Archi-Episcopus Cantuariensis, magnus Puritanorum hostis, & liberrimæ potestatis regiæ, quam Parlamentarii impugnabant, assertor, ob illas causas, & quod cum Romanæ Curiæ ministris consilia familiaria inivisset, capitis supplicio damnabatur, & securi percutiebatur. Abrogabantur Episcopi omnes, & novis supplementis exercitus confirmabatur. De pace insimul mentio facta est, conventu Uxbrigdæ habito, postulabant victores, ut Rex vellet autoritatem Parliamenti in vindicando religionis, legum, libertatis honore agnoscere, ut vellet acta Parliamenti rata habere, ut vellet Scotorum petitis acquiescere, ut vellet Iverniæ latrones justo bello persequi. sed cum Rex vellet dare leges, & non accipere, pergebat armis rem gerere, nactus subsidia nova ex Ivernia, & apud Scotos civile bellum concitando, ne illi porrò Anglis auxilio essent. Ormondus Pro-Rex uno prælio septem millia latronum vel ceperat vel occiderat. Et credebatur, penes illos vix aliquid virium superesse, cum è portu Dunquercano viros belli peritos, arma, pulverem nitratum accipiebant, itaque restauratis legionibus Tironio duce, denuò pugnabant in Lagenia provincia, multis millibus Anglorum & Scotorum occisis, Dublino obsidionem comminati, quandò naves ab Hispania adessent. Per Scotiam cũ delectis Ivernorum & Hyghlandorũ turmis, omnes Regis hostes vastabat Jacobus Comes Montisrosarum, nec poterat maximis etjam exercitibus coherceri, quod Atholiæ montes saltusq; tutum receptum ei præberent. Biennio integro terribilia arma Scotis campestribus infligebat, præliis, velitationibus, conflictibus semper par, sæpè superior, demum cæsis Argathelii Comitis legionibus, capto Edinburgo, evocatus ex Anglia Hurrejus hostem in fugam agebat, & propè Dundeam resistere ausum prælio magno superabat, ut in montanis abditus multo lateret tempore. Fairfaccius eadẽ sorte usus victoriis potius quam pugnis Angliam peragrabat, demum post occupatam à Rege Leicestriam, ne ille terrorem latius daret, præmittebat cum equitatu Cromvvellum acerrimum Sophistam in armis, ejus adventu commotus Rex sublatis castris suis ad Northamptonum, & digressus in campos Nasebienses, acie structa cum supremo rerum omnium eventu pugnavit, adducente peditatum Fairfaccio.

VIII. Parlamentarii vicerunt, fortiter pugnante imprimis Cromvello, postquam vicini alarii sub ductu Iretoni ad fugam jam spectabant. Regis peditatus internecione deletus est, equitũ reliquiæ effusissima fuga pervenerunt Leicestriam, mox prorsus etiam dissi-

patæ

patæ sunt, urbē expugnabat Fairfaxius. Rex ultimo conatu milites colligebat in Cambria, & fidus minister ejus Comes Montrosius novis tumultibus Scotiam vexabat, verum nihil constanter agendo, cæsus ad Selkircham à Davide Lesleo, nusquam deinde comparebat, rerumque omnium inops emigrabat in Bataviam. Rex præliis omnibus inferior, deserto Oxonio, antequam Fairfaccius adesset, spretisque Anglis, ad Scotorum castra transibat (qui tunc prope Nevvarkam stabant) fidem eorum obtestatus de ferendis suppetiis. Interim dum Puritani adversus Episcoparios & Regalistas contendebant armis, nova factio cepit Independentium, uti vocantur. Gens Anabaptistica est, eoque pejor quod Libertinorum absurdos errores uno velut complexu fovet. Sacris literis neglectis ad colloquia Angelorum, raptus, somnia, Philosophiam cœlestem, Theosophiam, provocant, sinceritatem animi suprà hominis captum professi, & simplicitatem meram. Nec tamen libertatis ejus, quæ sæpius licentia est, obliti, quemlibet sui juris esse pronunciant. Sectas inter se opinionibus diversas habent, omnes verò hoc agunt, ut templis evitatis conclavia in domibus privatis aperiantur, & potestas docendi permittatur cuivis, qui volet solum, quiq; dicendi alacritate valet: denique ut Regum invidiosa potentia non feratur, cum unicus sit Rex Sionis, Christus, à quo fideles omnes regantur.

IX. Rex cum Scotis suis concedebat in Septemtrionem, degebatque Novo-Castelli, nec tamen, uti quidem cupiebat, poterat eos in bellum adversus Anglos protrudere, quandò fœderis legibus impediebantur. Angli per nuncios suos compellando Regem, ut bello finem imponere vellet, Scotis facilè persuadebant, ut novi belli incendia declinando, stipendium militiæ, quadringentas mille libras, à Parlamento numeratas acciperent, præsidia omnia gentis suæ avocarent, Regemq; ipsum in potestatē Fairfaccii, qui capto Eboraco ovans Londinum revertebatur, traderent, ea lege verò ut honestis conditionibus cum illo transigerēt. Rex ab urbis ingressu, quandò illa malignorū plena erat, prohibitus, Hamptincurti armatis custodibus asservabatur. Elapsus inde perveniebat ad Insulam Vectim, ubi Hammondo præfecto non satis fortunæ suæ amico usus, navim qua in Galliam proficisceretur, rogabat quidem, nec tamen impetrabat. Detentus arcta custodia, rumoribus quotidiè ad eum perlatis, belli successum Parlamentariis semper optatum accipiebat. Urbs Londinum intestinis litibus collisa magnam spem Regi faciebat, sed urbi lites, Regi spem ademerunt legiones Wallero duce intrà urbem dispositæ, ut

civium facta observarent. Cromvvellus numeroso cum exercitu Walliam inundabat, portò in Lancastriam ducebat, quæ Scotorum irruptione turbata, ut Regis sectatores auxilium haberent, non levi timore concutiebatur. Jacobus Marchio Hamiltonius ejusq; commilito Midletonius facta secessione contrà Parliamentum Scoticum, validas copias in Angliam adducebant, ac populationibus quaquaversum exercendo, Lambertum Tribunum in Lancastria potentem fugabant. Hic abibat in castra Cromvelli, eumque nuncio allato excitabat, ut iret in occursum hostis, qui ad urbem Prestonam consederat. Orto prælio, eoque cruento, vincebantur Scoti, captivorum sex millia Londinum, inde in Virginiam navibus deportabantur, Hamilthonius in vincula mittebatur. Victor Cromvellus ad Scotiæ fines progressus, Argathelium, Levinium, Trecuarium Comites apprimè confirmavit, ut in pristina amicitia sincerè perstando, opprimerent Regem. Huic veteres concordiæ ineundæ leges denuò propositæ sunt, atque ipse fortunæ suæ nunquam secundæ infensus, dabat assensum, Episcopale regimen & Liturgiam novam abrogando, cæterum Senatores Regni ad debitum obsequium promptissimi, cupiebant, ut veniret Londinum, ac pacis optatæ præco seditiosos compesceret. Verum quicunque in exercitu erant Independentium factionis, negabant adeò facilem esse Pacis compositionem, quandò Rex multa alia patravisset adversus patrias leges, & bello calamitoso populum ferè ad extremam egestatem redegisset, plurimos crudeliter mactavisset, latrocinia approbavisset. Propterea eum de feloniæ crimine accusando, & quicunque Senatores Regi favere deprehendebantur, è Parliamenti consessu removendo, Consilium novum prorsus è Civilianis & militarium Ordinum ductoribus (pedaneis & fasque nefasque pari loco habentibus) conflabant, magnique Senatus authoritate donabant Præsides & Assessores erant cumprimis, Fairfaccius, Cromvellus, Iretonus, Bradsaus, Harrisonus, Scropa, Karreus, Scottus, Hackerus. Eorum jussu Rex evocatus ab Insula Vecti, ad dicendam causam, & Patriæ hostis, religionis proditor, libertatis oppressor proclamatus, capitis damnabatur ac per larvatum Carnificem securi percutiebatur Westmonasterii.

Philippus Zesius l. 1.

A.C. 1648.

Brachelius lib. 7.

X. Cæterum magnis animi & Rege dignis virtutibus instructus, uni illi fortè succumbebat culpæ, quod aulæ suæ ministris confisus plurimum, sibi diffideret magis quam par erat. Regis filiis ac hæredibus potestas omnis abrogata est, ac nova Respublica,

quam

quam Viri quadragintà administrarent, ordinato. Hoc Consilium Status appellaverunt, Præses delectus Cromvellus, mente manuque semper melior esse visus quam Fairtaccius. Is relicto Londini ad promovenda novi Regiminis auspicia Bradsao, profectus in Iverniam, acerrimo prælio superavit Ormondum Pro-Regem, multa millia latronum occidit aut fugavit, Episcopum Rossensem suspendit, Dublinum & Tredam maritimis portubus nobiles urbes præsidio Anglico instruxit. Reversus Londinum cives liberaliter habebat, & libertatis dulci nomine illectos facilè permovit, ut Regibus ejectis Protectori condonarent potestatem summam. Confractis Jacobi & Caroli statuis marmoriis, quas omnium Angliæ Regum exemplo pridem dedicaverant, obstinatis animis Scotici ortus Principes

A.C. 1651. damnare velle videbantur. Carolus Walliæ Princeps à Scotis Rex designabatur, nec tamē per omnia concorditer agentibus. Namque Comes Argathelius & David Lesleus animis suspensis, non quidem Regis hostes aperti esse cupiebant, ejus tamen copias, quas Montrosius & Hurrejus è Cimbrorum, Danorum, Norvagorum delectibus refecerant, ex insidiis aggressi profligabant, captis ducibus, & Montrosium quidem sublimi patibulo affigebant extrà *Philippus Zesius l. 2.*

portas Edinburgi, mox in frusta quatuor sectum appendebant per vicinas urbes: Hurrejum capite plectebant. Cœterum privato in Comitem odio satisfactum est, Rex verò collecto exercitu in Angliam contendebat, exulum Britannorum, quos Independentes opibus & honoribus spoliaverant, subsidiis confirmatus. Re nunciata Cromvvellus expedito agmine assumpto in Scotiam prior irruit, & castra hostium quibus præerat Levinius Comes, prope Edinburgum aggressus, tres mille viros occidit, urbem expugnavit, inde Glascoam versus copias abduxit, ubi Rex castra sua muniverat, prohibiturus hostem, ne victoriam latius spargendo, novis tumultibus impleret omnia. Is tamen per Lamberti alarios in Fifeam regionem missos felici prælio cædebat quatuor mille Scotos, quos Brunus regebat. Ea demum clade Rex affectus, per Scotiam Australem, non quà volebat hactenus, sed quà poterat, iter capiebat, maturatoque progressu, & fusis Harrisoni alis equestribus, quæ viarum compendia intercipere volebant, Angliam feliciter intrabat, Cestriam urbem vi capiebat, inde cum Massejo & Midletono equitum præfectis Londinum rectà spectabat, verum Cromvvellus celeri itinere è Scotia regressus admovebat copias urbi captæ, & Regem ad prælii aleam in Lancastria *Brachelius lib. 9.*

subeundam cogebat, quo victus Rex decem mille viros perdebat. Ipse per saltus & viarum diverticula ægrè in Galliam evasit.

VI. Victoria hæc novam Angliæ Rempublicam admodum stabilivit, Scotia sub jugum missa est. Et quia partum Tyrannide imperium non aliter quam armorum strepitu perpetuo conservari poterat, vicinos quoscunque populos quæsitis in speciem belli causis terra marique adortus est. Cum Batavis adeò feliciter conflixit, ut captis mille septingentis navibus mercatoriis, bellicis plurimis demersis, Trompio Ammiralio ingentis animi & maritimorum scientissimo viro occiso, mercimoniorum exercitio turbato, ad pacis leges, quas ipse vellet, subeundas, invictum hactenus populum compulerit. Hispanos in Orbe novo aggressus, classem militibus frequentem Blakio rectore emisit in Hispaniolam, sed ob militum negligentiam, qui prædas impunè agere vetabantur, depulsus ab obsidione urbis Sancti Dominici, perrexit ad Insulas vicinas, & felici ausu occupavit Jamaicam, auriferæque classis haud procul à Gaditano portu devictæ portionem magnam abstulit. Gallos in Francia nova misso Lausonnio adortus, prædas magnas obtinuit. Mauros piratas intrà Algierum & Tunetum urbes compulsos aut navibus mulctavit, aut pacis legibus æquissimis refrenavit, ne civibus suis damna aliqua conciliarent publici generis humani hostes. Flandricum mare navibus clausit, & Gallorum castris octo millia peditum submittendo Hispanos maximo conflictu ad Duynkerkam superavit, urbemque cepit. Arbiter pacis inter Daniæ & Svediæ Reges, fretum Codanum potenti classe obtinuit. Post tantas res gestas obiit Tyrannus sine exemplo felicissimus, Regis potentissimi victor, Regum omnium terror, quandò animi immensi ejus consiliis ambiciosis proxima devastantibus, longinqua cupientibus, ira Dei, cui in Reges ultio est, favere voluisset, pacato obitu defunctus; quasi neminem bello afflixisset, contumulatus sumptibus prorsum regiis, Regum æqualis mente, imperio, gloria, solo titulo inferior, laudatus à sociis, defletus ab amicis qui immortalis vitæ annos ei à Deo precari ausi, perdomitis virtute sua Regnis tribus, ab indomita morte victus est. Post obitum infelicissimus, de sepulchro erutus, in frusta consectus, capite palis infixo, in conspectu urbis ejus, quam Rege suo spoliatam imperio duro occupaverat, facili rexerat.

Autor vitæ Cromvvelli.

A.C. 1658.

XII. Carolus II. Rex discedebat è Gallia, & tantisper in Germania com-

Philippus Zesius l. 3.

commoratus, reversus in Bataviam, demum Brugis in Flandria loco stabili habitabat. Ejus nomine per Scotiam concitabat belli rumores Midletonus, verum exteris unicè fultus, à provincialibus spretus, à Monkio profligatus, nulla re confecta ad Batavos omnium rerum inops redibat. Cromvellus filium suum minorem Henricum designaverat Rectorem Iverniæ, majorem Richardum loco suo Protectorem constituerat, sed non erat in filio prudentia negocio tanto par, & scelerum ministri aut mortui, aut fugerant, aut discordes inter se corrumpebant omnia. Consilium Status, quod hactenus è Civibus & togatæ vitæ studiosis conscriptum fuerat, abrogabatur per militarium ordinum Ductores, atque hi ex seipsis novos Reipublicæ creabant Rectores, Fletvvoodum & Lambertum. Eis contradicebat Massejus recens approbator gestorum à Cromvvellio, pro cujus hæredibus loco pristino conservandis arma corripiebat, & dimicando adversus Lambertum ad Cestriam urbem vincebatur, reliquias deportabat in Scotiam, ubi Georgium Monkium compellabat de ferenda ope. Credebat se tutò efflagitare ista apud illum, qui Protectoris defuncti beneficiis ad summum honorem evectus, memoriam Benefici sanctè veneraretur. Pari affectu, sed consilio prorsum alio Londini civitas ab eis testata dissensum occultè incitabat Monkium, ut quandò ipse optimam exercitus partem ductu suo regeret, misereri vellet exsulis Regis, eique viam munire ad recuperandam Angliam. Facile consensit, Rex solenni Ordinum omnium decreto revocatus homagium suscepit, & Tyranni acta omnia rescidit, exules restituit, parricidas suppliciis affecit, Conjugem Lusitanicam duxit. A.C. 1660.

❧ (•) ❧

LIBER

LIBER XVI.

Quo continentur res gestæ Scandinaviorum à prima gentis origine usque ad nostra tempora.

CAPUT I.

De rebus gestis Regum Svediæ.

Laur. Pauli, Ioh. Loccenius, Alb. Crancius, Ioh. Magni.

I. SCandinaviæ latissimos tractus habitant Svedi, gens pervetusta & nobilis, Germanicæ originis perinde ut Dani, eorum vicini, sed gentiliciæ virtutis tenaciores. Eorum gesta antiquiora, Scriptores vernaculi commemorant, Regum seriem prolixam ab ipso Magogo, Noæ sive Jani Prisci nepote deducentes. Quibus referendis immorari nolumus, cum res gestæ plerorumque obscuræ sint. Neque mirum videri debet, eorum famam compluribus seculis illustrem minus exstitisse, quod Imperii Romani splendor viresque Orbem terrarum complexæ, populos illos quibuscum armis certabant, uti sunt Galli, Hispani, Britanni, Germani, Sarmatæ, Pannones solum celebres præstarent, reliquos ultrà mare sitos, obscuriores, dimitterent. Arcadii & Honorii Cæsarum tempore fatalis illa omnium gentium toto Orbe commigratio hos quoque agros propius mare Germanicum sitos commovit. Gotti enim, gens merè Germanica, uti morum & linguæ commercium ostendunt, tunc ad Danubium habitantes, Italiam, Galliam, Hispaniam occupaverunt. Eorum pars aliqua cum Vandalis ad mare habitantibus in Scandiam abiit, Wisogotti & Ostrogotti dicti, Svedosque, veteres incolas terris illis exegerunt, & ad provincias remotiores pepulerunt, ubi nunc sunt Finnones & Lapponi. Cum Rossis & Danis perpetua ferè bella gesserunt, sæpè victores, non rarò etiam victi. *Loccenius l. 1. histor.* Postquam melioris doctrinæ lux ad eos pervenit Cæsarum ope, qui Carolo Magno successerunt, præcone Ansgario Monacho Corbejense, Rege Biorno. A.C. 827. Ad Finnones eandem propagavit Rex Ericus Sanctus, occisus deinde in bello contrà Danos. A.C. 1150. Secuti hunc plures, inter eos Birgerus, qui Careliam Finnoniæ partem infelici bello A.C. 1282.

contrà

Loccenius lib. 3. contrà Roſſos amiſit, vir ſævus,
fratres ſuos Ericum & Waldema-
rum in carcere necavit, ipſe eje-
ctus à ſubditis apud Danos exſul
conſenuit.

A.C. 1319. II. Succeſſit ei Magnus Smekus
fratre Erico genitus, initio felix &
florens, mox ducta uxore Blanca
Gallica voluptates avidè ſectatus,
regni curam prorſus depoſuit. Ita-
que proceres Regni conſortes
deligunt, patrique adjungunt fi-
lios ejus duos, Ericum & Haqui-
num. Patris ocium correxit Eri-
cus, omnibus ſubditis acceptus,
tandem verò à matre Blanca ve-
neno peremptus. Haquinum ſibi
Regem imponebant Norvagiæ
populi, eoque dimiſſo Pater ſolus,
ut anteà, regnabat. Cum Roſſos ac
Danos hoſtes accepiſſet, armis
neglectis, Daniæ Regem VValde-
marum placavit reddita (quam
nuper à Chriſtoforo Rege præ-
ſenti ære redemerat) ei Scania,
filiamque Haquino Norvagiæ
Regi uxorem copulabat. Georgi-
us Novogardiæ Dux Careliæ par-
tem obtinebat. Hoc adeò malè
habuit Proceres, ut regia poteſta-
A.C. 1363. te mulctatum exſilio damnarent,
& Alberto Obotritorum Princi-
pi, ſororis ejus Euphemiæ filio,
Loccenius lib. 4. Alb. Cranzius lib. 5. Suedia cap. 30. ſeqq. deferrent imperium. Fugiebat ad
Norvagos, militemque collige-
bat, ſed prælio ad Enecopiam vin-
cebant Svedi, & Rex obibat exſi-
lio peracto in Bergarum urbe. Al-
bertus verò etiam mox diſplicere
cepit Svedis, quandò aulæ pom-
pam augendo majora vectigalia
exigebat. Proinde Haquini Regis
nuper defuncti viduam Margare-
tam, Daniæ & Norvagiæ Reginam
evocabant, quæ bello victum Re-
gem captumque unà cum filio E- A.C.
rico, detinuit ſeptennio in Lind- 1388.
holmia arce. Et quanquam Bal-
thicæ civitates pro liberando eo
magnam claſſem inſtruerent, fru-
ſtrà tamen erant repugnantibus
omnibus ſubditis Regni, qui ad-
venas conflictu ad Tillingam ha-
bito ſuperabant. Rex demum
ſubditos juramento abſolvit, in-
que patriam ſuam reverſus eſt.
Regina habitis comitiis, proce-
rum omnium voto ſanciebat Cal- A.C.
marniæ, ut tria Septemtrionis Re- 1395.
gna unirentur, ſalvis legibus quæ
genti cuique patriæ eſſent.

III. Ab hoc tempore Suedia ſub
Daniæ Regibus ſeculum amplius
fluctuavit. Regina adoptabat Eri- A.C.
cum Pomeraniæ Ducem, natum 1412.
VVartislao patre, & Maria matre
quæ erat filia Ingeburgis, Reginæ
ſororis. Hunc nec Dani conſtan-
ter amabant, quod bellis deditus,
ubi in pace vivere licebat, Holſa- *Cranzius*
tos & Vandalos perſequeretur, vi- *l. d. c. 36.*
ctuſque damnum ingens ſubditis *ſeqq. Ioh.*
omnibus conciliaret: nec Svedis *Peterſenus*
placebat, exterorum imperio vix *part 3.*
facilè parentibus. Dalecarli ſedi- *Annal.*
cionem movebant, nacti ducem *Holſat.*
Engelbertum, virum nobilem, qui
Regium Vicarium, Jonam Erici,

multorum odiis propter ſævos
mores petitum, in conflictu pro-
pè Vadſtenas ſuperatum, captum-
que ſecuri feriebat, militeſq; pere-
grinos ejiciendo, urbes & caſtella
expugnando, viam muniebat ad re
petendam libertatem, comitiiſq;
Arbogiæ indictis ſeparationem à
Danis urgebat. Procerès non re-
pugnabant, tantum quod liberta-
tis autor è minori nobilitate ortus
repudiaretur, neq; ille tam hoſtiũ
virtute, quos omninò profligave-
rat, quam civium ſuorum invidia
oppreſſus periit in expeditione,
quam ſic ferente fortuna in Daniã
ipſam deſtinaverat. Exercitus cu-
ram ſuſcepit Carolus Canuti Wi-
ſigottus, non vano rumore accu-
ſatus, quod Engelberto infenſus
necem ejus procuraviſſet, cepe-
runtq; ab eo diſſentire proceres &
crimen ambitus impingere. Su-
perveniebat litib. inteſtinis Rex,
claſſe adducta in Oſtrogothiam,
ut Stokholmiam verſus navigaret.
Proceres concordiæ pro tempore
ſtudioſi inſtruebant naves & Re-
A.C. gis claſſem in fugam agebant. Quẽ
nova calamitas afflixit etiam, Dani
1434. enim concurſu facto abrogabant
ei imperium. Ergò Rugiam Inſulã
dabat Wartislao Pomeraniæ Du-
ci, patrueli ſuo, ipſe profectus in
Gotlandiam, multis ibi annis mo-
dico ſatellitio contentus vivebat,
pyraticam exercens, primò quidẽ
adverſus vicinos Svedos, porrò
allectus ubertate prædæ ſpoliabat
Danos. Ità factum eſt, ut commu-
nem hoſtem junctis viribus ag-
gredi vellent Suedi & Dani, claſſe
emiſſa, atque ille Wiſbujam arcem
traderet Danis.

IV. Dani Regem eligebant Chri- A.C.
ſtoforum Comitem Palatinum, 1440.
alterum Margaretæ Reginæ ex So-
phia minima ſorore nepotem. Per
ſuadebant inſimul Svedis, ut vete-
ris pacti memores, paciſq; ſtudioſi
Regem eundem ſuſcipere vellent,
atq; hoc obtinuerunt, poſtquam
Carolus Canuti à Rege impetravit
Finnoniæ præfecturam hæredita-
riam. Rex claſſem apparabat, civi-
tates Hanſeaticas domiturus, qua-
rum auſpicio piratæ Vitalliani di-
ripuerant Bergas Norvagiæ em-
porium, prædamque vendiderant
VVismariæ, Lubecæ, Stralesondę,
& in partibus Inſulæ Rugiæ, ubi
quoque receptũ tutum habebant.
Scilicet civitatum iſtarum poten-
tia creverat adeò ut belli paciſque
arbitrium, & mercimoniorum o-
mnium liberũ exercitium in po-
pulis illis ſibi vindicarẽ. Sed mor- A.C.
te præventus ab incepto deſtitit. 1448.
Eo defuncto Carolus Canuti ad
capiendam priſtinam dignitatem
rediit, procerum voto in Comitiis
Ubſalienſibus corona redimitus. *Loccenius*
Dani eligebant Regem Chriſtianũ *l.5. hiſtor.*
Oldenburgicum, qui Regis deceſ- *Meurſius*
ſoris viduam Dorotheam matri- *l.5. hiſtor.*
monio ducebat. Piratæ in Gotlan- *Pontanus*
dia ubi Rex Ericus voluntario exi- *lib. 9.*
lio damnatus, agebat hactenus,
ſtationes tutas denuò nacti Svedos
cumprimis infeſtabant, neq; Dani
curabant, pellere illos, quandò, ut
aje-

ajebant, domi haberent quod agerent. igitur Rex classem mittebat, VVisbujã celebre emporiũ obsidebat. Tunc verò Dani etiam accurrebant, Insulæ dominium asserendo, & piratis abactis, Erico in Pomeraniam ad gentiles suos reverso, arce VVisbuja per deditionem capta, eodem impetu naves Svedorum plurimas obruebant, quod extrà fines regni in sociorũ agris bella hostiũ more gererent. Carolus occultis literis permovebat Norvagos, ut à Danis deficerent, & ipse Nidrosiam profectus Rex gentis ejus coronabatur. Inde celeriter cum exercitu progressus in Scaniam, devastabat omnia, certus etiam prælio experiri, si Danis ità placeret. Horum classis devicta in Hallandiæ littoribus finivit quidem armorum contentiones, non verò conciliavit pacem fidam. Episcopos commovebant Dani inferiores bello, auro superiores, ut Carolo odium publicum excirent, artibus illi hominum generi oppidò promptis. Successit dolus, & initium quidem fecit Johannes præsul Ubsaliensis colligendo militem, quo Regem improvisò opprimeret Stregnesiæ. Carolus tu bis impar, convasatis opibus, navi evasit Dantiscum, ubi permissu Regis Casimiri, cum quo vetus ipsi consuetudo fuerat, hospes gratissimus septennio comoratus, de Clericorũ ludis cruentis

Michael Beutherus in Catalogo Regum Daniæ.

A.C. 1457. nuncio percepit. Daniæ Rex profectus Stokholmiã, ab Archi-Episcopo Ubsaliensi Johanne inter festas populi gratulationes corona exornabatur, sed hic mox eadem levitate, qua Carolũ terrore impletum fugaverat, & Danum commendaverat, relicto Dano, per literarũ commercia plurimas seditiones regno toto excitabat. Quamobrẽ captivus mittebatur in Daniam, & procerib. bellum indicebatur. Prælio orto ad Lincopiã cædebantur Dani, & Carolus reversus è Borussia occupabat soliũ. Dimittebatur Præsul captivus, tantũ ut Regi suo adversariꝰ esse pergeret, inde novũ bellũ, quo victor Carolus ædes præsulis diruebat. Præsul mo bo præ indignatione animi correptus obiit. Dani excursionib. affligebãt Gothiam & Smalandiam, ubi cum præsidio obtinebant Calmariam. Hos velitationib. crebris repressit, & per tot ancipites rerum casus imperii satur atque fessus in pace obiit.

A.C. 1479.

D Chytræus lib. 5. Saxoniæ.

A.C. 1470.

V. Successit ei Steno Stureus Principis titulo, nã Regis nomẽ semper recusavit, quamvis nõ semel oblatũ. Fortis animo, militia felix, prælio superavit Danos in suburbanis Stokholmiæ, Rex saucius ad naves rediit. Patre felicior Johannes, Daniæ & Norvagiæ compos factus, armis prolatis in vicina Suediã, proceribus multis, quos inter Svanto Ostrogottꝰ erat, in partes vocatis, recipiebatur Calmarniæ & novum præsidium imponebat arci. Porrò copias exponebat in Daleris, & Stenonẽ velitatione fugabat. Qui desertus à fortuna, admittebat Regẽ, obsequiũ penes alios solenni ritu promittebat. Nec diuturna fuit Johanni gloria, siquidem exacto triennio Dithmarsi gravissimũ bellũ

A.C. 1481.

A.C. 1497.

Crancius lib. 13 Saxoniæ. Ioh. Petersenus part. 4. Annal. Holsatiæ. Thuanus lib. 22. histor. A Olearius lib. . Chronici Holsatiæ

conciverunt. Gens illa in veteri clientela Archi - Episcoporum Bremensium erat hactenus, sed quia agros Holsatiæ incolebat, Principes Holsatiæ potiori jure in illam exercere volentes imperium, Cæsarem Fridericum III. compellabant, ut armis edomare & beneficiaria potestate regere sibi liceret. Dithmarsi nolebant veteres dominos mutare, itaque Fridericus Holsatiæ Comes auxilio vocabat fratrem suum Johannem Daniæ Regem, & veteranis legionibus in Germania precio conductis, bello petebat vicinos suos, ratus sparsam per vicos gentem & longa pace opulentam, armorum imperitam facilè devinci

A.C. posse. Capiebatur Meldorpium,
1500. civibus occisis. Petebatur Heida, altera metropolis. Sed quia cœlo hyberno dies pluviosus & nebulis deformis erat, Dithmarsi locorum gnari, obsepta vallis via, propè Hemmingstedam pagum adorti Danos ac Holsatos, in prælium nec opinantes cogebant. Hi imprudente consilio à tergo curribus annonariis impediti, cum nec perrumpere urgentes à fronte hostes, nec regredi ad stativa Meldorpium versus possent, interclusi à latere fossis altissimis, catervatim mactabantur, magna imprimis strage nobilitatis facta. Rex qui cladem effugerat, consolatus suos, quod tot virorum fortium mortem ulcisci statuerat, tandem exorari se pacem passus est. Retexuit infelix expeditio proceres Svedicos, ut Stenone autore VVadstenis congregati, Regem abdicarent. Is verò non laturus injuriam sibi factam (quandò etjam Regina arcem regiam cum præsidio valido adhuc obtinebat) exercitum magnum colligebat, Svediam versus vela daturus, & proceres difficili bello oppressurus, quos inter multi invidebant Stenonis gloriæ, sed hic molem belli à patriæ cervicibus exonerando, Norvagios ad repetendam libertatem impellebat. Et parebant illi duce Herlovo Hudevatto, ejectis ubique præfectis, captisque urbibus, Bahusa excepta. Ità Rex omittebat Svedos, Regis filius Christiernus abibat in Norvagiam, belloque feliciter gesto, captum Hudevattum supplicio afficiebat, nobiles plurimos occidebat, cives reliquos duris legibus constringebat. Pacata Norvagia de invadenda Svedia actum seriò, interim Steno summis viribus paraverat classem, milites, commeatum, & civitates Hansaticæ in fœdus assumptæ corrogabant auxilia. Quibus Dani territi, ad pacem inclinabant animis. Leges dixerunt Papæ Romani nuncius, qui tunc sacri quæstus gratia agebat Lubecæ, & Civitatum procuratores, Stralesondæ conventu habito: ut Regina incolumis dimitteretur; præsidium citrà noxam

perge-

pergeret ad regni fines: ut Svedi proprii legibus uterentur.

A.C. 1503. VI. Steno ipse deducebat Reginam ad fines Hallandiæ, & invitatus ad epulum, veneno percepto, obiit in reditu. Secutus eum Svanto Nicolai Ostrogottus, quondam æmulus, Principatum gessit renitente admodum Johanne Rege, qui pacis leges nuper descriptas post obitum Stenonis haut amplius valere contendebat, adeoque Calmarniam & Gottenburgum, urbes omnium toto regno oportunissimas (quas hactenus præsidio suo obtinebat) restituere nolebat. Svanto copiis admotis expugnabat Calmarniam urbem, sed arcem tuebantur Dani. Rex cum milite & classe profectus urbem recipiebat, Consules & cives nonnullos perduellionis accusatos supplicio afficiebat. Svanto Vandalicis navibus prosperrimè usus, ne possent Dani omnes militiæ vires terrestri ductu in Gothiam promovere, diripiebat Balthicas Insulas, prædam tamen recuperabant Dani spoliatis celocibus, quæ vehebant illam, in portu Travamundano. Et verò Vandali prædones meliores, quā milites, stabant cum trigintà navibus ad Bornholmiam, quas Holgersohnus Danus invadebat, pluribusque captis, mersis aliis, paucas dimittebat. Severinus Norby invadebat Finnoniam, & Aboa capta vicinis oris vastitatem inferebat. Hæc victoria separabat civitates à fœdere cum Suedis, pax componebatur Flensburgi, & Regis filius Christiernus ducebat legiones in Gothiam, stativis positis ad Jencopiam. Occurrebat Svanto, non quidem pugnæ cupidus, in magna procerum discordia, sed tamen intrà montium abrupta crebris excursionibus usus, multas egregias hostium turmas obterebat. Morbo vexatus rogabat inducias, & fessus bello Rex assensum dabat.

VII. Svanto obiit Arhosiæ, eique suffectus filius Steno, plurimorum votis, quandò paucorum expetebatur Ericus Trolle, illustri loco natus, cujus filius Gustavus erat Archi-Episcopus Ubsaliensis. Hinc ortæ sunt factiones toti regno exitiosæ. Ericus repulsam cum patriæ damno ulturus, datis literis evocabat Christiernum Daniæ Regem, qui finitis induciis ultrò etiam, defuncto patre, bellum adversus vicinos suos apparabat, direptis eorum navibus in portu Travamundano, ubi mercimonia agitabant. Favebat patris conatibus Gustavus filius, quem Steno, vulgata re, in arce Stekana obsedit, & deditionem postulavit, aut reconciliationem. Sed recusavit præsul, mox quoque aderat classis Danorum & quatuor mille viri sub Joachimo Trollio, Severino Norby, Carolo Canuti præfectis, ad prædium regium VVedelæ A.C. 1512.

Ioh. Svaningius in vita Christierni. Ioh. Meursius l. 3 histor.

delæ pr pè Holmiam exſcenſionem faciebant, ut ſubvenirent præſuli. Eos fugabat Steno, quo percepto præſul animo cecidit, rebuſq; ſuis diffiſus arcem dedidit. Princeps captivum præſulem ad comitia remiſit, ubi procerum omnium ſuffragio dejectus officio, in cœnobium Arhoſienſe ablegabatur. Romæ nactus patronū cauſæ Leonem X. impetrabat decretū excomunicationis adverſ9 Stenonem ejuſq; complices, imperatum Chriſtierno, ut fulmine Papali afflatos Svedos bello perſequatur, opes agroſq; eorū redigat in fiſcū, viros pœnis afficiat. Is copias ſuas navib. deportabat in Svediam, & Stokholmiā obſidione cingebat. Urbem fortiter defendebat Steno, repulſis Danis, qui rerū omnīū penuria confecti, (neq; licebat eis per ventos adverſos in Daniam redire) inducias offerebant Stenoni iis legib., ut daret obſides, & annonam precio ſoluto conveheret. Steno cum poſſet omnes fame laborantes trucidare, ipſumq; Regem in triumphum ducere, tanta rei benè gerendę occaſione dimiſſa, paciſcebatur inducias, dabat obſides, Gaddum Lincopienſem Epiſcopum, Guſtavum Waſa, Laurentium Siggonis, Georgium Siggonis, Olaum Rinning, Benedictum Nicolai, addebat copioſam annonam, ergà hoſtes clementia uſus ea, quam optimis amicis pręſtare ſolemus. Dani refecti cibo & obſidib. abductis iter relegebant in patriam. Rex verò novos delectus cogendo ex omnib. Regni ſui provinciis ſub finem induciarum mittebat Ottonem Crumpium in Gothiam cum duodecim millium exercitu, adverſus eum prope Bogeſund Weſtgottiæ oppidum pugnabat Steno, & comiſſo in partib. maris congelati prælio valido, ancipiti ſucceſſu, demum ipſe globo ferreo ad femur percuſſus manante ſanguine animiq; deliquio ſuborto, extrà locum prælii conceſſit, ut curru veheretur in proximā urbem. Svedi abſente Duce languidius dimicando, victoriam inſignem permiſerunt hoſtib. Steno tā gratus çivib. quā imperio haut gravis, deceſſit Stokholmiæ, modica ſepultura cōtumulatus in iſto armorum undiq; ingruentiū periculo. Rex pergebat celeri itinere ad exercitum, domitiſq; regionib. omnib. non procul ab urbe regia conſiſtebat, locorum difficultate, qua tranſeundum erat, retardatus ob gravem armaturam. Svedi cōſultabant de reparandis copiis, & ſvadebant proceres, ut totis virib. in hoſtem itinerib. laſſum denuò pugnaretur, laudabili ſanè conſilio, uti in eventu patuit: verū Clerici, ac pręſertim Matthias Epiſcopus Strengenſis, populo aliter perſuaſerant, videlicet, ut Chriſtierno victori traderent regnū, ſecus vitæ opumq; jacturā facturi. Nobiles cum vulgi ferocia nolebant luctari,

luctari, obsequium fidemq; suam Regi spondebant, quandò veniam offensarum supplici omnium civium libello rogatus dare vellet. Dabat ille, petebatq; obsequii fidem frequenti in monte Bruncon's conventu.

A.C. 1520. VIII. Trollius Archi-Episcapus imponebat ei coronam, Regis intimus, civium suorum calumniator. Leges illi prælegban tur: Ut religionem contrà vim & injuriam quorumcunque tueretur: Ut præteritæ offensiones perpetua oblivione delerentur: Ut omnes exsules & captivi gratia admissorum facta, postliminio restituerentur: Ut prisca regni jura, libertas, & mores inviolata essent: Ut singuli suas præfecturas & facultates quietè possiderent: Ut de jure liberæ electionis & suffragiorũ nihil decederet. Epulis triduo celebratis aderant proceres, inde abituri per milites comprehensi ducebantur in custodiam, & accusatore Trollio ceu Ecclesiæ hostes, Papæ judicio damnati, carnificis manu obtruncabantur, ministri eorum suspendebantur. Primus omnium cervicem præbebat Episcopus Matthias, quo incitante Svediæ citerioris populi Regem istum sibi petiverunt. Cadavera tot diebus inhumata jacebant in foro propè Regiam arcem, quot anteà infidi Regis mensa usi fuerant vivi, deinceps cum refosso Stenone Principe, promiscuo rogo exurebantur, bona opesque fisco Regis inferebantur, viduis filiisque ad paupertatem redactis. Milites in promiscuum vulgus quod accurrerat, emissi obvias omnes confodiebant, spoliabant domos, fœminas & virgines stuprabant. His talibus peractis Rex in Daniam reversus exasperatos Svedorum animos defugisse videbatur, indiesque corruptior Danis quoque suis imminere putabatur, ut neminem haberet quem timeret. Gliscebat hic odium, sed per Svediam facilè erumpebat. Gustavus VVasa obses è Danorum custodia sub venationis specie elapsus venerat Lubecam, inde Svediam repetebat, haut multò post cum Tyranni jussu proceres omnes interfecti fuerant. Cæsus unà pater ejus Ericus VVasa de Ridboholm generosum animum juvenis ad maxima perficienda nati exstimulabat, ut pro tot Nobilium cæde justam ultionem susciperet, patrisque Manes solaretur virilibus factis, ac cives suos peregrinorum jugo subduceret. Calmarniæ receptus, non tamen ibi satis custoditus, quia vicinos agros hostis occupaverat, mutato non semel habitu, cõpellabat multos in Smalandia, ut juvare vellent, rejectus verò, à quibusdam proditus insuper, ne periret, divina protectione gavisus, ad Svediam ulteriorem contendebat, vagus semper & explorator, inter

Loccenius lib. 6. Ericus Georgii in Annalibus Gustavi, D. Chytræus lib. 9. Saxoniæ.

notos, ignotos, servus aliquandò & operarius apud Cuprimontanorum Rectorem, qui conspecta demum subucula ejus aureis filis prætexta nobilem esse conjecit, haut rusticum, & fateri ausum quis esset, abire jussit, veritus ne proderetur uterque. Aderant milites Dani, quos vitaturus noctu oberrabat per silvas, per aquas concretas glacie, veniebatque in Moram pagum, ubi persuadebat Dalecarlis, ut capere arma, pellere hostem, libertatem recuperare vellent, postquam sic satis potentia Danorum hactenus per cædes immanes nobilium virorum invaluisset, non parcitura inferioris conditionis civibus, quamprimum similis furor corriperet Regem. Credebant Dalecarli, & arma sua offerebant prompti, quandò ille Ducem exercitus hujus esse non dedignaretur. Itum est ad vicina præsidia, cæsus hostis permovit Gestricios & Helsingios, ut ipsi etiam Gustavo sese adjungerent. Qui duodecim millium virorum copias admovebat urbi Arhosiæ, quam solam in mediterraniis firmo præsidio muniverant Dani, & capta illa, totam Uplandiam sibi acquirebat. Nec tamen Stokholmiam aggredi hac vice ausus, machinarum subsidio destitutus, sed Vadstenis comitia indicendo, procerum animos sibi devinciebat, copiisque provincialium novis instructus, & receptis ad se veteranis è Germania legionibus duce Stephano Saffio, deflexit agmen in Smalandiam & Gothiam, viribusque ubique auctus seriò cogitabat de expugnanda urbe regia, quam operibus validis cinctam ingens hostium multitudo obtinebat. Propius veniebat Gustavus castris ad Brunkabergam positis, ubi quatuor adhuc patibula Svedis hominibus oppleta, Danicæ sævitiæ reliquias conspicatus, eorum cadavera tolli inde & sepulchris inferri jussit. Rex nuncia belli contemnebat, fatali quodam stupore perculsus, ac potius novas lites capiendo, nunc promptum crudelitatis suæ promotorem Theodorum Slaghoëkium, quem Lundanum fecerat Archiepiscopum, variis oneratū criminibus exurebat: nunc edicta sanguinaria denuò publicabat ad singulos militum tribunos & arcium præfectos, ut omnes Suedos nobiles civesque patricios, quoscunque in potestate sua habeant, obtruncent: nunc vectigalia majora solito exigebat à Civitatibus Hansaticis, quod pecunia sibi opus esse diceret ad sustinendas militiæ impensas. Tantò magis recusabant civitates, & Regi avaritiam sævitiæ ejus parem liberè exprobrando, hostem illum proclamabant, Gustavo triginta naves & machinas æneas donabant, imposito milite, quantum satis erat ad inferenda prælia, si ità videretur

Seve-

Severino Norby, quem Rex classi præfecerat.

IX. Severinus ingressus Holmiam, viros & arma inferebat, factaque eruptione fugabat Suedos multis occisis. Hoc ei operum ultimũ erat, deinceps enim prædatoria manu vagabatur per Oceanum, Regis sui mores imitatus, parum solliciti, quid rerum ageret Gustavus. Cingebat ille obsidione velut nova urbem, donec terra marique prohibendo commeatum, fugam civibus, deditionem militibus imperaret, mox Christiernus à Danis ipsis ejectus nunciabatur, qui profugus in Belgium de auxilio ferendo compellabat Carolum Cæsarem, sed precibus irritis, quandoquidem ille Gallicis, Italicis, Germanicis motibus implicatus, Danicas res non curabat. Successor ejus Fridericus cum Gustavo pacem inibat, omnium Regni civium suffragio ad Regiam dignitatem evecto, quam merito suo capiebat patriæ vindex felicissimus adversus Tyranni invasiones. Malmogiæ pax descripta est, reddebant Suedi captam armis suis Blekingiam, limites Regnorum ponebantur, civitates Hanseaticæ in fœdus admittebantur, decreto æterno abrogabatur Christierno imperium. In hujus fide perstabat hactenus Norby, & potente classe obtinebat Gotlandiam. Obsessus ibi tantisper à Danis, fecit deditionem, pactus castellum in Scania ad vitæ dies.

Postquam Gustavus vetera jura A.C.
civibus suis reddiderat, Clericos 1525.
jussit imprimis hoc agere, ut omissis de externa pompa litibus, res ipsas è literis sacris fideliter cognitas proponerent, Episcopis verò etiam ademit imperium civile, eosque seriò commonefecit, quod cum sacri ordinis viri essent, Apostolorum exemplo docere in Ecclesia, non etiam judicare in curia deberent. Olaus Petri Gottus cum D. Luthero Wittebergæ plurimum conversatus doctrinam Evangelicam secum in patriam attulerat, Regi & proceribus gratissimus. Sed Archi-Episcopus Ubsaliensis designatus Johannes Magni, Papistici cultus observantissimus, cum non posset Regem flectere, abibat Romam, nec unquam rediit.

Ioh. Baazius lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ Suedicæ.

X. Ultimum bellum suscipie- A.C.
bat pro tuendis Livonis adver- 1560.
sus Russorum Tyrannum Vasilovissum. Hic post devictos Tattaros expediebat in Livoniam, vectigalia imperabat. Recusantes Cruciatos invadebat armis, quibus pressi illi auxilia Regis implorabant. Et Rex quidem admovebat copias suas Notiburgo, sed quia Livonorum apparatus lentè procedebat, de pace maturè satis actum est. Dabat illam Tyrannus, postquam multos Fin-

honiæ vicos incendio vastaverat. Wiburgum quoque frustrà obsederat. Post expletos quadraginta potentiæ annos, placido obitu ad Deum emigrabat Rex verè insignis, regnique sui velut novus conditor. Ejus filius Ericus à virtute patris multum degenerabat, bellorum cupidus quidem, sed tamen infelix, proceribus infensus, vicinis infidus. Cum Russiæ Dux magnus inundaret maximis copiis Livoniam, nec possent eis resistere milites sacri, votis divisis Livoniæ pars major Poloniæ Regis tutelæ dedebat sese, minor verò, quæ Esthonia vocatur, applicabat se Svedorum partibus, Revalia & Parnovia onerabantur justo præsidio. Rex insuper Hansaticas civitates, quarum fida ope usus pater ejus obtinuerat Regnum, volebat prohibere à navigatione in Russiam, verbo ne hostibus necessaria adveherent, reipsa ut turbaret mercimoniorum usum, easque in portum Revaliensem ad vectigal solvendum compelleret. Hinc bellorum ansam ceperunt Reges dicti. Et Poloni tamen haut ultrà minas progressi, Dominos totius Livoniæ missis ad Ericum nunciis efferebant sese, Parnoviam à militibus proditam occupabant, cæterum pertinaci bello contrà Rossos illigati, rem differebant in aliud tempus Civitates bellum

Loccenius lib. 7.

promovendo, cum Daniæ Rege Friderico societatem navalem pro asserenda commerciorum in Balthicis portubus libertate, paciscebantur, Elfsburgum Gothiæ propugnaculum capiebant. Svedi in Hallandiam progressi oppugnabāt Halmestadium, occurrebant Danicæ legiones sub ductu Guntheri Comitis Svarzenburgici, & prælio moto, vincebant, occisis quatuor millibus, reliqui fugiebant in Smalandiam Mari felicius pugnatum est, cæsis Ottone Rudio & Johanne Laurentio Danicæ classis præfectis duplici prælio, uno quidem propè Stralesondam, altero in conspectu Gotlandiæ, quæque in portu Wisbujensi anchoras jacere volebant, naves, ut adversum procellas tutæ essent, partim vado impactæ, partim verò immissis ab hoste victore eminus globis perforatæ, mergebantur, Warberga & Rotnebuija expugnabantur, ut jam prope desperaret Fridericus. Res lapsas restituit novorum delectuum, copiosa manu adducta Ranzovius, & commisso prælio ad Suarterum fluvium, cum impetu irruentes hostes profligabat, qui tota Gothia ipsi cremabant oppida ac vicos, ut annona tectorumque receptu mulctati Dani, eò maturius domum redirent. Svedi paribus rapinis usi alio loco perdomabant Jamptiam, & conscensis montium jugis Ni-

Caspar Ensius Relatione de bello Friderici, Adamus Olearius lib. 7. Chronici Holsatiæ.

dro-

drosiam capiebant, à Bahusio natura & arte munito depellebantur. Dubiis successibus anxius Ericus, quando hostes per fauces viarum angustas ingressos Smalandiam & Gothiam populari, atque urbibus plurimis incensis pervenisse Vadstenas usque inaudiverat, procerum dissidia obtendendo, multos eorum vita opibusque spoliabat, ne fratribus quidem suis Johanni & Carolo parciturus, perduellibus, ut ipse ajebat.

XI. Dum rapinis cædibusque sæviebat, fratribus vincula aut injiciebat aut comminabatur, Concubinam suam Catharinam Reginæ honore donabat, Tyranno par habitus, concursu procerum militumque è Smalandia & Gothia ad Johannem
A.C. facto deserebatur. Copiis Ub-
1568. saliæ in prato regio lustratis ducebat Johannes ad Holmiam, & prælio commisso fugabat Regis milites, urbe dedita, captivus Rex in arce, promulgatis criminibus ad populum, spoliabatur potestate, inque arcem Orebroensem relegabatur, ubi novennio provixit. Johannes offerebat pacem Danis, sed VVarbergam reddere nolebat. Ergo Ranzovius violentis impressionibus urbem effringebat, ipse in porta occisus, & Petrus Munkius Oceanum permensus quadraginta naves hostium ad Revaliam evertebat. Tunc demum, quodque certum è Russia hostem timeret Johannes, pacem confirmabat his legibus, ut Dani Insulam Osiliam possiderent, ut Nidrosia & VVarberga iisdem restituerentur, ut Civitates Hansaticæ mari libero commercia exercerent. Pax ista descripta est Stetini. Russiæ Dux Magnus in Livoniam & Finnoniam cruentis irruptionibus desæviendo, ferro atque igne devastabat omnia, Revaliam sex mensibus obsidebat, Scotos Germanosque mercenarios ad proditionem invitabat, Wittensteinum arcem expugnabat, milites veru alligatos & ad ignem tostos horrenda morte conficiebat. Suedi sub ductu Ponti della gardia per Careliam & Ingermanniam simili atrocitate usi diripiebant & exurebant omnia, Esthoniam defendebant, Lodam, Lehalum, Habsalam recuperabant, ipsam denique Narvam, post aliquot hebdomadarum obsidionem, spe facta militibus direptionis urbis, tormentorũ pulsibus effringebant, quinquemillibus hostium peremptis. Commodum accidebat, quod eodem tempore Livoniam Poloni tuerentur bello adversus communem hostẽ, Polociam & Plescoviam expugnando. Rossi cum Polonis faciebant pacem,

renunciantes Livoniæ universæ, quam ita Poloni acquirebant, ut simul Esthoniam sibi traditam esse affirmarent, eamque reposcerent à Svedis.

XII. Paulo post moritur Russiæ Dominator bello adversus Suedos cepto, sed non perfecto. Ejus filius Theodorus cupiebat per Legatos suos, ut provincias devictas reddere vellet Johannes, in quibus erant nobilissima castra, Narva, Coporia, Jamma, Ivangorodum, Carelogorodum, pecuniæ summam ingentem & pacem firmam offerebat. Cumq; nihil impetraret, octoginta millium Rossorum & Tartarorũ copiis eductis Livoniam denuo vastabat sub duce Borisio Gudenovio, & regiones ablatas vindicabat. Tunc vero pax coaluit, & anno sequenti obiit Rex, Evangelicæ Religionis Patronus, quam toto regno ita conservavit, ut interim suasore Antonio Possevino privatus admitteret eos qui Papæ Romano favebant, habebatque ipse uxorem Catharinam Jagellonicam è Polonis, quæ peperit ei Sigismundum filium. Hunc vivens dederat Regem Polonis ita cupientibus, quoniam apud eos magnæ gloriæ Jagellonum memoria semper fuerat, ipse vero Poloniæ electus Rex, Svediæ regnum hæreditarium conjunxit, patre defuncto. Mater eum Latinis sacris imbuendum

A.C. 1592.

curaverat, patre non admodum repugnante. Hæc malorum omnium origo, quæ bella civilia in populis illis excitaverunt, eventu tristi. Veniebat in Svediam, habitisque comitiis Ubsaliæ, corona volebat ornari, solennia administraturo Francisco de Malaspina, Pontificio Oratore, qui unà secum habebat plurimos è Societate Jesu monachos, magna spe fultos, fore ut Papisticæ superstitiones toto regno permitterentur liberæ esse. Aliter Senatus & Ordines Regni censebant, morem majorum & Regni legem urgendo qua solus præsul Ubsaliensis Regi coronam imponere jubetur, & Papistica sacra exterminantur. Horum constantia victus Sigismundus, corona ornabatur, præstito ex more juramento, quod privilegia magnatum & sanctiones Regni conservare vellet, pacem non turbaturus unquam peregrinos milites immittendo, aut sacra Evangelica vetando. Sacris peractis, patruum Carolum designabat vicarium & redibat in Poloniam. Porro quotidianis Romanæ Curiæ parasitorum suasibus permotus de reducenda majorum religione in Svediam consultabat, verum his ausis Carolum Pro-Regem obstiturum non vane hariolatus, modis omnibus tentavit, ut ejus authoritatem, qua valebat, diminueret. Cepit ergo proceres

A.C. 1594.

quos-

quosdam occultis literis monere, ne Caroli jussis omnibus perinde obsecuti, magnam dissensionis occasionem præberent, literis vero publicis vetabat citra jussum suum comitia agere. Per Legatos suos Novogardiæ post diuturnum & grave bellum, viginti annorum inducias à non invitis Rossis, quibus aucta novo regno Sigismundi potentia formidini erat, obtinuit. Ita commerciorum libertatem Arctois populis, civitatibus Hansaticis & accolis Balthici maris restituendo, non exiguam lætitiam cievit, præsertim cum in aliis Europæ oris omnia bellis infesta erant. Carolus prævidebat, quo fine Rex ista conaretur, itaque Arbogiæ comitiis indictis evocabat proceres ut communibus votis provideant, ne religionis integritas & Regni salus detrimentum capiant. Aderant plurimi, iique auxilium futuri Carolo, quando res exigeret, pauci Regis imperia obtendendo, elusis comitiis, atque ideo proscripti fugiebant in Poloniam Rex turbas illas rei bene gerendæ occasionem interpretatus, Carolo vicarium regimen abrogabat. Et parebat ille, sed civium precibus deferendo, munus repetebat sibi, exercitum cogebat, quando idem facere inaudiverat Poloniæ Regem.

XIII. Rex clanculum relictos S. Jesu professos Monachos apud Holmiæ & Vadstenarum cives sibi privatim obnoxios attinuerat hactenus, qui animos rudium depravando & passim vagando turbas exitiosas commoverent. Ipse altera vice proficiscebatur in Svediam, postquam videbat, præsentia sua opus fore ad componendas lites. Caroli vero acta, velut certi hostis indicia, damnabat, itaque cum exercitu valido appellebat Calmarniæ, militibusque per stativa distributis, ipse abibat Stekburgum ut sororẽ inviseret, consumptaque ibi non minima temporis parte, dabat Carolo spacium, ut Dalecarlorum copiis instructus, Stokholmiam vicinasque urbes præsidio majori communiret. Demum terrestri itinere pergebat, obviumque sibi habebat Carolum in agro Lincopingiensi, concordiæ desiderio magis quam pugnãdi cupiditate adductũ. Nuncius aderat, exploraturus Regis animum, sed is nullo responso accepto dimittebatur, & Hungaricæ legiones impetu facto copias Svedicas in propinquo consistentes cædebant, omnesque mactavissent, nisi Rex inhibuisset. Altius hoc insedit animis Svedorum, nec tamen Sigismundus aliter defendebat factum, quam ut excusaret, interim majores copiæ undiq; locorum colligebantur, quas Rex veritus mittebat

Johannem Wejerum cum exercituPolonico, ut velitaretur ad Stongæ pontem adversus Suedos. Conversi in fugam Poloni millium duorum jacturam faciebant, neque Rex ausus fuit Stokholmiam ingredi, conversoque ocyus itinere, navibus, castris, impedimentis, spoliisque opimis desertis, Lincopiam revertebatur. Pessimũ istud consilium erat, inde mittebat nuncios ad Carolum, pacem & colloquium offerebat. Accedebat is solitoque obsequio veneratus Regem, quem in potestate habebat, prolixe animum suum devotissimum testabatur, hoc tamen etiam rogabat, ut in urbem regiam venire vellet, deq; negotiis Regni præsens comitia celebrare, demum ut proceres exsules, belli incentores, dederet, qui in Regis comitatu erant.

XIV. Dedebantur Ericus Sparre, Thuro Bielke, Gustavus & Steno Bannerius, Georgius Posse. Querebantur ipsi, contra fidem datam agere nimis facilem ad quævis credenda Regem, noverantque se iracundo victori ad certam necem tradi. Rex tanto errore admisso, majorẽ addebat etiam, nondum indictis Holmiæ comitiis & infectis Regni negociis, contra pacta datamq; fidem, non salutato Carolo fugiendo Calmariam, ubi præsidium è militibus Germanis imponebat, & nave conscensa petebat Dantiscum. Carolus abitu Regis lætatus, milites ejus Calmarnia ejectos deportabat navibus in Pomeraniam, ducem eorum Johannem Sparre, ut cœteros profugos, capitis supplicio afficiebat. Denuo comitia acta sunt Jenecopiæ, factumque decretum, ut vel Sigismundus ipse in Svediam revertendo, præsens omnia regeret, vel filium suum natu majorem Vladislaum mitteret in Svediam, patris loco Regem futurum, si neutrum placeret, omne jus Regis ei detraheretur. Porro Carolus expediebat in Finnoniam, & receptis urbibus, quæ Sigismundo adhæserant, prope Aboam confligebat adversus Axelium Corke præfectum Regis, vulneratus ipse, eo alacrius decertabat, & victor capiebat urbem. Narvam quoque dedebant ei milites repugnante quamvis præfecto Johanne Flemmingo, qui deinceps gladio percussus est. Schelius maris præfectus classem regebat, ut Balthicos portus tueretur adversus Polonorum incursiones. Carolus amice compellabat Revaliam, ut Regis partes deserere vellet, sed ambiguo responso usi cives, Regi Svediæ perpetuo fideles sese futuros pollicebantur, neque illi tantæ urbi oppugnandæ sufficiebat, vicinas tamen arces partim vi, partim dedi-

Loccenius lib.

deditione obtinebat, bonum publicum unice reſpiciendo inter has maximi belli curas, poſtquam Rex Livoniæ partem Svedis ereptam Polonis donaverat. Accurrebat Radzivillius Lithuaniæ Vexillifer cum turmis ſuis, cladibus datis acceptiſque evaſtabatur Livonia, neutra parte ad rerum ſummam proficiente. Lithuani maturius in hiberna concedendo, Svedorum fortunam erexerunt, adeoque hi vim omnem in Dorpatum convertebant, potiti urbe. Mox etiam Kokenhuſa urbe expugnata, prædas tota Curlandia & in partibus Lithuaniæ agebant, Duynæ ripas affligebant. Cum veris initio Radzevillius iterum progreſſus in Livoniam, ſtativa hoſtium ad Kokenhuſam cruenta velitatione diſſipabat, & arci hactenus invictæ nova ſubſidia inſerebat. Dum vero longius inſequebatur ad fines Curlandiæ, prædæ amore, Tribunus ejus Kotvvitſius juſto prælio cæſus, animum addebat Carolo, ne de Livonia retinenda deſperaret.

XV. Obſidebat Rigam, quam Farensbacchius defendebat. Superveniebat turbis illis Zamoſcius Poloniæ Cancellarius magnus, & præmiſſa velitatione epiſtolari increpabat magnæ virtutis Principem, quod contra legitimũ Regem arma cepiſſet. Sed præter acerbum reſponſum haut quicquam ei deferebat Carolus, itaq; Poloni celeriter optimas Livoniæ urbes ſuperabant, Carolo ubiq; profugiente, famis & peſtis malo comite perpetuo. Abibat in Suediam, milites ac nummos poſcebat. Dabant iſta omnia proceres, addebant coronam & ſceptrum, quia ſine Rege eſſe non poterant: & comitiis Norcopiæ indictis Sigiſmundo miſſionem denunciabant. Cauſas præcipuas adferebant iſtas: Quia religionem Papiſticam introducere voluerat: Quia teſtamentum avi ſui Guſtavi prævaricatus multa ſequius egerat: Quia civilibus turbis ac manifeſto bello impleverat Svediam: Quia in leges juraverat animo fidei hæreticis non ſervandæ: Quia Regni comitia defugerat contra promiſſum. Livonia evocatus Zamoſcius, ut de rebus per Moſcoviam gerendis conſilia in medium proferret, Kotvvitſio exercitum tradebat in Caſtris ad Dorpatum. Redibat quoque Carolus Rex cum ingenti manu tyronum, quos veteranis permiſcebat, & Rigam denuo obſidebat Kotvvitſius & Sapieha propter Duynæ ripas vadebant cum omnibus copiis, ut obſeſſis præſto eſſent. Carolus vero nolebat velut includi ab hoſte, ac dimiſſa urbe moliebatur aciem. Concurrebatur infeſtis ſignis, quatuor millia

A.C. 1604.

Sve-

Suedorum perierunt, victoriam Poloni rapiebant. Rex saucius evasit. Tanta victoria præter gaudium nihil commodi attulit Sigismundo, intestinis litibus occupato, quas Rakosiani pro libertate antiqua conservanda exciverant. Suedi extenuatas legiones reficiebant, & dum Sigismundus domi suæ angebatur, Livoniam novo bello premebant, Weissensteinium munitissimam urbem obsidione lenta exhaustam occupabant. Placebat, Rigam tentare iterum, Dunamunda capiebatur. Sed Kotvvitsius ne quidem castra metaturo Regi spacium dedit, magnaq; alacritate equitatum ejus profligavit, naves plurimas ignibus jaculatoriis accendit, Dunamundam recepit.

XVI. Deinceps Rex Esthoniæ finibus continebat sese, nec Poloni de persequendo eo solliciti admodum erant, qui potius in Russia debellanda vires omnes conferebant, ubi fictus Demetrius magicis artibus innutritus cruentos ludos dabat. Vix ab uno hoste liberatus, cum alter ingruebat. Christianus Daniæ Rex feciali misso denunciabat, quod Carolus naves Danicas in Livoniam euntes passim raperet, cogeretque omisso itinere versus Rigam, domum infecta re abire: quodque Lappones maritimos, partemNorvagiæ, vexaret censibus impositis. Dani expugnabant Calmariam, dedente illam Summio loci munitissimi præfecto, inde proximam Olandiam devastabant cum imposita arce Borkholmia. Quanquam verò multa moveret Carolus, ut Danis vicem referret, successu tamen caruit, cæsus mediocri pugna in agro Risbuijensi, navibusque plurimis mulctatus. Inter A.C. hæc decessit Lincopiæ senio, la- 1611. boribus immensis, ægritudine animi confectus, felicior acquirendo, quam augendo, imperio, patriæ amantissimus. Rossi à Polonis miserè & crudeliter exagitati rogaverant ejus auxilia, & quoque duodecim millium virorum copias impetraverant sub ductu Jacobi de la Gardia, qui latronum per universam Russiam impunè volitantium cohortes plurimis locis fortiter oppressit, pignoris vice deponebant Careliam & Ingermanniam, donec sumptus omnes bona fide restituerent.

XVII. Ejus filius Gustavus Adolphus regnum simulac bella aut gesta aut gerenda ab obitu patris suscepit. Dani expugnabant Elfsburgum, Goldburgum, Westervvicam, navesque plurimas in illis portubus capiebant. Vicissim Svedi Norvagiam edomabant, inque Blekingia deprædabantur omnia. Exercitus Danorum cum fame & morbis collu-

collu&ctabatur ad Jencopiam, inque discessu attrahebat pone se hostes, ut per Gothiam contenderent in Hallandiam. Pax ergo
A.C. 1613. sancita est Halmstadii: ut ablata reddantur: ut Svedus pro belli impensis numeret myriadem aureorum: ut Lapponi maritimi Dano pareant, mediterranei Svedo, neuter Rex verò titulis suis eos exprimat. Porrò cum Rossis feliciter transegit omnia, quibus amplissimas urbes ereptas hactenus, reddebat cœteras, sibi verò Careliam & Ingriam retinebat, facta pace in Stolbovva pago. Ad Polonos deinceps op-
A.C. 1617. pugnandos progressus alacriter, maximam Curlandiæ partem subegit, Kokenhusa, Selburgo, Dunaburgo, Parnovia, Dorpato hostes exegit, & majoribus illico ausis Rigam urbem opibus validam, cuniculis suffossam, patre felicior, occupavit. Lithua-
A.C. 1626. niam ingressus, Sapieham in campis Valoviensibus magno prælio superavit, & Birsa arce potitus divitem prædam abstulit. Borussiam versus classem direxit octoginta navium, & Pillavia effracta, mox uti venerat, ita victo ubique hoste, Braunsbergam, Elbingam, Mariæburgum, Dirsaviam, Mevam, Frauenburgum capiebat. Ad Dantiscum hærebat tanti victoris impetus, urbe quidem terra marique clausa: verum Arnheimius auxilio adducebat legiones Cæsarianas è Germania, & Konigspolscio junctus propè Quinzinum vicum insigni prælio cum hoste concurrebat, victoriamque obtinebat. Rex saucius pernici equo Mariæburgum fugiebat, potuissetque Borussia tota in Polonorum fidem restitui, quando illi qui vicerant, scivissent victoria uti, sed discordia corrupit victoriæ fructum, cum Germani quidem, ne vincerent ingratis, Poloni ne invisis benificium deberent, militiam quisque suam in diversa trahendo, nihil agerent, frustrà interpellante Sigismundo Rege, ut positis odiis, conjunctis operis, victos fugatosque hostes persequerentur.

XVIII. Ita Poloni victoriæ nomen laudabant, Dantisco liberato. Suedi verò Lithuania evocatis supplementis, Polonos denuò invadere cupiebant, præsertim cum Germani penuria commeatuum pabulique multi quotidiè aut pestis malo correpti obirent, aut pro conservanda vita ad castra Svedorum confugerent. Arnheimius vix mille viris comitatus in Pomeraniam rediit, & impetrata missione ad Saxoniæ Electoris aulam se contulit. Galliæ & Angliæ Regum Legati persuadebant Sigismundo, ut sex annorum inducias pacisceretur. Gustavus assensit,

memor vero injuriæ acceptæ,
quod Cæsaris legiones Polonis
auxilio ivissent, insuper oppresso-
rum Cæsaris decreto Principum
misertus, afflictæ horum fortunæ
subvenire divinum æstimando
benificium, illius arrogantiæ mo-
dum præscribere Herois esse ar-
bitrando, via juris incassum ten-
tabat nonnulla, inde colligendo
exercitum navibus proficiscеba-
tur in Pomeraniam. Balthica
præsidia ejiciebat, Saxoniam li-
berabat victor cruento prælio ad
Lipsiam, quo omnem Austriaco-
rum potentiam Hispanicis con-
siliis subnixam, postquam à mul
tis annis adversus fideles Impe-
rii subditos triumphaverat, Bo-
hemos, Germanos, Danos pro-
fligaverat, Gallos terruerat,
evertit. Inde ad Rhenum Danu-
biumque victor locis omnibus,
Bavarum viribus spoliabat, Bo-
hemiam & Austriam respecta-
bat invictos secum trahendo ex-
ercitus. E Norico in Saxoniam
redibat, Electori opem laturus,
quem Walsteinius alter Cæsaria-
narum partium ductor tota
A.C. belli mole premebat. Atroci
1632. prælio congressus Rex, hostem
in fugam egerat, sed repetitis
equitum incursibus à Papenhei-
mio lacessitus, dum vincebat,
triplici vulnere affectus acie pe
rimebatur. Regi magno tam fa-
tale fuit vincere, ut nonnisi vi
ctor occumberet. Annis octo &
triginta vixerat, semper pius,
semper fortis, ultimo vitæ bi-
ennio, quo incredibili felicita-
te à mari Balthico supra Rhe-
ni & Danubii limites progressus
paucis exterorum Regum ten-
tatum, à nullo victum, vicit
primus ille Imperii Liberator,
summam toto Orbe gloriam
adeptus est. Monumento ejus
Svedi Inscriptionem addide-
runt: In angustiis intravit. Pie-
tatem amavit. Hostes prostravit.
Regnum ditavit. Svedos exalta-
vit. Oppressos liberavit. Moriens
triumphavit.

XIX. Cœlo receptus Heros *Loccenius*
filiam reliquit Christinam. E- *l.b.9.*
jus auspicio feliciter promove-
batur bellum sacrum in Germa-
nia, nec minori successu gere-
batur bellum alterum in Da-
nia, ubi Rex Christianus IV.
ob viciniam infidam arma Re-
ginæ adversus se concitabat. Pa-
cis leges dictæ sunt Regi pri-
mum, deinde etiam Cæsari, ut
ille Svedis myriadem aureorum
solveret, Gotlandiam & Osiliam
traderet: hic nobiles Imperii
provincias feudi loco tribueret.
Hæc tam excelsi animi, omni-
que literarum genere ornatis-
sima Regina florentissimo re- A.C.
gno sponte se abdicabat, & in 1654.
Carolum Gustavum, consan
guinium proximum transfere-
bat, quod utinam Rex Regum
Regi pio, justo ac forti ad Orbis
bonum

bonum diutius conservare voluisset. Brevi imperio usus res maximas gessit adversus multiplices hostes, Polonos, Rossos, Danos, Austriacos, Batavos, victor omnium & exemplo majorum suorum Augustus. Coegit Polonos, ut renunciarent Livoniæ; Rossos cum immensis copiis tota Livonia effusos æquo Marte sustinuit. Danis abstulit Scaniam, Blekingiam, Bahusiam Norvagiæ, veteresque Svediæ limites ad Codanum fretum protendit: Batavos in freto ipso, quod navibus suis clauserat, dubia pugna excepit. Obiit Rex clarissimus, eique successit filius Carolus II. De quo hactenus exanimo & constanter vovemus, ut Majestati Suæ eveniant FELICITER ET PROSPERE OMNIA.

A.C. 1660.

CAPUT II.

De rebus gestis Regum Daniæ.

Saxo Grammaticus, A. Cranz. Ioh Meursius, Ioh. ac. Pontanus I Svaningius. Arn Huidfeld.

I. DAni sparsas in Oceano Balthico Insulas feracissimas, partemque continentis in Chersoneso Cimbrica habitant, Normannorum progenitores, qui Romanum Imperium Gothofredo ductore lacessiverunt, Galliæ partem à nomine suo dictam Normanniam, Carolo Calvo Rege tradente, obtinuerunt, porro Angliam sub Wilhelmo Conquæstore ingressi Regiam familiam multorum seculorum decursu florentem propagaverunt. Demum cum Tancredo Comite magnæ virtutis profecti in Italiam, pulsis Mauris, incoluerunt Apuliam, Calabriam, Neapolin, Regumque potestate usi orbe toto inclaruerunt. Series Regum incipit à Dano, filio Humbli inter Svediæ proceres clarissimi, Scaniæ præfecti. Qui hunc exceperunt, eorum res gestæ minus celebres, plurimæ fabulis maculatæ, ut illis referendis inhærere velle, sit lectoris patientia abuti. Cum Imperii Romani ad Francos & Germanos translatione, magis inclaruerũt. Carolus Magnus tricennale bellum cum Saxonibus gessit horum Rex VVedekindus fortiter resistebat & Danorũ opem advocabat, quorũ Rex Godofredus tunc temporis cum magnis copiis in Cimbria limites defendebat Eodem veniebat Carolus Imperator, & positis ad Storam fluvium castris, hostẽ provocabat. Dani vero tanti Regis metu perculsi ad Insulas refugiebant, Cimbrorum multa millia abducebantur in Frisiam, aquarum eluvionibus obnoxiam, ut objectis aggerum molibus agros ad habitandũ cõmodos efficerent, eorum pagos

A.C. 1034.

Cranzius l.4. Daniæ c.1 seqq.

A.C. 765.

Obotriti Vandali Cæsaris jussu occupabant, ut feudum Imperii deinceps esset Holsatia cis fluvium. Ea qua Cimbri abierant, via, secuti Dani, Frisiam incolis impleverunt, sed cum latrocinia ad Rhenum agerent, profligebat eos Arnulphus Cæsar. In easdem
A.C. 891. terras exercitum ducebat Otto Magnus, & Regem Haraldum cogebat, ut Pagana sacra abrogaret. Rex percepto baptismo,
A.C. 931. non proceribus tantum, sed quoque filio suo, qui tamen unà cum
A.C. 980. patre baptismo lavari cupiverat, displicere cepit. Sveno ille erat, conscriptisque legionibus, patrem regno ejiciebat, sacra nova proscribebat, veteribus in usum reductis. Varia sorte usus, Angliæ partem domuit, cum Slavis improspere decertavit, quorum metropolis Julinum erat, ter victus & captus, vicibus totidem, soluto precio ingenti, dimissus est. Svedorum irruptione vexatus, à subditis ad necem quæsitus, profugit in Scotiam. Exilium illi salutare fuit, nam reversus ad sacra meliora, & subditorum favore, postquam Svedi excesserant, revocatus, domi in pace obiit.

Saxo l. 10. Cranzius l. 5. Daniæ c. 23. seqq.

A.C. 1014. II. Ejus filius Canutus II. Norvagiam, devicto gentis ejus Rege Olao, perdomuit, quam
A.C. 1036. Canutus III. veris hæredibus restituit.
A.C. 1160. Post aliquot deinde annos præfuit Waldemarus I. victor Obotritorum & Slavorum, Julino everso, quæ populosa urbs tot seculis Danos excursionibus afflixerat. *Saxo l. 14.* A.C. 1333. Waldemarus IV. pacis artibus florebat, & Scaniam quovis modo à Svedis accipiendo, in continente boreali firmam sedem acquirebat. Filiam Margaretam conjugio elocabat Haquino Norvagiæ Regi, amplissimi patrimonii hæredem, A.C. 1375. quod præstantissima Regina auxit, Svediæ regno adjecto, ubi Albertus Obotritorum Princeps vix ejus populi moribus congruebat, belloque petitus, desertus à subditis, captivus factus, tunc demum liber abire jussus, postquam juramento dicto sibiipsi regnum abrogaverat. Successerunt ordine Ericus IX. Christoforus III. Christianus I. Johannes, Christiernus II. qui omnes domi ferè pacem nacti, cum Svedis vero atrociter dimicaverunt, ut in potestatem suam redactos eos, perinde uti Norvagos, continerent duro imperio. Quā ob rem procerum omnium cervicem unam esse optando, ut uno gladii ictu præciderentur, quicunque libertatem patriæ secundum veteres leges defendere possent, sævissimam lanienam in populis illis exercebat Christiernus, ne simili furore Danos obtereret, hi mature satis providebant, occulto fœdere invicem illigati, & peregrino

Cranzius l. 7. Daniæ c. 40. seqq.

Cranzius l. 8. & 9. Daniæ.

grino milite foras exacto, ne Rex iræ suæ ministros haberet. Pellicem amabat Duvicam, virginem Hollandicam, quam gentem imprimis favore suo dignabatur ob industriam, & Amaccam Insulam colonia ejus implebat. Virginem repentino obitu extinctam suspicabatur veneno infectam fuisse à Tobberno Huxio arcis præfecto, viro illustri, in cujus domo cœnaverat, neque voluit permittere, ut caussam diceret in Senatorum cœtu, sed carnifici deditum gladio percussit, proceresque minis circumscripsit, ne quid contra auderent.

III. Svedi feliciter obruebant præsidia Tyranni, mox etiam Civitates Vandalicæ impatientes vectigalium, quæ exigebat ille, apparabant classem, & Femariam, Lalandiam, Bornholmiam devastabant. Rex insolito quodam stupore oppressus, neque Suedis neque Vandalis resistere serio volebat, subditorum potius actis insidiatus, colludere eos cum hoste, firma animi persuasione credebat, novasque leges, curias, consuetudines, ordinabat, supplicia insuper comminatus, nisi parere vellent. Cimbri primi erant, qui leges novas aspernabantur, eorumque Dux Fridericus, Regis patruus, cum Regis hostibus paciscebatur fœdus eumque præ-

A Olearius l. Chronici Holsatia.

lio victum voto procerum omnium regno spoliabat, sibi vero coronam imponebat. Profugus in Belgium opem rogabat Caroli V. Cæsaris, qui copias donabat affini suo, quanquam sero nimis, & cum jam Fridericus opes suas firmaverat. Solvebat ille Enchusa cum viginti sex navibus, & versus Hallandiam dirigendo vela, portum Warbergæ subire volebat, reflante odiosius euro in Norvagiam rejiciebatur, amissis duodecim navibus, cœteris in Nidrosiæ littora appulsis, ubi aderant Thuro Johannis & Magnus Scarensis Episcopus, è Svedia proscripti postquam Religioni Evangelicæ repugnarent. Hi in Regis fidem concesserunt, postquam eum præfectus Olaus benigne admittebat, sed Æschillus Bergensium & Nicolaus Bahusæ præfecti impedimenta maxima ei objecerunt, donec militem in hiberna satis acta deduceret, ubi Svedorum vicinorum excursionibus vexatus ingentem rerum suarum jacturam faciebat. Veris initio Canutus Gillenstirna in Norvagiam veniebat cum valido exercitu, & Christiernum prope Aggershusium vincebat pugna, captivumque mittebat in Daniam, ubi coram Rege Friderico exutus paludamento regio, ad custodiam perpetuam da-

A.C. 1522.

mnabatur. Quam porrò viginti septem annis toleravit Sunderburgi in Alsena, ubi etiam decessit, Rex magnanimus, bellator impiger, plebi & advenis blandus, sed nobilibus infensus, perjurus, crudelis.

David Chytræus lib 11. Saxoniæ

IV. Fridericus è diverso Nobilium fautor summus, comis erga omnes, vicinis Svedis pacem detulit, retenta Gotlandia, recepta Blekingia, Vandalis ad pristinam concordiam reductis. Cepit sacra repurgare, id quod patre defuncto promovit filius ejus Christianus III. Is Witteberga accersebat Johannem Bugenhagen Pomeranum, ut Septemtrionis regna secundum præscripta Confessionis Augustanæ erudiret. Episcopos dejiciebat statu suo, & si vellent pa cis studiosi esse, permisit eis in regno vivere, ac pensionibus illis, quas liberaliter assignaverat, frui, tantum ne prædicationem veritatis impedirent. Habebat piarum operarum Curatorem, patruum suum, Christianum Holsatiæ Ducem, quem tamen Episcopi oderant, deque reducendo Christierno è vinculis in Regiam, consilia agitabant. Eo fine per Scaniam & Sialandiam turbas concitabant, Malmogiam & Hafniam præsidiis communiebant, Romanis sa cris & Christierni Regis fidei sese obligabant, Christoforum Oldenburgicum legionibus suis præficiebant. Nec minus Holsatiæ Princeps accersitis è Svedia auxiliis seriò bellum parabat. Immiscebant sese rebus hisce Vandali, quorum caput Lubeca, eratque urbis hujus Consul Georgius VVollenvveberus populari factione creatus, homo audax, pravè facundus, suadebatque Episcopis militem & pecuniam addere, ne Regum causa potior esset, quandoquidem hi Batavis permiserant mercimoniorum libertatem in Oceano Balthico, adversum pacta vetera. Priores quoque aderant in freto Codano cum mediocri classe, verum prælio cæsi diffugiebant, insequente eos hoste, & prædas agente in Travemundano portu. Reliquias deportabat Comes Oldenburgicus in Sialandiam, & Hafniæ prono civium favore admittebatur. Non tamen diuturnus ille erat, postquam Vandalis depulsis exercitum suum admovebat Princeps, & Comitem integro anno obsessum cogebat, ut urbem dederet. Ipse incolumis abibat, data fide, quod nunquam deinceps hostilia conari vellet.

A.C. 1533. D. Chytr. l. 14. Saxoniæ, Adam. Olearius l. 5. Chronici Holsatiæ.

V. Rex superatis periculis obiit, peculiariter dilectus Deo, qui eum prænuncio monuit de propè instante excessu. Secutus est eum Fridericus II. optimus Princeps. Cronenburgum

A.C. 1559.

D. Chytr. l. 21. Saxoniæ.

struxit

ſtruxit ad Helſingôram, propugnaculi inſtar, quo Regia urbs defenderetur. Ericum Suediæ Regem bello victum, ad pacis
A.C. leges accipiendas compulit. Ejus
1588. filius Chriſtianus IV. pacis ar-
Adamus tibus nobilis, Nutricius optimo-
Olearius rum ſtudiorum maximus, bellis
l. 9. 10. 11. anceps & plurimum infelix. Ca-
Chronici rolum Svediæ Regem vicino
Holſatiæ. rum armis perpetuis exhauſtum, ipſe viribus integer, ætate florens, opibus gravis, novo bello invaſit, cumque victor hactenus non procul à victo abeſſe videretur, cum filio ejus Guſtavo Adolpho pacem fecit. Germaniam liberaturus ab impotente Cæſaris jugo, tantis cladibus affectus eſt, ut honeſta pace eis abſolvi maturaret, vindices fortunæ ſuæ nactus Svedos & Gallos. Cum verò hos nimium fortunæ ſuæ inhærentes, videret Cæſari pacis leges iſtas meritò præſcribere velle, ut potentia ejus circumſcriberetur, cepit de bello novo rumores ſpargere, tandem quoque Chriſtinam Svediæ Reginam invadere. Holſatiam domabat Torſtenſohnius è Germania profectus cum exercitu, ubi adverſus Cæſarem hactenus res magnas geſſerat. Inde Femariam Inſulam ingreſſus operam jungebat cum Flemmingio Ammiralio, qui claſſem quadraginta navium è Suedia adduxerat. Eodem profectus Rex cum valida claſſe, & velitari auſus, prælium tamen recuſabat, poſtquam feſtuca ligni à globo ferreo revulſa & in oculum dextrum eliſa, uſu ejus ſemper caruit. Reverſus Hafniam, ut de promovenda non ſegniter militia conſultaret, partem claſſis meliorem tradebat Porſio Munko, ut Balthici maris Inſulas defenderet. Hunc ad Langelandiam victum navibus & vita ſpoliabat Vrangelius Suedicæ claſſis Rector. Itaque Rex terra marique cæſus, precio ſoluto pacem redemit, à Batavis inſuper vexatus, ampliſſima vectigalia in freto Codano pendi ſolita, ad multò minorem pecuniæ ſummam redegit, uberrimo aureæ meſſis proventu ſpoliatus.

VI. Multum pietati debuit, fortunæ nihil. Regnum conditis novis urbibus valde ornavit ampliavit: ſed provinciis hoſti conceſſis diminuit. Virtutibus ſuis omnibus major, ſolo animo ad maxima quævis erecto minor, tunc cum poſt varias calamitates acceptas, rerum regimen jam non ſuo, verum cujuſvis ingenio permittere cogebatur. Obiit in- A.C.
ter certiſſimas regni turbas, & 1648.
ſucceſſit ei filius Fridericus III. *Adamus*
Bremenſium quondam Archi- *Olearius*
Epiſcopus. Hic procerum mul *lib. 1. 13.*
torum, atque inter eos Uleſel- *Chronici*
dii Co- *Holſatiæ.*

dii Comitis, factionibus impetitus, ejectis illis, cum apud vicinos Suedos receptum invenirent, donec æquissimis judiciis obortæ lites componerentur, belli causa exstiterunt. Suedorum Rex tunc temporis affligebat armis suis Poloniam, ipse vicissim irruptionibus Rossorum in Livoniam haut leviter vexatus. Et verò, ut nulla calamitas sola esset, Rex Daniæ fœderatus Polonorum ac Rossorum, exarmatos in vastis Poloniæ campis Suedos post tot conflictuum experimenta, falsis relationibus persuasus, Oceanum Balthicum navibus pererrabat, copiisque in agros Bremensium emissis, Vordam expugnabat. Svedi festinato itinere pergebant in Holsatiam, & Fridericiôdum ad fretum Cimbricum munitissimum castrum lenta obsidione superabant, occiso Bildio Campiductore, multis millibus captis. Inde hyemis benificio, quæ acerrimo frigore Balthicum mare constrictum pontis vice sternebat, usi Fioniam ingrediebantur, & conflictu adversus Gyldenlôvvium Insulæ ejus opulentæ Rectorem exacto tres mille viros occiderunt, totidem mille captivos habuerunt. Indè Langelandiam, Lalandiam, Sialandiam prono victoriæ cursu peragrabant, exsulum ductu, & hac vice quidem Rex, ne caperetur in urbe Regia non satis munita, duras pacis leges Roschildiæ descriptas admittebat, provincias nobilissimas concedendo hosti, velut belli oblati, sed præter omnium spem prosperè confecti, præmia. Per summam necessitatem expressæ leges non videbantur satis firmo inniti talo, cumprimis monebant Batavi, non placere sibi conventionis articulum, de maris Balthici imperio & freto Codano tuendo adversus populos exteros, namque isto modo credebant mercimoniorum uberrima commoda sibi eripi, itaque bellum restaurabatur. Poloni, Borussiæ Elector, Austriaci suppetias ferebant Danis, accedebant naves Batavorum valida classe ordinatæ sub ductu Ammiralii de Opdam. Svedi Cronenburgum propugnaculum capiebant, situ & opere pro inexpugnabili habitum: Hafniam, & in ea Regem ad extrema redactum, terra marique obsidebant. Batavi classe advecti Oresundam ferro aperiebant, & quanquam conflictu perderent optimas naves, fortiter contrà eos rem gerente Vrangelio, evaserunt tamen plurimæ, inter flammarum globos venti noctisque benificio, & annonam militesque Hafniæ inferendo, animos civibus addiderunt, ne famis periculo victi, urbem proderent, Sociorum copiæ per Hol-

A.C. 1658.

A.C. 1659. Holſatiam tantiſper graſſabantur, porrò in Fioniam navibus delatæ, prælio acerrimo vincebant Svedos. Et quanquam hi caſtris ad Hafniam poſitis aſſultu maximè terribili urgerent mœnia, repulſi tamen poſt acrem trium horarum conflictum cum fortiſſimorum militum jactura, & Pomeraniæ auxilia laturi, quam hoſtes Poloni ferro flammiſque horrendum in modum evaſtabant, Dania emigraverunt, procurantibus Anglis, quorum claſſis ſub præfecto Montacutio ad Oreſundam appulerat, ut concordia inter Reges ſanciretur, iiſdem ferè pacis legibus, quas nuper dixerant, ſtabilitis. Civium omnium votis (ſolum quod proceres quidam refragabantur incaſſum) Regi huic confirmata eſt Regni poſſeſſio cum majori poteſtate, hæreditaria ad poſteros omnes, quando majores ejus electionis jure conſtricti, procerum imperia ferre ſueverant.

LIBER XVII.

Quo continentur res geſtæ Hungarorum & Bohemorum à prima gentis origine uſque ad noſtra tempora.

CAPUT I.

De rebus geſtis Regum Ungariæ.

Ant. Bonfinius, Caſp. Enſius, Ioh. de Thuroz. Petrus Ranzanus

I. Pannonia erat olim Macedoniæ pars, cumque illa Romano Imperio acceſſit. Gothi deinceps acquiſiverunt eam, quos pepulerunt Hunni, qui Caucaſo ſuperato ducibus Attila & Wleda fratribus in Aſiam citeriorem primò, A.C. 441. inde in proximas Danubio regiones, advenerunt. Theodoſius Cæſar oppoſitis legionibus firmis tantiſper eos repreſſit, ſucceſſori Marciano imperaverunt vectigalia. Sedem imperii conſtituerunt Hungariam, & collecto quingentorum millium exercitu, per Germaniam & Italiam impunè vagati cædibus ac rapinis vaſtabant omnia, Medio

dio matricesque superando Burgundiæ Regem copiis & vita spoliabāt, Galliæ fines carpebant. Stabat Attila cum ferocissimis copiis ad Aurelias, duplicemque adversus se concitabat hostem, Theodoricum, Visigottorum & Meroveum Francorum Reges, uterque pacem firmam iniverat cum Valentiniano Imperatore, fœdere insuper sancito, quod communibus viribus Hunnis resistere vellent. Auspiciis perfectis, interrogabat sortilegos, quē belli exitum fata portenderent, & responsum accipiebat, cladem instare magnam, quando confligere vellet, cæterum hostes victores fore, amisso tamen Duce præstantissimo. Putabat, de Aetio Italiæ præfecto clarissimo dici ista, adeoque non dubitabat inire pugnam, quamvis improsperè se dimicaturum certò prænovisset, cladem in ista populorum multitudine faci è resarciturus, modo fortissimus ætatis suæ miles periret unà. Itaque motis castris pergebat in Campaniam, ubi occupaverant planiciem Gotti, Franci, Itali, horumque socii, Burgundiones,
A.C. Allemanni, Britones. Confli-
451. gebant integro die & sequenti nocte, ducentis Hunnorum millibus cæsis. Gothorum Rex Theodoricus percussus telo in acie occumbebat. Attila intrà carraginem sese recipiebat, eo consilio, ut novum hostis impetum sustinendo vel fortiter profligaret, vel si elabi non posset, castris incēsis fumo flammisq; cum opibus suis periret, neq; enim vivus in hostiū potestatem concedere volebat. Sciebat vincere Aetius, victoria uti nesciebat, adeoque Thorismundum Gottorum Principem, qui Barbaros pugna attritos decreverat persequi, deserendo, abibat domum, & verò Attila diu cunctabatur fugere, magna seu fortitudine seu calliditate ad Gallias evastandas intentus, atq; id paucis diebus fugæ supraseden do assecutus, cum mediocribus copiis in Pannoniam repedavit.

II Nova expeditione functus, *Iohan. de Thuroz cap. 18. 19. 20. 21. Chronici part. 1.*
Dalmatiam & Histriam populabatur, cæsisque ad Tergestinum sinum legionibus, quas Liburniæ præfectus opponebat, proximo itinere Aquileiam usque contendebat, quæ valido præsidio instructa triennio tolerabat obsidionem. Et jam obsessores ipsos vexabat tædium, abjecta spes potiundæ urbis, cum Attila videbat ciconiā pullos suos rostro asportantem è proxima specula, ubi habuerat tantisper nidū suum, peritus ille divinationum, urbē prope ab excidio abesse conjiciebat, quando præsciæ futurorum aves seque pullosq; suos incendiis eripiendo, fugiant. Milites confisi augurio, pertinaciter invadebant

mœ-

mœnia, vigiles loco pellebant, cives promiscue occidebant, opibusq; direptis flammas subjiciebant. Pari excidio diruebant Concordiam, Patavium, Tarvisium, Vicentiam, Bononiam, Papiam, Mutinam, Brixiam, Bergomum, quarum urbium omnium incolæ dispersi in fuga, Rivum altum obtinuerunt, hostibus paludes & stagna, quia navibus carebant, objiciendo, ne insequi possent. Venetiarum primordia ista fuerunt, creveruntque successu temporum, Regna multa, provincias, urbes aut precio aut armis acquirendo, sola omnium Italiæ urbium gratiosæ libertatis decus tuetur, cæteris fere servientibus. Demum castra sua ad Padi & Mincii confluentem deponebant. Quo in loco deliberantibus, an Romam versus ducerent, Leo Pontifex occurrebat, & precibus vincebat ferociam Regis, ut auri summa accepta reverteretur in Pannoniam, vastator Orbis.

Iohan. de Thuroz. cap.22.23. 24 Chronici part.1. III. Armis invictus, amori succubuit. Cum Parthici Reguli alicujus filia nuptias celebrando, equestribus ludis adeo corpus fatigavit vino copioso aspersus, A.C. ut venis ruptis è profluvio sangui 445. nis obierit noctu, innuptis nuptiis defunctus. Ab ejus obitu filii duo super hæreditate litigabant, quã benè gerendæ rei occasionem speculatus Ardaricus Gepidarum Princeps, bellum inferebat Hunnis, quorum castra hactenus secutus fuerat, & majorem Attilæ filium Hallacum cum triginta *Petrus* millibus viris acie perimebat, mi *Ranzanus* norem Chabam fugabat in Sar- *in Epitome* matiam. Ipse Regis titulo elatus *c.6.7.8. seqq.* Pannoniam obtinebat cum posteris suis, quorum ultimus Kunimundus succumbebat armis Longobardorum. Qui tamen haut diu potiti novo Regno, cum A.C. Rege suo Alboino proficiscebantur 667. in Italiam, ubi sedes firmas nacti, ad Caroli Magni tempora usque perstiterunt. Deinceps Hunni & Gepidæ concorditer vivendo pacem vicinis quoque conservarunt. Sed belli artes restauravit Caganus, novis è Caucasi regionibus coloniis adductis, Rex fortissimus, prolatis in Orientem armis victor, Italiæ partium domitor, cæsis per Histriam Longobardis. Carolus A.C. Magnus felicibus pugnis 790. omnem Pannoniam devicit, Budaque expugnata opimam prædam abstulit, sed posteri ejus propioribus curis implicati ferocissimam gentem libertati restituerunt. Tunc verò Germaniam & Italiam percursando ingentes ubique prædas extorserunt, Venetias tentaverunt, cæsi tamen ab Hen- A.C. rico Cæsare, nec minus alte- 922. ro prælio superati ab Ottone A.C. Magno. 956.

IV. Pacem firmam inive runt tunc demum, quando Religionem veram acceperunt sub Stephano Rege, cujus posteri longa serie præfuerunt, & inter eos cumprimis Andreas, Bela, Salomon, Ladislaus, Wenceslaus, Ludovicus, finibus regni admodum prolatatis. Ludovicus obiit nullo relicto filio, sed filia ejus Maria nupsit Sigismundo Bohemiæ Principi, qui regnum Hungariæ nominis sui fama, quamvis non sine ingenti bellorum clade, celeberrimum reddidit. Oderant eum Hungariæ proceres, & Neapoli evocatum Carolum Parvum, Ludovici Regis ex Andrea fratre nepotem, imponebant solio, quem Regina vidua convivio exceptum Vicegradi apud Forgatschium Comitem obtruncari curabat. Hanc vicissim Johannes Horvatus Banus Croatiæ comprehensam in urbe Buda vinciri & Danubio mergi jussit, Reginam sponsam abduxit. Sigismundus conciliabat sibi plurimorum favorem, eoque superior Banum proscribit, inde captivũ factum quadrigis discerpsit. Bello implicatus contra Bulgaros, qui olim à Rege Carolo Roberto victi fuerant, tunc vero ad libertatem aspirabant, feliciter rem gerebat, sed Bulgari, cum resistere Ungaris deinceps non possent, Turcorum opem invocabant. Bajazethes cum exercitu suo adveniebat, pugnabatur ad Nicopolim, & victis Ungaris, Rex vix evasit. Cladem acceptam proceres in Rege suo ulturi, tanto magis odio omnium exposito, postquam Regina obierat, palam de abrogando illo sermones habebant. Accersebatur Ladislaus Neapolitanus Caroli Parvi filius, ut regnum acciperet, quo celerius hoc agebat Sigismundus, ne spoliaretur regno, & copiis è Germania, Polonia, Bohemia conscriptis, atroci bello domabat fastuosos, laboribus multis fatigatus, donec Turci iterum accurrerent. Quos prohibiturus, ne Sinderoviam expugnarent, prælio ad Columbacium inferior fugiebat. Domi & adversus hostes infelicissimus, foris & apud vicinos gratissimus omnibus, Electorum voto designabatur Imperator, nec multo post Bohemiæ Rex electus est. Regna pariter & Imperium Germaniæ obtulit Alberto Austriaco, genero suo, qui moriturus uxorem Elisabetham gravidam reliquit. Natus est deinceps Vladislaus Posthumus, & vero proceres in magnis rerum motibus, quos nimium vicini Turci exciverant, Regem justæ ætatis petebant, assentiente primo Regina vidua, sed recusante deinceps. Et ipsa quidem profugiebat Viennam ad Fridericum Imperatorem, proceres eligebant Regem

Marginalia: A.C. 997. — *Ioh. de Thurocz part. 2. Chronici c. 27 seqq.* — A.C. 1386. — *Ioh. de Thurocz part 4. & 5. Chronici.* — A.C. 1396. — *Hieron Ortelius in Chronico lib. 1.* — A.C. 1409. — A.C. 1411. — A.C. 1419. — A.C. 1437. — A.C. 1439. — *Petrus Ranzanus in Epitome c. 22. 23. seqq.*

Phil. Callimachus de rebus gestis Vladislai l. 1.2.3.

Regem, Vladislaum Polonum, qui velitationibus multis frangebat Turcorum vires, ut pacem darent. Eam violavit ipse in Pacem gratiam, & prælio cruento superatus ad Varnam, in acie occubuit.

A.C. 1444.

Gerh. de Roo l. 5. & 6. Annal. Austr.

V. Ladislaus privignus ejus detinebatur Viennæ in Cæsaris aula, nec enim volebat eum dimittere Cæsar, ætatis imprudentiam obtendendo. Proinde Huniades Bistricienfis & Ulricus Ciliæ Comites armis in Austriam prolatis, Cæsarem ab ipsis civibus suis atroci seditione vexatum permovebant, ut dare pacem & dimittere vellet Regem. Mox obiit Huniades proceribus omnibus gratissimus, ob victorias multiplices adversus Turcos obtentus, soli Ciliæ Comiti invisus, qui Regis animum sibi obnoxium facere cupiebat, veritusque ne Huniadis filii Ladislaus ac Matthias, paternæ virtutis recordatione, in aula præferri, & Regis gratiam demereri possent, calumniis oneravit Ladislaum, literisque confictis probare voluit, accersivisse eum Turcos ad invadendos Regni fines. Protestabatur Ladislaus de innocentia sua, & obtruncabat Comitem delatorem. Damnatus ob id capitis & gladio percussus in foro Budæ, in vincula missus est frater Matthias, causæ vero cognitio dilata, quando Rex apparabat splêdidas nuptias cũ Margareta Caroli VII. Galliæ Regis filia, nec tamen peragebat illas, morbo repentino confectus, ut suspicio esset, venenum bibisse. Matthias vinculis solutus, commendante eum Michaele Zilago avunculo, exercitus Ungarici præfecto summo, evehebatur in solium, regalis vitæ compos factus tunc cum inter spem ac metum dubius, sententiam mortis è decreto Regis exspectabat.

P. Ranzius in Epitome c. 28. & seqq.

A.C. 1457.

Gerh. de Roo l. 7 & 8. Annal. Austriac. Ludovicus Tubero l. . Comment.

VI. Matthias animi magnus, bello nunquam victus, eruditione præclarus, nobilissimos libros per Græciam & vicinam Asiam conquisitos precio magno redimebat, in quos Barbari immaniter sæviebant. Hos ipsos victoriarum cursu prospere usus expellebat Servia, Bosnia, Moldavia Bulgaria. Recesserant Bohemi & proprium Regem elegerant, Georgium Podibracchium, qui vigore animi, clientelis atque opibus procerum erat potentissimus, præeratque ille annis tredecim. Quo defuncto regnum sibi poscebat tradi Matthias, sed proceres animi gravitatem in Rege altius expendendo, negabant eum rebus suis utilem futurum, libertate oppressa, itaque suasu Friderici Cæsaris evocabant Vladislaum Poloniæ Regis Casimiri filium, ut præesset regno. Hinc bellum exortum est ac Bohemi quidem tuebantur Vladislaum, Si-

A.C. 1458.

A.C. 1471.

Cureus part. . hist. Siles.

lesii & Moravi adhærebant Matthiæ. Principum Imperii interventu pax facta est in castris ad Vratislaviam, ut Moravia dedita contentus esset Matthias, dum viveret: Bohemiam & Silesiam obtineret Vladislaus. Non repugnabat admodum Matthias postquã nuncio perceperat, Turcos instauravisse copias, & Moldaviam expilare.

A.C. 1490. *Lud. Tuberol. 1. Commentar.* VII. Defuncto Matthiæ successit ille, quem diximus, Vladislaus. Cum Bajazethe cõflictus aliquot feliciter exegit, pacemque fecit. Decessit podagræ dolorib. excruciatus, neq; voluit obedire monitis Thomæ Archiepisc. Strigon. ut contra Selymum maximis in Parthia & Ægypto conflictibus occupatum arma caperet, violata pace. A.C. 1516 Ejus filius Ludovicus in utroque regno successit. Belli disciplina, quam ostentaverat, vix usurpaverat Vladislaus, sub Principe hoc contempta, florentissimo Regno excidiũ procurabat Princeps egregiæ indolis quidem, sed immaturæ, proceribus mutuo odio flagrantibus impar erat. *Sabellicus l. 3. supplem Lud. Tuberol. 3. 4. 5. 6 7. Commentar.* Non latebat hoc prudentissimum Selymũ, qui fugatis Parthis, subactis Mammaluccis omnem Imperii sui molem conversurus esse in Europæ perniciem credebatur. Eo spe citius per morbum contagiosum defuncto Solymannus patri succedebat, cujus Legatus veniebat Budam, ut pacis leges renovando fidam Sultani amicitiam pacisceretur, sin aliter visum Hungaris, bellum denunciaret. Præferebant illi summo consensu bellum, quando contra Sultani patrem avumque feliciter decertaverant. Nec tamen vel ipsi justas vires habebant, vel propinquorum Regum auxiliis juvabantur. Carolus namque Cæsar & Ferdinandus frater, quibus Italici Imperii opes cordi erant, aliis in locis arma ferebant. Sigismundum Polonum facile avertebant incursiones Tattarorum. Papa clemens VII. domestico occupatus bello vix legionem Germanorum è sacra pecunia conduxerat. Sultanus potentissimas copias adducebat, Belgradum totius regni propugnaculũ, dum Hungari aleis & poculis se exercebant, tantamque in hoste celeritatem non prævidérant, valida obsidione capiebat. *Lud. Tuberol. 11. Commentar. Cureo part. 1. hist Siles. Iov. l. 28 histor* Exacto triennio reversus in expeditionẽ, pontibus super Danubio stratis, proximas urbes nemine resistente devastabat, & Budam versus contendebat. Rex cum incomposito agmine occurrebat, motoque in agris Mohazensibus conflictu primam aciem demandabat Paulo Tomoreo Archiep. Colociensi. Is proceres nõ temere veritos hostiũ vires damnabat ignaviæ, & ad conferendas manus provolabat, sequebatur Rex aliena vecordia atque superbia

miser

miser. Occiso inter primos Tomoreo, vincebantur Hungari. Rex desperatis rebus ac porro incertæ fugæ committens sese, uno comitatus satellite Zetrizio Silesio, in palustria loca devenîebat vectus equo, ubi gravis armis præcipitatus & à voragine haustus non comparuit amplius. Cæsis quindecim mille viris, Buda faciebat dedicionem, cives meliores abducebantur in Thraciam. Regis cadaver eductû luto post discessum hostis, modico funere cõtumulabatur.

A.C. 1526.

VIII. Proceres vacuam Budam ingressi Regem novum petebant votis contrariis, unde calamitates publicæ augebantur. Regis Ludovici sororem Annam matrimonio duxerat Ferdinandus Austriacus, & dotale sibi regnum asserendo, multorum assensum merebat, corona ornabatur: sed aliorum contradictionibus exclusus, qui electionis liberæ jura tuebantur, potentem adversarium nactus est, Johannem Comitem Zepusiensem, Daciæ præfectum virum armis strenuum. Litis arbitrium interponebat Sultanus, & belli jure domitam gentem sibi vectigalem addicebat, Zepusiensi regnum sub fiduciæ jure tradebat. Eo defuncto volebant proceres filium impuberem Johannem surrogare. Ferdinandus vero jus suum pergebat armis defendere, & obsidebat Budam. Subsidio ibant Turci, pulsisque Germanis præsidia imponebant Budæ, Pesto, Albæ-regali. Regina cum filio in Daciam abibat, veterem fortunarum suarum sedem, reversura Budam, tunc cum filius ætatis compos proprio consilio res gerere posset. Quod tamen promissum effectu caruit Solymanno defuncto. Nam Maximilianus Austriacus superioris Hungariæ Rex electus, pacem in Selymi aula impetrabat sub conditione annui tributi, Zepusiensis junior abdicato Regis titulo præfecturam Daciæ retinebat, & Hungari tot cladibus fessi in Austriacorum Principum clientelam non inviti concedebant, salva libertate. Rudolphus excepit patrem, qui plurimis conflictibus Turcos sustinuit, multa castella recuperavit, & Sigismundum Bator Daciæ Principem fœdere sibi devinxit. Habebat ille Alfonsum Carigliam Jesuitam in aula sua, quærebat ex eo, an Turcis bellum justum inferre posset, quos ipse feudi dominos agnosceret, neq; ab eis hactenus injurias aliquas, nisi forte latrocinia solita in finibus accepisset. Clericus multa garriebat de Ecclesiæ commodo & obsequio erga Papã, decernebat Princeps bellum, nobiles serio contra dicen-

Melchior Soiterus de bello Pannonico lib. 1.2.

A.C. 1540.

Caspar Ensius li. 5.

6.7.8. hist. Vngar.

A.C. 1562.

A.C. 1572.

Ioh Iacobinus de rebus gestis Sigism.

dicentes, & ut datam Sultano fidem servaret, cupientes, exilio afficiebat, Walachiæ Regulum ad defectionem impellebat, Moldaviæ Regulum armis ejiciebat, Mariam Austriacam sibi despondebat. Initio læta arma sumpta, in progressu debilitata, in fine laboraverunt. Copias ejus Moldavia pellebant vicini Poloni, & provinciam illam Regno suo obnoxiam asserebant. Ad Temesvaram periculosa obsidione defunctus, à Sultano hostis declaratus, exercitum longius abducebat, Sultano propius insequi auso. Orto prælio ad Agriam, vincebant Turci, millia multa in servitutem rapiebantur. Bator post cladem istam potentibus Barbarorum excursionibus impar, Daciam tradidit Cæsari, pactus, ut pro ea duos Principatus in Silesia, Ratiboriam & Opoliam, cum quinquaginta millium Imperialium nummorum pensione annua reciperet. Propinqui ejus Andreas, Istvan, Gabriel, & cæteri proceres detrectabant Cæsaris imperium, subditos armabant, quibus Cæsar opponebat Georgium Bastam, & conflictu habito superior, Andream in acie peremit, Istvanum per amicos sustulit, Gabrielem fugavit.

Ortelius lib. 2. Chronici.

A.C. 1596.

IX. Nec tamen desiverunt subditi vel ipsum Sigismundum occultis literis hortari, ut patriam repeteret, victusque ille precibus suorum, & securus pacis in aula Turcica obtinendæ, denique quod promissum aurum ne flagitanti quidem solveretur, divortium sumebat ab uxore Maria, & nemine conscio revertebatur Coronam, Bastam armis persequebatur. Huic Cæsaris nomine subsidio ivit Michael Walachiæ Despota collatisque signis apud Mozinium vincitur Batorius, & Bistricia conclusus, quod urbem servare non posset, Bastæ captivum sese obtulit, à quo in Bohemiam deportatus non procul ab urbe Praga inglorius consenuit. VValachus in præmium latæ opis Daciæ partem à Cæsare petebat, quod adeò malè habebat Bastam, ut militiæ socium & victoriæ autorem per sicarios in castris obtruncaret, Dacosque in Cæsaris fidem adigeret. Sed perfidè crudelis in Reformatos, multis modis vexabat eos, cumque in Cæsaris aula nullam miseris sperare salutem liceret, bellum restaurando Mosem Zecalorum Satrapam, Bethlemum Gaborem Varadini prætorem, Stephanum Botskaium in Hungariæ partibus Comitem, veteranos in militia Batoriana Duces, ad patriæ libertatem vindicandam crebrò impellebant. Moses primus aggressus Cæsarianos, prælio inferior occumbebat. Gabor repetito

Ortelius in Chronico l. 3.

Caspar Ensius li. 10. 11. hist. Vngar.

Ortelius in Chronico l. 4. tito prælio, fortuna simili usus per Tibiscum enatando, veniebat Budam. Felicius dimicabat Botscajus, cæso Tampirio partium Cæsarianarum duce præcipuo. Eum, quoniam armis domari non poterat, veneno dato sustulerunt Jesuitæ, publicæ tranquillitatis hostes, sed tamen in Cæsaris potestatem redigere non poterant Daciam, ubi Princeps electus est
A.C. 1609. Gabriel Batorius. Hungari conquesti, difficilem ad Rudolfum Cæsarem pro expediendis negociis accessum patere, vivo & vidente illo fratrem ejus Matthiam Archiducem designabant Regē, qui cum Turcis pacem coluit.

X. Daciam impotenti dominatu premebat Batorius, Cæsari invisus, nec satis fidus Turcis, subditis vero etiam propter sævitiam exosus. Cum Walachiæ Despota Rodolfo bella gerebat, eumq; non modicis auxiliis Matthiæ instructum superabat, & terris patriis ejectum fugabat in Moldaviam, vicissim ipse prælio ad Coronam superatus à Forgatscio, latebat apud Zecalos. Vagabantur victores hinc inde, cum nuspiam comparerent victi, demum Mahomedes prætor Budensis aderat, plurimasque turmas internecione delebat. Forgatscius omnium rerum inops abibat domum. Batorius perinde sævus, uti antea, domesticis insidiis appetebatur, itaque ne improviso periret, Turcis vero etjam, apud quos Gabor æmulus ejus donis amplissimis fidem emercatus fuerat, non satis fisus, vertebat solum, & Matthiæ Regis auxilia rogabat. Gabor amicitiam cum Bassa Romaniæ pactus, & ab Acomathe Sultano copiis instructus, Bathorium profligabat, qui non multo post à provincialibus occisus Gabori principatum cum ingentibus opibus permisit, Lippa castellum dabatur Turcis. Rex Matthias sobole A.C.
carebat, itaque Ferdinandum Ar- 1618.
chiducem, patruelem suum, commendabat successorem. Hunc multiplicibus bellis exercuit Gabor, adeoque civium Regni votis renunciatus Princeps, inde Rex Hungariæ, capto Posonio in Austriam victor progressus omnia populabatur, Viennæ legiones suas Budiano rectore circumfundebat. Sed infelici Bohemorum prælio ad montem album peracto res ejus non leve damnum acceperunt, quas tamē pacem sibi multum utilem ineundo, studiose correxit, opulentos Hungariæ Comitatus Zatmar & Tockai feudi jure adeptus. Patrem Ferdinandum secutus est filius ejus Ferdinandus A.C.
Ernestus, qui cum Rakosio Da- 1635.
ciæ Principe decertavit, & vivens filium suum Ferdinandum Franciscum Hungaris dedit Regem. Qui tamen ante patrem de-

A.C. functus, fratri suo Leopoldo Ar-
1654. chiduci locum dedit.

CAPUT II.
De rebus gestis Regum Bohemiæ.

I. Dubravius. VV. Hagecius, M. Boreck. I. MAroboduus olim genti-
bus illis præerat, quas
Marcomannos appellabant, Ro-
manorum amicus. Slavi accesse-
runt demum, magna pars copia-
A.C. rum, quibus Attila Rex Hunno-
444. rum instructus vagabatur per
Dubravius lib. 1. Germaniam. Principum nobilis-
simus Zechus imperium firmavit
legibus optimis, quas porrò com-
A.C. mendavit Cracus, & hujus gener
670. è filia Libussa Primislaus comiter
A.C administrando jura populi stabi-
709. livit. Carolus Magnus felicibus
Dubravius l. 2. præliis domuit populum idolo-
rum cultibus obnoxium, sed Re-
ligionem veram seriori tempore
persuasit eis Methodius Episco-
A.C. pus Moraviæ, atq; ipsi tunc Re-
890. gem habebant Borivorium Im-
perio Germanico vectigalem. Se-
Dubravius l. 3. 4 seqq. cuti eum longa serie Reges, Ura-
tislaus, Wenceslaus, Boleslaus,
Jaromirus, Udalricus, Uladis-
laus, obedientiam præstiterunt
A.C. Imperio, quam abdicavit Ottoca-
1199. rus I. magnus Philippi Cæsaris
A.C. amicus. Ejus nepos Ottocarus II.
1253. potentissimus omnium, Austriæ
& partium Italiæ dominus, copiis
Dubravius l. 17. in Borussiam missis plurimum ju-
vit Cruciatos, ut Barbaris fidem,
leges, mores persuaderent. Cæsar
Rudolfus eum revocabat ad sub-
eunda jura vetera, juramentum
fidelitatis exigendo. Et præstitit
illud victus prælio, mox facti pœ-
nitens renovavit bellum. quo in-
ferior, vita spoliatus, Bohemiæ A.C.
regnum commisit filio suo Wen- 1278.
ceslao II. sed provincias Austria-
cas occupavit Rudolfus, paupe-
res aliàs hæredes divite patrimo-
nio erigens, ut propriis equidem
opibus subnixi non jam Comites
amplius in exiguis Alsatiæ parti-
bus, verum insimul Duces claris-
simi per Germaniæ Imperium es-
sent, Regum æquales.

II. Wenceslaus Cæsaris gener *Dubravius l. 8.*
erat ducta filia ejus Judtha, vir-
tutum studio nobilis, Poloniam
quoque rexit, voluntate proce-
rum benè usus, postquam secun-
do matrimonio acceperat Pri- A.C.
mislai Regis filiam. Sed cum pa- 1305.
tre defuncto filius Wenceslaus *Dubravius l. 19.*
III. hæreditatis jure Poloniam re
tinere vellet, exercitu conscripto
à sicario occisus est Olomunciæ.
Duas sorores habebat, quarum
major Anna nupsit Henrico Ca-
rinthiæ Duci, minor Elisabetha
Johanni Lucemburgiæ Duci.
Successit uterque, & Carinthius A.C.
quidem paucis annis præfuit, de- 1307.
jectus solio cum sæviret nimium
in vitam opesque procerum. Jo- A.C.
hannes verò commodior mori- 1311.
bus, comitate sua allexit Silesiæ
Principes, ut à Poloniæ regno,
quo-

Dubravius l. 20. 21. Cureus l. 1. histor. Silesica. quo cũ hactenus libero consensu
Rempublicam unam constitue-
rant, divertendo, Bohemiæ sese
adjungerent. Legionibus validis
comitatus adiit Galliam, & præ
lio adversus Anglos moto cæsus,
A.C. 1346. successorem habuit filium Caro-
lum, quem Germaniæ Principes
A.C. 1363. deinceps elegerunt Cæsarem.
Ejus filius Wenceslaus in Bohe-
Dubravius l. 22. 23. miæ regno pariter ac Germaniæ
Imperio successit. Tunc temporis
cepit adversus Paparum ambitio-
nem & corrupta vitio horum sa-
cra, concionando & libros vul
gando, famam nominis acquire-
re Johannes Hussus, Regis patro-
cinio usus, qui de Papæ gratia
conservanda non curabat ad-
modum.

A.C. 1419. III. Defuncto Regi succedebat
frater Sigismundus, qui Concilio
Dubravius l. 24. 25 26. 27. Constantiensi indicto evocabat
Johannem Hussum, salvi condu-
ctus literis munitum, ut veritatis
causam in frequenti auditorio,
adversus falsorum dogmatũ præ-
cones ageret. Monachi virum
pietate insignem, eruditionis lau-
de excellentem, erroris nullius
convictum rogo impositum per-
fide cremabant, cineres in Rhe-
num spargebant. Quod impium
facinus bello justo ulciscebãtur
Bohemi, & duce Johanne Comi-
te de Trosno exercitum collige
bant, Thaborem belli sedem con
stituebant. Occisis ubique Mona
chis, & Rege ipso ejecto, ingentes
turbas dederunt, Pragam occu-
paverunt, neque aliter componi
res poterat, victis ubique copiis à
Rege adductis, quàm ut pacis le-
ges in Concilio Basileensi diceren-
tur, ac Bohemis liberum Religio-
nis novæ exercitium concede-
retur.

IV. Deinceps ferè eosdem cum
Ungaris habuerunt Reges, Al- A.C.
bertum Austriacum Sigismundi 1438.
generum, nec non filium hujus
Uladislaum Posthumum, quo A.C.
tempore curatoriam administra- 1453.
vit Fridericus III. Cæsar. Eo de A.C.
functo successit Georgius Podi- 1458.
bracchius, dignissimus imperio *Dubravius l. 28.*
& acceptus subditis omnibus, 29. 30. 31.
Papæ infensus, à quo impulsus 32. 33.
Matthias Hungariæ Rex invade-
bat vicinum Regem, aliàs vete-
ranum amicum suum, tunc verò
hostem eo solum nomine, quod
erat Hussita. Nihil præstitit, & Po-
dibrachius tandem placida mor-
te exspiravit. Secuti eum Uladis A.C.
laus, ejusque filius Ludovicus à 1471.
Turcis prælio interemptus. De- A.C.
mum Austriaci obtinuerunt serie 1516.
perpetua, Ferdinandus I. Maxi 1527.
milianus, Rudolphus, Ferdinan- 1562.
dus II. qui vetera jura bello victis 1575.
iis ademit, Ferdinandus III. Fer- 1611.
dinandus IV. Leopoldus. De 1617.
quorum omnium rebus gestis 1646.
alio loco satis dixi- 1654.
mus.

✠ (o) ✠

LIBER XIIX.

Quo continentur res gestæ Polonorum & Rossorum à prima gentis origine usque ad nostra tempora.

CAPUT I.

De rebus gestis Regum Poloniæ.

Mart. Cromerus, Alex. Guagninus, Ioach. Pastorius, Ioh. Herburtus Sal. Neugebauerus, Stan. Sarnicius.

I. Poloni vetere nomine Alani, habitant Sarmatiæ partem, & in provincias Romanas non semel impetum fecerunt, victi à Probo & Caro Imperatoribus. Cum Vandalis juncti sub Rege Genserico, patriaque egressi Italiam & Hispaniam depopulaverunt, novumque in Africa regnum condiderunt. Ita patrios agros deserendo invitabant vicinos Illyrici populos, ut duce Lecho commigrantes eò, & finitimas gentes uniendo potentissimum regnum conderent. Lechus erat frater Zechi ejus, qui Bohemiam occupavit primus. Defuncto illo, quia filium non habebat, propinqui vocatis in societatem Regulis aliis novam Rempublicam condiderunt, quæ à duodecim Palatinis regebatur. Seculo integro duravit Aristocratia, tunc enim Cracus nobilis ex Slavia progressus cum magna Clientum manu, abrogato pluribus imperio, solus regnavit, & Cracoviam, Regum aula celebrem struxit. Ei successerunt ordine filii duo, Cracus & Lechus, nec non filia Venda, quam cum Rutgerus Gottus nobilis matrimonio sibi posceret, ac recusanti bellum inferret, prælio victum procum occidi jussit, inde ipsa in Vistulam præcipitando se desilivit, periitque. Loco restituti Palatini, & mox sponte sua Regem voventes, Lescum Gepidarum Principem solio imposuerunt, qui auxilio ibat Hunnis adversus Carolum Magnum pugnantibus, & cæsus prælio occumbebat. Ejus abnepos Popielus, animi pravi, cædibus implevit aulam, cognatos, amicos, subditos pariter falsis criminibus oneratos interfecit, demum

A.C. 550. *Cromerus, lib. 2.*

A.C. 700.

A.C. 750.

A.C. 760.

A.C. 830.

mum catervis murium impetitus, & ab eis laceratus est, quos non aqua, non flamma, non claustrorum latebræ, non auxilia ministrorum arcere poterant.
A.C. 842. Tunc successit Piastus, Cracoviensis patricius, ob virtutis opinionem electus. *Cromerus l.3. seqq.* Veræ pietatis doctrinam, abjecto Idolorum
A.C. 964. cultu, primus approbavit Micislaus Rex, inde plurimi Reges
A.C. 999. secuti. Et Boleslaus I. quidem magnam Russiæ partem occu-
A.C. 1041. pavit, deposito ad Kioviam præsidio. Casimirus acquisivit
A.C. 1295. Silesiam, hanc verò iterum amisit Uladislaus Locticus, & Principes illi ad Bohemos transeundo, Sarmatiæ vires non minimum afflixerunt. *Cureus l. historia Silesiaca.*

A.C. 1370. II. Regum hujus familiæ ultimus erat Ludovicus, qui insimul Hungariam regebat. *Cromerus lib. 13.* Moriebatur relictis filiabus, Maria, quam ducebat Sigismundus Un-
A.C. 1382. gariæ Rex, & Hedvige sponsa Jagellonis in Lithuania, Samogithia & Russiæ partibus Ducis Magni. Ambiebat illam Wilhelmus Austriacus, sed proceres de incremento Regni solliciti præferebant Jagellonem, aderatque ille & sacro lavacro tinctus, profana sacra dimittebat, Rex coronabatur, sponsa potiebatur, Uladislaus II. dictus. *Cromerus l. 4. Casp Schutze in Historia Prussica lib. 2.* Ei paulo post Vitoldus patruelis, quem Lithuaniæ præfectura, ne insolentis animi virum extolleret nimis, dejecerat, movebat bellum, sociorum Cruciatorum in Bohemia auxiliis confisus. Rex tamen operam dabat, ut pace finirentur lites, *Cromerus lib. 1.* Vitoldus restituebatur loco, & Cruciatis hac vice amplissima occasio ad evastandas regiones vicinas erepta est. Donec Regina mortua Rex belli artes deponere visus, animum adjiceret condendis monasteriis & Scholis, tunc enim Cruciati abusi pio Regis ocio, bellum ei obtrudere gestiebant, Samogithiam armis suis olim domitam per nuncios cupientes restitui, interim subsidia per Bohemiam & Hungariam conquirebant. Rex pro Samogithia retinenda copias *Cromerus lib. 16.* apparabat, & Borussiam ingressus ad Mariæburgum castra locabat. Orto prælio Vi- A.C.
toldus cum Lithuanis & Ros- 1410.
sis aciem primam ducebat, hanc Cruciati multò minore manu alacriter invadebant, & post duarum horarum pugnam fugabant, prosecuti fugitivos laxatis ordinibus, à recentibus Polonorum turmis excipiuntur, ac telis confertim missis obruuntur. *Caspar Schutze lib. histor. Pruss.* Viginti millia virorum ex utraque parte occubuerunt, inter quos Ulricus Magister Ordinis victoria adhuc dubia saucius credebatur pugnæ à com-

militonibus suis desertæ causa fuisse. Rex maximum agrorum partem adimebat victus, reddebat vero, cum audiret, ingentes per vicina regna delectus cogi in gratiam Cruciatorum. Sigismundus Cæsar pacis leges dicebat, ut Cruciatis redderetur Borussia, quam à Barbaris sanguine suo vindicaverant, ut Regi solverent certam auri summam, ut Samogithiæ renunciarent, ut captivi dimitterentur.

Cromerus l. 17. 18 19. 20.

III. Rex consensit, ut majoris belli molem declinando, litibus domesticis componendis sufficeret. Vitoldus poscebat, ut Lithuaniæ Dux crearetur, multorum procerum studio elatus, sed inopina morte finiebat. Et Rex ipse defunctus successorem habebat filium suum Vladislaum III. qui ipse etiam Hungariæ rebus præerat, ubi Ladislaus posthumus in ætate maxime tenera non poterat Barbarorum progressibus obsistere, proceresque intestino dissensu laborabant. Cæsus prælio ad Varnam, fratri suo Casimiro permisit regnum, industriæ expertæ ac in rebus gerendis felicissimo. Borussiæ civitates meliores, Dantiscum & Thorunium nolebant ultra parere Cruciatis, fastu turgidis & nimiæ licentiæ studiosis, quamobrem in aula Cæsaris Friderici III. impetrabant, ut liceret eis ad Polonos transire, quorum Legatus Johannes Konigspolcius nomine Regis subjectionis fidem ab eis exigebat, his legibus imprimis, ut pars regni essent, ut liberum ad honores aditum haberent, ut jure suô uterentur in componendis litibus, ut immunes à teloniis portoriisque essent, ut præfecto indigenæ parerent. Cruciati vero ad arma conversi, Germanorum & Bohemorum legiones plurimas evocabant, prælioque ad Konizium vicum acto, cædebant Polonos, vix Rege per fugam elapso. Qui tamen confestim novos exercitus cogendo obsidebat Mariæburgum, corruptisq; auro præsidiariis occupabat, inde repetitis conflictibus sensim robur hostilium legionum diminuebat, pacis leges scribebat istas, ut meliorem Borussiæ partem & Pomeraniam ulteriorem Rex obtineret, minorem Cruciati possiderent, eorumque Magister sub fide Regis esset Princeps & Senator Regni.

A.C. 1434.

Cromerus l. 21. 21.

A.C. 1444.

Cromerus l. 23. 24 25. 26 Caspar Schutze l 4. & 5. histor Pruss.

IV. Res peracta est in Comitiis Thorunienfibus. Regis filios tres, Vladislaum, Casimirum & Johannem Albertum, vicini populi ad Regios honores evehebant, illum Bohemi cupiebant, hos evocabant Hungari. Scilicet Georgius Podibrachius à Romano Pontifice Pio II. hæreseos crimine notatus & solio

Cromerus l. 27. 28. 29. Caspar Schutze l. 6. 7. 8. 9. hist. Pruss.

ſolio dejectus, procerum multorum odio premebatur, adverſus quos ille non tam belli periculo ſa via, quàm conſilio agendum ſibi eſſe ratus, Vladislaum generum petebat, filiam ſuam Ludemillam ei conjugem offerendo, coronam vero poſt obitum ſuum deferendo. Princeps nectebat moras, eò quod longas ſuperſtite hactenus Podibracchio ſpes altius animo reputabat: Bohemi vero evocabant Matthiam Hungarum, qui illico ducebat in Moraviam, & Podibracchium à militibus imparatum facile cogebat ad pacis leges ſubeúdas ademptâ illi Moravia. Obiit deinceps Podibracchius, & ſucceſſit Vladislaus, quod Matthiæ admodum diſplicuit & vero Poloni, ut æmulo potenti negocium faceſſerent, exercitum ſub ductu Stephani Walachiæ Palatini in Ungariam mittebant, ac procerum factione obtenta Caſimirum gentis ejus Regem proclamabant, Matthiam abdicabant. Sed victus prælio Caſimirus & fugatus, prædatorias hoſtium legiones ſecum in Poloniam attrahebat, non ſine damno regionis. Bohemi prope VVratislaviã ſtabant in caſtris, ubi poſt exactũ cõflictum dubium, cõveniebant in pacis leges iſtas, ut Moraviã poſſideret Matthias dũ viveret, Bohemiæ renunciaret Eo defuncto novæ lites exſtiterunt. Johañes Albertus à devictis in Podolia Tattaris celebre nomen promeruerat, & cupiebant Ungariæ proceres multi, ut Matthiæ ſuccedere vellet, alii præferebant fratrem ejus Vladislaum Bohemiæ compotẽ. Bello dirempta eſt controverſia, victus prælio Johannes pacẽ fratri offerebat, & ab eo quasdam in Sileſia urbes dono accipiebat. Ne pater his filiorum ſuorum digladiationibus propius immiſceretur, obſtitit Severiẽſiũ defectio ad Moſcoviæ Ducẽ magnũ, quodq; lẽta febri preſſ9, extra fines Regni copias ſuas producere nõ poſſet.

V. Johañes Albertus patri ſuccedebat, Princeps ingentis animi, ſed fere ſemper infelix. *A.C. 1492.*

Tattari prædonũ more in Podoliã reverſi cædebant milites ad cõfinia excubantes, & prædis onuſti domũ ſuam repetebant.

Cromerus l. 30 Caſpar Schutzel. 9. hiſt. Pruſſ.

Compertũ eſt, impulſu Turcorũ irrupiſſe latrones, itaq; Rex bellum in ipſã Turciam translaturus, via nota incedendo per VValachiam, Stephanum gentis Principem, fiducia ſibi obſtrictum compellabat de publico commeatu. Perfidus ille annuebat verbis, & Polonos incompoſito agmine velut inter nostos media VValachia vadentes, apud urbem Albipolim per inſidias obruebat, ad ſatietatem cædebat, impedimentis exuebat, viginti mille virorum ſtrage edita.

Cureus part 1. hiſt. Sileſ.

Inſequutus etiam fugientes Tattaris in ſocietatem

aſ-

assumptis, ferro flammisque Poloniam vastabat, innumerosque homines ad captivitatem rapiebat, unde Rex mœrore affectus in gravem morbum incidit eoque decessit. Frater ejus Alexander cum Turcis pacem fecit, à Tattaris inducias ultro oblatas accepit, postquam illi Zavolhensium irruptionibus vexabantur. Moscovitæ cingebant Smolenscum, adveniebat Rex & in fugam agebat eos, brevi pugna defunctus. Stephanus Walachiæ Princeps iterum carpebat latrociniis vicinos agros, plura molientem impediebat mors, ejus filius Bogdanus patris causam armis tuiturus, vincebatur prælio ad Oczokoviam, multasque arces in ripa Tyræ cedebat victoribus. Nec tamen pacis leges dici sibi passus est, quoniam novæ spes à Lithuanis affulgebant, ubi Michael Glinski è nobilitate Ruthenica ortus, vir manu strenuus, sed ambitiosus, Regis gratia abusus qua pollebat, proceribus reliquis infensus, res novas moliebatur. Nec tamen hac vice palam ausus, verebatur præsentiam Regis, & quod Tattarorum copię in Voliniam egressæ provincialium vires à se dividerent. Glinscius contra hostes profectus, non infeliciter pugnavit, cæsis viginti millibus, reliquis in fugam actis. Qui victoriæ nuncium ad Regem ferebant, hi eum fato proximum repererunt.

A.C. 1501.
Cromerus l.d.
Cureus part. 2. hist Siles.

VI. Successit frater ejus Sigismundus I. Bello dubius cum Rossis & Moscis improspere decertavit, fraudibus Glinskii seductus Is enim pristino Alexandri Regis favore, & rebus adversus hostes feliciter gestis audacia provectus, Lithuaniæ Principatum animo agitabat, cumq; se proditum esse advertebat, profugiebat in Moscoviam. Gratus erat adventus ejus Johanni VVasilio Duci magno, à quo inter Barones Imperii relatus & magno exercitui præfectus, dimittebatur in Lithuaniam. Occurrebat ei Palatinus Lublinensis Firleus cum aliis equestribus, sequebatur Rex cum gravis armaturæ legionibus, præsentia sua cohibiturus rebellium consilia. Venienti illi omnes Lithuani sese adjungebant, Mosci aperto prælio non ausi decertare, pedem referebant, & inducias paciscebantur, non repugnãtibus multum Polonis, quandoquidem Bogdanus cum VValachorum turmis in Podoliam irruendo, urendo & cædendo vastabat omnia, abeunté cum spoliis persequebatur Palatinus Camineckius, & deprehésum intra silvas concidebat prorsus, vitæ gratia nemini facta, ut cives suos ulcisceretur, in quos illi immane sævierunt. Rex cum victis pacem inibat, his legibus dictis, ut sacram supellectilem è templis ab-

A.C. 1507.
Cromerus l.d. ov. l. 6 Elogiorum num 29.
Iov. l. 13. histor.

ablatam redderent, ut captivos dimitterent. Pari successu ad Visnoveciā congressus Ostrorogius Lithuaniæ præfectus, Tattarorum copias profligabat. Dum hæc talia gerebantur, Mosci violata pace expeditionem parabant in Lithuaniam, Glinscius expugnabat Smolenscum, corruptis auro militibus, ut munitissimam urbem proderent. Sic potitus ista, quam tot bellis fatigaverat, Lithuaniæ arce, serius accurrentes Polonos conflictu quoque lacessebat ad ripas Orsæ, vincebant hi, sed victoria non satis usi dimisso Smolensco, quod à recenti victoria faciles recuperare poterant, concedebant in hiberna, pacemque ad quinquennium prorogabant. Hæc quanquam præclara multiplicis victoriæ trophæa Regis gloriam in immensum evehe ent, id tamen plurimum ad salutem Regni profuit, quod constantissima fide pacis & amicitiæ fœdera cum Turcorum Sultanis coluerit, quanquam eum Itali & Hungari specie pietatis & novi decoris proposita, ut secum consentiret, atque arma sumeret, vehementer incitarent. Prævidebat enim Rex senex unico innixus filio admodum puero, ideoque in capiendis gravioribus consiliis nunquam præceps, recasura in ipsum velut periculo proximum, arma Sultanorum, quibus nisi maximis copiis resisti non posset.

Sabellicus lib. 3 supplement.

VII. Cruciatis præerat Albertus Brandenburgicus Ordinis magister, eumque Rex vocabat Cracoviam, ubi juramentum fidelitatis præstaret, recusabat verò Albertus, defectionem meditatus, quamobrem Imperatoris Germaniæ opem studiosè rogabat. Sed prælio victus à Firleo, pacis apud Regem petendę spem faciebat, interim auxiliares Danorum copiæ aderant, quibus instructus bellum renovabat. Denuò cæsus in conflictu ad Elbingam, quatuor annorum inducias sanciebat. Elapsis iis, Albertus desertus ab Imperatore, qui Borussiam Germanorum armis opibusque subactam penes Imperium conservare debuerat, ad pacem perductus invitus, has leges à Rege accipiebat, ut abolito sacræ militiæ ordine, Albertus Principis titulo hæreditario ad posteros suos usus, Borussiam Orientalem possideret, ut Regi obsequium juraret, à quo acciperet privilegia, libertates, jura, consuetudines, patrocinium. Hoc modo excisa est illa bellorum materies, quibus à primo ferè Cruciatorum in Borussiam adventu, Polonia vario eventu conflictata, ac sæpenumerò immaniter concussa fuit. Patrem excepit filius Sigismundus II. cognomine Augustus, qui pro conservanda Livonia adversus Johannem Wasilovitium Moscoviæ Ducem bella gessit. Occupaverat ille Narvam, Dorpatum,

Caspar Schutze Lib. 10 & 11. histor. Pruss.

A.C. 1548.

Felinum, prælioque superatum Ordinis Magistrum Furstenbergium in captivitatem abduxerat. *Orichovius, Russovius.* Surrogatus ei Gothardus Ketlerus, tantam belli molem viribus suis propulsurus esse nequaquam credebatur, adeoque civium consilio adactus implorabat Poloniæ Regis auxilia, qui tamen denegare velle ista videbatur, nisi se suaque omnia Poloniæ addicerent, fidemque jurarent. Livoni malebant subjectionis leges à Rege mitissimo accipere, quam victoriæ jure in Barbarorum potestatem concedere, Gothardus solenniter magisterio ordinis sese abdicabat, arcemque Rigensem, in qua hæc agebantur, atque ipsam etiam urbem Nicolao Radzevillio Palatino Vilnensi, qui Regis nomine aderat, tradebat, ipse vicissim Curlandiæ & Semigalliæ Dux proclamabatur, Regis vasallus. Barbaris indictum est bellum, qui in Lithuaniam progressi, velitatione equidem improspera ad Nevelam cæsi, via diversa effugerunt, & Polociam urbem amplissimam crebris tormentorum ictibus expugnaverunt, serò nimis exercitum adducentibus Radzivillio & Kotvvissio, cæsi tamen Barbari valido prælio excesserunt castris.

A.C. 1574. Thuanus l. 58 59. 60. 61. 62. & seqq. VIII. Defunctus reliquit filiam Annam, quam negligebant Poloni, & Regem sibi è Gallia accersebant Henricum Valesium. Paucis ille mensibus in Polonia ad-fuerat, cum audiret Carolum IX. fratrem suum Galliæ Regem obiisse, adeoque ille fratris sui hæres unicus clanculum profugiebat mutato habitu & per Austriam velocibus equis devectus in Italiam, porrò Galliam petebat, regnumque illud inibat. Poloni missis nunciis conabantur persuadere ei, ut reverteretur, sed non impetrabant, itaque procerum alii Stephanum Batori Daciæ Principem, alii Maximilianum Cæsarem eligebant Regem. Et hic quidem ob causas justas recusabat, filium verò Ernestum loco suo offerebat, maritum futurum Annæ. Dum cunctabatur, neque satis placerent ei leges Regni, in quo proceres suprà Regum potestatem votorum suffragio efferri consueverunt, prior aderat Bator, & in uxorem ducta Anna *A.C. 1576.* Jagellonica obtinebat Regnum, quod non sine magna fortitudinis laude administravit. VVasilovissius magnæ Livoniæ parti incubando vastabat omnia, tracto in partes suas Magno Holsatiæ Duce, Regis Daniæ Christiani III. filio, Osiliæ Episcopo, eique *Russovius Heidensteinius.* promittendo, quod vellet eum Livonis Regem fiduciarium imponere. Non servavit, intromissus enim plurimis locis, vicos & urbes incolis spoliabat, opes diripiebat, solitudinem ubique faciebat, Polonos ac Svedos intercedere ausos superbis responsis eludebat,

ipsum Magnum ex insidiis decipere captivumque in Moscoviam abducere volebat, sed is Osilians Daniæ Regi vendebat, cæteras dicionis suæ urbes cum metropoli Wendena Polonis tradebat, obsequio insimul præstito. Zamoscius per Livoniam restituebat cuncta, ejectis hostium præsidiis, Rex alia via pergebat in Russiam, expugnabat Velisam, Veliculam, Zavolociam, recuperabat Polociam, cingebat Plescoviam multisque victoriis potitus compellebat Moscum, ut pacem rogaret ac Livoniæ renunciaret. Johannes Svediæ Rex adversus communem hostem non minus præclarè egerat, pro liberanda Esthonia, vocatus in auxilium à Revaliæ civibus. Bator per nuncios suos repetebat eam partem Livoniæ, alterius labore per ocium fruiturus, indignante admodum Johanne, quandò armis suis decertando contrà hostes, secundum jus gentium victoriæ præmia sibi retineret, permittendo alteri quęcunque is pari jure acquisiverat.

Thuanus lib. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. histor.

IX. Poloni rem in medio relinquebant, & Svedi armis confisi muniebant Narvam. Rex paulò post obiit febri ardenti, in ipso belli apparatu, quo Rigam urbem conabatur Latinis sacris imbuere, Princeps ad omnia magna capessenda natus, sed iracundior, unde facilis degeneravisset in immitem, nisi in eo Regno fuisset, quod non tam Regis authoritate quam Optimatum consilio regitur. Cosaccos Zaporovianos legibus certis circumscriptos, per Voliniæ & Podoliæ campos disposuit, ut Tattarorũ irruptiones prohiberent, stipendio annuo è reditibus publicis accepto, nõ malo equidem consilio, nisi in progressu temporũ prædas ipsi ab amicis perinde atq; inimicis petere voluissent. Novum Regem electuri proceres novis factionibus scindebantur. Sborovius deposcebat Maximilianum Austriacum, verum Zamoscius & Opalinscius præferebant Sigismundũ Svediæ Principem, quod mater ejus Catharina Regis Sigismundi Augusti filia esset. Ambo contendebant diversis itineribus in Poloniam, sed procerum major pars defendebat Sigismundũ, & quamvis Maximilianus obsidebat Cracoviam, prælio inferior tamen fugiebat, mox etiam captivus factus in quadam arce Russiæ rubræ custodiebatur anno integro, donec titulo Regis abdicato, pacem condiceret, fidem interponente Pontifice Romano. Primum ei bellum fuit cum Tattaris, qui perruptis Cosaccorum stativis, in Podoliam transibant, castrisque ad Leopolim positis è Russia prædas agebant. Conflictu acto vincebat Zamoscius, Tauricanorũ Regem vulne-

A.C. 1587.

Thuanus, Piasecius.

vulnerabat, filium ejus in fuga obtruncabat, immissisque Cosaccis ultrà Borysthenis & Tyræ confinia, Tattarorum perinde & Turcorum agros depopulabatur, Moldaviæ imponebat Principem Hieronymum Mogilam, sibi socium & fidelem, capto Stephano, quem nimis amicum Turcis, & fœderis multoties violati reum, capite mulctabat. Turcos non minus quam Ungaros commovebat Polonorum successus, verum quod illos Asiaticæ turbæ distinerent, hos Turcorum irruptiones in Styriam premerent, Polonis hac vice licebat victoria sua impunè frui.

X. Aliter cum Svedis eveniebat, à quibus rejectus omninò Rex, postquam novas consvetudines injungendo videretur Papæ sacra restituere velle. Ejus loco patruus Carolus occupabat solium, & bellum hinc exititit diuturnum, quod Carolus gerebat fortius quam felicius, magno prælio victus ad Rigam, potuissentq; Poloni victoria sua melius uti, sed cum eodem tempore armis vexarent Rossos, lautius expeditionis amplissimæ præmium secuti, Moscoviam totam expilabant, & Smolensc um octodecim mensibus obsessum capiebant. Tandem Moscis pacem dabant ad paupertatem redactis, & quoniam Zaporoviani in Ponto Euxino studiosè rapinas exercebant, tum quoque Moldaviæ Princeps Gratianus defectionem à Turcis conaretur, Sultanus Osmanes novum bellum indicebat eis. Zolkovissus duplici pugna ad ripas Tyræ congressus ità rem gessit, ut priori victor quidem, sed posteriori victus & occisus, non posset auxilia præstare Gratiano, hunc verò Turci gladio percutiebant, successore dato Stephano Thoma. Vladislaus Regis filius adjunctis sibi Kottovisso & Lubomirsio copias restaurabat, positisque ad Chozimum castris, ripam Tyræ custodiebat, conflictibus nunc victus, nunc victor. Turcos procellæ & hyemis rigor affligebat, Polonos cruentæ velitationes atterebant, magnis cladibus victoriam acquirendo, in ambobus castris fames & pestis millia multa perdebant, & pacem suadebāt, quæ Stephani Principis interventu facta est secundum leges istas, ut Moldaviæ feudo renunciarēt Poloni, ut Princeps Moldaviæ esset indigena, ut liberi Ukrainæ campi Turcis, Tattaris Polonis concederentur perinde ad pabula & pastum, neuter arces ibi conderet vel præsidia deponeret.

Koberzyk.

XI. Interim moriebatur Carolus, & succedebat ei filius Gustavus Adolphus, qui per Livoniam & Borussiam victor multas urbes occupabat. Induciis pactis, ad Germaniam civili bello miserè pressam abibat, felici auspicio; Polonos verò domesticus miles incom-

Ioach. Pastorius. incommodis afficiebat. Cosacci importunius flagitabant stipendia, quæ non poterant solvere Poloni, tot annorum bellis exhausti, adeoque veriti majores turbas, exercitum in campis Nisoviis deponebant sub imperio Konigspolsii. Quod Cosaccis bilem movebat, nec enim hi peregrinos milites in territorio suo admittere volebant, factoque impetu milites illos omnes occidebant, bonis direptis, mox cum perciperent nuncio, Konigspolsium advenire cum legionibus Borussicis, ducem Tarasium creabant, & correptis armis castra locabant ad Perislaviam, secessionem comminati, pacem verò accipiebant, stipendiorum parte aliqua soluta & peregrinis abductis.

A.C. 1632. XII. Successit ei filius Vladislaus, qui Rossis petentibus nolebat reddere Smolenscum. Ducebat Borisius centum mille viros, Polociam & Smolenscum obsidebat, Konigspolsii turmas profligabat. Sed Rex cum toto exercitu aderat, & hostem in castris conclusum eminus detinebat, ut illi post leviora prælia improsperè commissa, fame domiti, pacisc rentur abitum, arma & impedimenta omnia victoribus traderent, Cosacci persecuti eos Vologdam castellum expugnabant, ubi Ducis Magni thesauros abstulerunt. Pax data est Rossis, ut Smolensco renunciarent & Severiam ducentis annis possessam Lithuaniæ restituerent. Hostibus devictis Cosacci potentissimis ad Boristhenem stativis habitantes, vicinos in Polonia magnatum agros diripiendo, initium fecerunt rebellionis ejus, quæ annis secutis ad maturitatem perducta, Roxalanos pro libero sacrorum usu ad professionis Græcæ normam decertantes implicuit, ac nobilissimum Regnum procellæ instar devastavit. Ducem habebant Pauluccium, cumque eo in Podoliam egressi evertebant castellum Hudakum, ubi Poloni habitabant juridici, & porrò decertabant adversus Potockium Caminecıæ Palatinū, sed victi prælio, & Paulucio in fuga comprehenso, liberare eum volebant restaurando pugnam, cumque fidem daret Konigspolsius, obsidem futurum potius, quam captivum, & pacis leges haut spernendas proponeret, relinquebant eum in manibus Polonorum. In comitiis productus, non ut obses, verum uti ductor rebellium, afficiebatur supplicio, quamobrem indignati Cosacci de violato jure gentium conquerebantur, & Demetrio Tinissevisso duce usi repetitis excursionibus Poloniam lacerabant, nullas conditiones pacis accepturi.

XIII. Non multò post obiit Rex, & successit ei frater Johannes Casimirus, quem ante paucos annos è Societate Lojolæ assum- A.C. 1648.

ptum Papa Cardinalem fecerat. Cosacci duos uni Duci surrogando, Krivonossium & Chmilnissium, hunc etiam ad comitia velut Internuncium ablegando, postulabant, ut stipendia exactè solverentur, ut perfecta libertas eis confirmaretur, ut præsidia ad Boristhenis ripas collocata avocarentur, ut sacra vetera promitterentur. Rejecti verò, cum Roxalanis & Tattaris arma sociabant, Podoliam & Lithuaniam immensis agminibus inundabant, Leopolim occupabant, Samoscium obsidebant, exercitus, quos Lanskoronius regebat, profligabant, nobiles quocunq; loco deprehensos occidebant. Rex stabat cū maximis copiis ad Sborovium castrū, ejus stativa eminus circumsidebāt hostes, potuissentq; omnes Polonos annonæ penuria laborantes delere, sed Tattarorum Sultanus Islamus Girejus, amicitiæ cum Polonis cultæ ab ipso Rege commonefactus, & quod gratiam suam offerret Cosaccis, in pacem consensit. Leges præscriptæ & Regis authoritate confirmatæ sunt, ut Archi-Episcopus Kioviensis in comitiis Regni haberet suffragiū, ut ritus Græcanici in sacris observarentur, ut Judæi è Roxalania depellantur, ut quadragintà mille Saporovienses in Regis & Regni militiam assumantur data viritim pensione annua, ut peregrini milites agris Saporovianis abstineant, ut Palatinus Camineccius summam rei administret, minoresque præfecti è Cosaccis & Roxalanis designentur.

Brachelius lib. 7.

XIV. Sed pax diuturna haud erat. Tattari progressi in Walachiam, gentis ejus Principem Basilium miserè vexabant, qui à Polonis opem rogabat, hi Cosaccos jubebant, ut more solito ducerent in hostes. Quod illi recusabant, obtendendo, militare se velle adversus hostes Regni, & verò VValachos esse peregrinos. Aderant ergò copiæ Polonorum sub ducibus Firleo, Lanskoronio, Radzevillo, ut VValachiam defenderent, his transitum negabant Cosacci, & propterea hostes declarati sunt. Chmilnissius exibat in Poloniam, & cum Firleo dubiam pugnam conserebat, Kioviam expugnabat Radzevillus, quod tamen Cosacci non admodum curabant, sed Chminissio autore secessionem moliebantur, cumque Turcis & Rossis Polonorum æternis hostibus fœdera inibant, Basilium VValachiæ Principem amicitiæ cum Polonis observatæ damnatū invadebant, filiam ejus Mariam Timotheo Chmilnissii filio spolii instar donatam, matrimonio jungebant. Poloni copias sexagintà millium virorum colligebant, inque Podoliam delati sub Potockio & Lanskoronio ducibus Vinniciam expugnabant, cæsis incolis omnib. porrò in Voliniam abibāt, ubi

Brachelius lib. 9.

ubi ad Constantinoviam positis castris Chmilnissius stabat. Valido prælio certatum est, & Cosacci quidem in fugã acti sunt, verũ Poloni catervatim occisi haut lętã Regi fecerunt victoriã, adeoq; domum regressi ad resarciendas legiones, spacium dederunt Cosaccis, ut novo ad Kioviam delectu habito, centum milliũ agmen in Walachiam raperent, qua rapinis exhausta ad Boristhenis ripas iter relegendo conversi decem mille Germanos mercenarios profligabant, Poloniam minorem expilabant, Razieffskium Regni Procancellarium & partem Lithuanorum, qui dudũ Regi infensi oppressum eum cupiebant, partibus suis adjungebant.

A.C. 1654. XV. Moscoviæ Princeps magnus Alexius Michalovissus veteres offensas ulturus, dũ Poloni cũ Tattaris & Cosaccis litigabant, atq; clad s omnes Regis temeritati imputabant, ipse in Lithuaniam expediebat, & Smolenscum tot bellorum pręmiũ dubiũ obsidione longinqua victũ occupabat, Severiæ & Polociæ Ducatus recuperabat, & Mohilovia potitus, tota Lithuania victoriam propagabat, Vilnamq; subjectis ignibus, cæsis vel pulsis incolis, in favillas redigebat, mox quoque

A.C. 1655. Lublinum capiebat. Svedi pertæsi cunctationis ejus, quam de pace perpetua tot annis optata, & legibus æquissimis componenda, Poloni hactenus injecerant, insuper damnis multiplicibus, cum in Germania bellum gererent, affecti, traductis in Poloniam copiis, viam monstrante Razefskio, celebres totius Regni urbes una velut indagine capiebant, Posnaniam, Warsaviã, Cracoviam, inde Borussiam & Cassubiam perdomuerunt, Dantisco excepto, cujus incolæ hostilia porro moliebantur, incenso suburbio & necessariis defensioni, paratis. Rex ad fines Silesiæ profugus & provincialium viribus mulctatus, Oppeliæ degebat. Sed postquam audiverat, provinciales milites iisque permistos nobiles plurimos fidem Regi Svediæ datam non servasse, contrà verò excursionibus per Samogithiam & Poloniam frequenter actis multas Suedorum legiones aut fugavisse aut obtrivisse, meliora sperabat deinceps. Et non obstante quod in tantis rerum motibus hinc Cosacci illinc Svedi, & qui fœderatus eis erat, Brandenburgicus Elector, ingruerent, VValachorum, Ungarorum, Tattarorũ sexaginta millia, ducibus Sapiiha & Czarnessio educebat, inq; Masoviam regressus, capiebat VVarsaviam, ubi validum quidẽ præsidium impositũ erat, verum quia in urbe non satis permunita immensis hostium agminibus resistendo pares nõ erant, Vistulæq;

restagnantis aquæ Svedorum auxiliares cohortes prohibebant, urbs dedebatur, lege expressim dicta, ut præsidium opibus salvis excederet. Tantus erat furor Polonorum, ut non servarent, gregarii milites incolumes equidem abierunt, proceres captivi deportabantur Zamoscium, ubi in vinculis nonnulli obierunt, Wittenbergerus ductor supremus exercitus, & Alexander Ereskinus militiæ Præses nobilissimus, virtutis magnæ & Patronus noster incomparabilis, qui si à majoribus suis, Scotiæ proceribus, Baronibus in Dun, splendorem non accepisset, splendorem poterat propria virtute mereri. Tattari & Ungari navatæ operæ præmium accipiebant Borussiam Orientalem, quam crudelissimis rapinis afflixerunt, & Radzivilium Principem captivum abduxerunt. Hunc tamen à Polonis redemptum, Svedicus exercitus Steinbockio ductore in transitu ad Memelam urbem, pro Riga liberanda iter faciens, cæsis Polonorum erronum turmis, prorsus liberavit, & vinculis denudatum Electori Brandenburgico tradidit. Moscovitæ in Livoniam perducto exercitu, cum non dispicerent, quem virium suarum terminum esse vellent, Dunæburgum, validissimum castrum, quod solum in oris illis Poloni obtinebant, nuper verò Svedi occupaverant, repetebant, & Svedos qui ad belli jus provocabant, pacis violatæ reos accusabant, porro cruentis assultib. potiti castro, cæsis præsidiariis omnibus, longius excurrebant, Parnaviam, Kokenhusam, Dorpatum superabant, Rigam cum insigni jactura exercitus deserebant, pertinaci obsidione multo tempore pressã, ad Narvã & Noteburgũ cęsi quoq; non parvam virium jacturam faciebant. Et quanquam interim Svedi cæsis magno conflictu Polonis, Rege ipso in fugam acto, vicinia longe lateque devastata, VVarsaviam recuperaverant, ne tamen plura agerent, Moscorum irruptio vetabat, tum quod Daniæ Rex novi belli molem adversus eosdem commovendo, Scaniam turbabat, Bremenses agros vastabat. Ita illi evocato Rakosio Daciæ Principe, ut Cosaccis fœderatus (quando ei spem de Regno acquirendo fecerant) Poloniam minorem armis domaret, de abitu in Holsatiam cogitabant, & Cracoviæ præsidium imponebant. Hanc quinque mensibus obsidebat Lubomirsius, depulsus à Rakosio, qui porro cum Suediæ Rege ad Vistulam sociabat copias, ut Polonos in propinquo stantes aperto conflictu invaderent. Sed fugiebant illi in Lithuaniam, Svedis pone sequentibus dedebant Breskiam castellum, & ab his accipiebat Rakosius, postquam Daniæ propiores futuri contenderent in Hol-

A.C. 1656.

Holsatiam. Deinceps Rakosius paucis mensibus in Polonia substitit, Cosaccis imperium ejus aspernantibus, & ipse per Cæsaris nuncium in aula Turcica seriò accusatus, ad mandatum Sultani excedebat, domumque reversus periculoso bello à Turcis obruebatur, Dacia spoliatus & velitatione ad Varadinum cæsus. Poloni in tanto hostium numero ad Austriacos conversi, Ferdinando Imperatori coronam tradebant, ea lege, ut opem submitteret ac Rege defuncto succederet. Ducebant ejus jussu Hazfeldius & Montecuculus cum duodecim mille viris ad Cracoviam, deditionem faciebant Svedi. Czarnessius cum magna turmalium suorum manu invadebat Pomeraniam, ferro ac flammis permiscendo omnia. Gonsefskius legiones suas è Samogithia & Lithuania conscriptas admovebat urbi Rigæ, certus deditionis quandò Svedi Danico bello occupati procul à ferendis auxiliis aberant. Electo Brandenburgicus deficiebat à Svedis, & Cosacci reconciliabantur Regi, amplissimis conditionibus, ut solius Regis subditi essent, votum & suffragium in comitiis haberent,
A.C. Ducem ipsi legerent. Svedi verò
1660. etiam pacem fecerunt, redditis Borussiæ urbibus, quas adhuc obtinebant, & Livonia perfecto jure ad se traducta.

XVI. Poloni in turbis illis non tantum de conservando Regno, verum etiam de Rege novo eligendo consultabant, quandò familiam Regiam in Regis hujus conjugio sterili deficere posse credebant. Contrà Lithuani & horum proceres Sviderscius, Visnovessius, Gonsefskius, nec non bellorum civilium desultor Razicfskius, uno Rege, dum viveret ille, contentos se fore dicebant, cœterum quocunque modo pacem inire cum Moscis & stipendia dissolvere militibus jubebant. Moscus istorum gnarus per nuncios suos unam pacis legem dicebat, ut sibi Lithuania traderetur: Cheremissi Regulus filium suum offerebat Polonis, ut eum Regem futurum designarent: Austriaci de Cæsaris Germaniæ aliquo jure monebant, recentium pactorum fiduciâ: & verò Ludovica Regina Condeum juniorem Principem, civem suum Gallia profugum, successorem optabat, ac postremo huic Rex favere credebatur. Tattarus nobili facto Polonorum gratiam in sese conversurus, ingentibus copiis obsidebat Astracanam. Eò Moscus properabat, ut maturè subveniret, verum urbe spoliata regrediebantur Tattari, & pari successu usus Czarnessius vincebat prælio Czçrmentium Lithuaniæ Rectorem, cæsis aut fugatis triginta mill bus, captivis totidem factis, quos vili precio redemptos deportabant secum

Tattari, urbes splendidæ Vilna, A.C. Kaunia, Keidania Polonis reddebantur. 1662. Mox Lithuani rebelles etiam confugiebant ad Regis gratiam, persoluto septingentorum millium aureorum stipendio. Austriaci profecti in Hungariam occurrebant Turcis ad Neuheuselam. Erat optata illa Regis fortuna, de futuro successore eligendo lege indicebatur silentium perpetuum.

CAPUT II.

De rebus gestis Magnorum Principum Russiæ.

P. Iovius, P. Petreius, A. Olearius.

I. ROssi gens barbara & crudelis, non illo quidem nomine, sed Scythæ vocantur in veterũ libris. Bella adversus Romanos plurima gesserunt, & Decium Imperatorem occiderunt quidem prælio, sed victi ab Æmyliano domum redierunt. Viribus refectis Gallienum afflixerunt, & verò multiplicibus pugnis superati à Flavio Claudio, Aureliano, Probo, Constantino Magno, Gratiano, finibus suis longius egredi non potuerunt. Donec in expeditione illa sævissima cum Attila Hunnorum Rege profecti Germaniam & Galliam misere devastarent, post quod tempus Europa abstinebant, & Græciæ Imperatoribus molesti, prædonum instar, nam justo bello gerendo impares omninò erant, quia belli artes non satis rectè callebant. Ab eis tamen sacrorum cultum acceperunt, inque varias factiones divisi, Regulos plurimos elegerunt. Eorum unus Spendostablus in Bulgariam A.C. promotis copiis Johannem Ze- 972. miscem Cæsarem funestis conflictibus exercuit. Filius ejus Vlodomirus sacris melioribus imbutus è Græcorum præscriptis, Basilii A.C. nomen in lavacro sacro accepit, 998. & Basilii Cæsaris sororem matrimonio duxit. Tattarorum impetu Bato duce, superati, libertatem amiserunt, & in Taurica Cherso- A.C. neso Imperii sede locata, vectigales 1257. horum duobus ferè seculis fuerunt, Gottis in regione illa prorsus excisis. Postquam verò in Asia ceperant à Turcis opprimi, clade in Europam attracta non levem potentiæ suæ jacturam faciebant. Jaroslaus Princeps deligebat ur- A.C. bem Moscuam, ubi habitaret, 1360. eodem ferè tempore, cum Mandavus Lithuaniæ principatum condebat, plurimosque Russiæ albæ agros sibi attribuebat in veterum Gepidarum sede, qui multis seculis ante cum Attila militaverant. Et Jaroslaus quidem cum successoribus suis Magni Principis titulum adhibebat, Tattarorum fiduciarius, sed cum progressu temporis imperium adversus vicinos Russiæ populos augẽdo, ipsi quoq; census,

censūs, vectigalia, obsequium
imponerent aliis, Tattarorum
jugo absolvere sese cupiebant.
II. Primus Demetrius, cum
A.C. Siberiæ populos domuisset, ar-
1400. mis invadebat Tattaros, & victor
quamvis, in acie tamen peremptus,
ptus, non poterat stabilire liber-
tatem, maximis hostium exerci-
tibus oppressus. Ejus filius Basi-
A.C. lius comitate magis, quàm ar-
1437. mis, pacavit Tattaros, ne Russiæ
afflictæ nimis insultarent. Hujus
A.C. filius Johannes discordiam vici-
1480. norum Principum astutè fovendo
primum, inde redactos in ordi-
nem vita opibusque spoliavit, im
periique sui limites cum Svedia,
Polonia, Livonia terminando,
populos multos univit, Tattaros
maximo prælio vicit, Severiam
Lithuanis eripuit, Livoniam de-
vastavit. Tandem Cruciati sub
ductu VValtheri Plettenbergii
congressi adversus eum in agro
Polocensi, fugatum tanta clade
perculerunt, ut quinquagintà an-
A.C. norum inducias rogaret. Succes-
1492. sit ei filius Gabriel Basilius, qui
Danorum socius, tunc cum Jo-
hannes Rex horum civiles turbas
Suedorum adversus Stenonem
Stureum gentis ejus Principem
fovebat, Finnoniam invadendo
VViburgum obsidebat. Fugatus
inde recedebat Narvam, & Sue-
dorum copiæ per Ingriam actis
prædis expugnabant Ivanogoro-
dam castellum, Pace facta in Li-
thuaniam cum exercitu abiit, &
Plescoam civitatem maximam,
domesticis litibus afflictam, pro-
ditione sacerdotum cepit, opibus
& melioribus incolis Moscuam
abductis. Lithuaniæ majus quoque
damnum intulit, expugnando
Smolenscum in ripa Borysthenis,
postquam Michael Glinski inimi-
corum calumniis oppressus dese-
ruerat Polonos. Tattaros Casa- *Iovius lib. 6. Elogiorum num. 14.*
nenses & Cheremissios invasit, sed
infeliciter pugnando victoriam
reliquit eorum Regi Mahomede-
ni Girejo, qui non multò post de-
functus, locum dedit Saporegio
Præcopitarum Regis Mendligeri
filio, Russorum hosti acerrimo, &
Basilius quidem vectigalia paci-
scebatur, ut pacem haberet.
III. Post hunc regnavit filius A.C.
Johannes Vasilovissius, qui cru- 1533.
delitate sua omnes veteris novæ-
que memoriæ Tyrannos super-
gressus, bello & pace sanguina-
rius usque fuit. Tattaris vectiga- *P. Oderborn l. 1. de rebus gestis Basilidis.*
lia denegando, Casanam & A-
stracanam opulentas horum ur-
bes expugnavit, quinquies victus
acie, sexta victor Crimenses ter-
rore impletos coegit, à Selymo
II. Turcorum Sultano petere
subsidia. Obsidebant Astracanam
verum Petrus Serebrinus urbis
præfectus copiis suis ad Volgam
promotis hostem velitationibus
fractum, inde pulsum, ad Casa-
næ mœnia subsistere ausum,
prælio maximo superabat. Præ-
mium viri optimi hoc erat, ut

frustulatim concideretur Cæsaris jussu, ne gloriæ tantæ superstes, & civibus venerationi esset. Lithuaniam & Livoniam initio victor pluribus locis subjugabat, Polociam, Dorpatum, Narvam corona capiebat, incolis abactis aut concisis, quamobrem Livoni proximos Svediæ & Poloniæ Reges auxilio invocabant. Eorum felicibus armis fugatus, omnia quæ in Lithuania & Livonia, inque Balthici & Finnici sinus littoribus tenuerat, adeoque non exiguam Russiæ partem, amisit. Sic amissa insimul veteris virtutis opinione, cum exercitu, machinis bellicis, arcibus, filioque optimo Johanne (quem quod à proceribus in bellum profecturis Dux petitus erat, manu sua occidit) orbatus, suorum captivitates ac funera vidisset, domique à civibus tacitè sperneretur, & ab hostibus foris illuderetur, morbum ex ægritudine animi contraxit. Quocum non sine doloribus summis conflictatus, verminantibus denique in secessu corporis partibus exspiravit.

Oderbornius lib. 1.

Oderbornius lib. 3.

A.C. 1584.

IV. Duos reliquit filios, Theodorum & Demetrium, quibus Curatorem præfecit Borisium Fedrovissium, atque hujus sororem Irenê matrimonio ducebat Theodorus. Curator ille quia volebat Imperator esse, Demetrium in castello Ugliz per sicarios occidebat, Theodorum sedati animi Principem lento veneno inficiebat, excitisque passim turbis imperium sensim ad se pertrahebat. Ita facilè ei fuit retinere illud defuncto sine prole Theodoro. Nec malè gessit, amans justitiæ, liberalis, pacis studiosus, prudens juxtà ac severus, ut abolita Demetrii memoria, quisque ocio felici securus frueretur. Sed tamen proceres quidam infensi ei, quod ipse à Magnorum Principum sanguine maximè alienus, hæreditatem eorum crevisset tamen, clanculum apud Polonos Rossorum perpetuos hostes instabant, ut quocunque modo Borisius vexaretur. Repertum est tabulæ argumentum idoneum, scilicet Georgius Strepski Lithuanus prodigiosæ audaciæ homo, literio quidam è scholis Jesuiticis vilissimus, aut furore per artes magicas completus, aut Polonicorum exercituum fiducia dementatus, eò permovebatur, ut se Vasilovissii filium Demetrium (quem Borisius dudum vita spoliaverat) profiteretur. Non dissimilis ei ore ac vultu, ajebat coram Adamo Visnovissio Lithuaniæ Vexillifero, in cujus aulam irrepserat, se opera fida satellitis elapsum olim, vitam apud exteros toleravisse hactenus, loco suo occisum alium & sepulchro illatum. Itaque profectus Kioviam, sumptus liberaliter præbente Visnovissio, milites Cosaccos legebat. Palatinus Sandomiriensis filiam

Thuanus, Chytræus, Lundorpius.

A.C. 1597.

filiam suam Mariam G orgiam
teterrimo impostori dabat nuptũ,
A.C & verò Borisius subito novarum
1615. rerum metu perculsus anxiam a-
nimam exspirabat , proceres in
contraria studia versi, quidam Bo-
risii filium solio imponebant, alii
verò cupidè adjuvabant Strepi-
um. Hic armis civilibus turbatam
Moscoviam ingressus , confl ge-
bat ad Novogardiam, ubi Mosco-
rum copiæ stabant harumque du-
ctor Petrus Bosmannus. Vince-
bantur Cosacki, sed tamen novis
Polonorum copiis aucti redibant
in expeditionem, victus quocun-
que modo Bosmanus ad hostes
transibat. Strepius subditorum
multorum prono favore usus, tam
solerter compositas arte fabulas
populo spectandas exhibuit ; ut
prælio uno contrà Theodorum
Borisovissium ætatis teneræ & ma-
tri obnoxium Principem victor,
Magnus Princeps inaugurareiur.
Præcipuam urbium Moscuam
plebs ipsi aperuit , trucidatis in
gratiam novi Domini, vidua Bo-
risii & filio Theodoro. Sed brevis
regni fortuna erat. Quia enim fu
turorum improvidus ad pompam
sese componebat præter gentis
austeræ morem, plurima faciebat,
unde odium publicum excibatur.
Namque Polonicam aulam vene-
rabatur: & sacra Papistica rejectis
Græcorum cerimoniis amabat: &
militem Cosaccium præferebat,
indigenis ad servilia opera detru-
sis : & Jesuitarum colluviem o-
mnibus gentibus funestam, donis
immunitatibusq; ad se pellectam
consiliorum secretis adhibebat
semper: & Sigismundo Poloniæ
Regi ob accepta benificia, præter
superba munera, in recuperando
Regno adversus Carolum tum re-
cens Regem auxilia promittebat.
Quamobrem concursu procerum
intrà palacium globis conficitur, A.C.
exusto cadavere, cineribus disper- 1606.
sis, inde armis adversus Polonos
correptis, multa millia occidun-
tur, Strepii conjunx in carcerem
ducitur, Cantoribus, Cinedisque,
& Jesuiticæ societatis multis, qua-
si in omnibus aulis volitantibus
crabronibus, passim interfectis.

V. Basilius Suscius primæ nobi-
litatis vir & conspirationis autor
concordibus procerum votis Prin
ceps gentis renunciabatur. Vix
Strepius perierat , cum denuò e-
rumpebat impostor Demetrius,
vero nomine Johannes Socolen-
sis, & passim tota Russia prodeba-
tur, non esse occisum Demetrium,
sed vivere. Poloni tantò alacrius
pergebant in oppugnandis Rossis,
quod illi falsis rumoribus distracti
in varias factiones abirent , &
Visnovissius, Sapieha, Rusnissius,
copiarum ductores viam ferro a-
periebant , Suscium in ipsa urbe
Moscua oppugnabant , castris
biennio assidendo. Princeps malo
tam vicino pressus auxilio voca-
bat Svedos, ac pro lata ope spon-

debat donare se velle Ingermaniam. Rex Carolus mittebat fortissimum Ducem Jacobum de la gardia cum duodecim mille viris, qui Polonorum turmas locis multis obruebant, Sapicham prælio vincebant, Rusnissium ab urbis obsidione depellebant. Sigismundus Poloniæ Rex ista occasione usus copias suas urbi Smolensco admovebat, eamque octodecim mensibus circumsessam expugnabat. Volebant ejus quoque castra invadere Svedi, verum Suscius tantam horum alacritatem, sibi longè utilissimam, indignis modis remunerando, nec stipendia solvebat, nec stativa commoda procurabat. Quod exitium ejus accelerabat, Svedis domum reversis. Poloni expedito agmine, Zolcovissio duce, Moscuam capiebant, Suscius dejectus solio mittebatur in Regis castra, ubi decessit morte, & prope Thorunium sepultus est. Socolensis agyrta novus Mariæ Georgiæ maritus, Regis mandato, qui filio suo Russiam acquirere volebat, desertus à Polonis, confugiebat ad Tattoros, qui prædas avidè sectati primum, deinde verò, cum propius inspiciebant artes viri, obtruncabant eum in stativis ad Colugam urbem. Russi Principem Magnum designabant Vladislaum Poloniæ Regis filium, mox verò solita levitate repudiabant, itaque Zolcovissius urbem ignibus & cædibus devastabat, Colugam tuebatur Maria Georgia pro filio suo Demetrio. Nec poterant hostes domari, in tanta procerum discordia. Qua non nimis serò composita, Principem gentilem creabant Michaelem Fedrovissium, matre Iconomasia natum, quæ Vasilovissii filia & Theodori Mikitevissii Patriarchæ uxor fuerat. Is optimo consilio pacem in votis habebat, utque ditiones suas à rebellium cœtibus purgaret, exercitu misso Polonos Georgiæ castra secutos ad Jaroslaviam profligabat, mater captiva fame enecta periit, filius ejus Demetrius suspensus est. Porrò sese ab hostib. potentissimis liberare maturabat, Polonis cedendo Severiæ & Smolensci Ducatus nobilissimos, Svedis verò pronavata opera dando Careliam & Ingermaniam. Imperavit deinceps pace longa usus, & afflictas regiones pro viribus refecit. Sed cum Ducatum Smolensci armis repetere vellet, magnam ei cladem Vladislaus Rex intulit. Samoiedas, qui sunt longo tractu Scythæ Hyperborei, ad Christi sacra convertit. Ejus filius Alexius Michalovissius hodiè rerum potitur, Princeps bellicosus, & rebus gestis adversus Lithuanos, Polonos, Svedos, felicissimus.

A.C. 1610.

A.C. 1613.

A.C. 1645.

LIBER

LIBER XIX.

Quo continentur res gestæ Siculorum & Neapolitanorum à prima gentis origine usque ad nostra tempora.

CAPUT I.

De rebus gestis Regum Siciliæ.

Th. Fazellus P. Collenutius, M. Ritius, Ch. Besoldus.

I. SIciliam Pœnis ademptam Romani occupabant. Orientis Cæsarum potestati deinceps subjecta mansit, donec Germaniæ Imperator Otto II. eam sibi acquireret unà cum provinciis assitis, Calabria & Apulia, dotis vice, ducta in matrimonium Theophania Orientis Regina nobilissima. Sed Basilius Macedo armis prolatis victor, recuperabat, inde Saracenorum perpetuis excursionibus obnoxia, vectigalia pendebat. Hos
A.C. profligabat Tancredus Norman-
1012. norum Princeps, qui hactenus Georgio Maniaci Siciliæ præfecto opem tulerat, accepto stipendio: Suis verò impensis Apuliam aggressus, quædam hostium præsidia ejiciebat, & Comes Apuliæ renunciatus decedebat. Reliquit filios duos, Ro- A.C.
bertum Viscardum & Roge- 1030.
rium Bossum, quorum ille Calabriam insuper acquirendo, & Romani populi favorem ambiendo, Ducis titulum adhibebat, Ecclesiæ pensionem annuam dabat boves duos & denarios duodecim. Siciliam cum validis copiis ingressus, Panormum & Messanam ejectis Saracenis obtinebat, eamque fratri suo Rogerio
tradebat. Hic defuncto illo, fi- A.C.
lium Rogerium I. optimis moni- 1048.
tis instruxit ut domi in pace moderaretur omnia, postquam Saraceni è Marocco armis positis vicinos omitterent. Tantum quod illos pellebat Malta Insula, & hanc Siciliæ regno adjiciebat. Ejus frater Boëmundus in Orientem profectus, sacrum bellum adjuvabat. Rogerii hujus filius erat VVilhelmus, & paulò post
mortuus Bossus Siciliam filio A.A.
suo Rogerio II. commendavit, 1101.
qui non satis amicus VVilhelmo patrueli, absente illo in aula Cæsaris Alexii Comneni, ut filiæ ejus matri-

Collenutius l. 3. *Fazellus lib. 6. Cranzius l. 4. Norvagia c. 1 seqq.*

Fazellus lib. 7. matrimonio potiretur, Calabriã
& Apuliam in fidem suam adige-
bat, excluso Papa Calixto II. quem
bonorum suorum procuratorem
Wilhelmus designaverat. Rever-
A.C. sus Wilhelmus, à sponsa repudia-
1129. tus, animi dolore obiit, ac Roge-
rius tot populorum Dominus Re-
gem sese proclamari jussit, Eccle-
siæ pensionem abrogavit, Papas
ob id conqueri ausos bello vexa-
vit, Neapolim, Beneventum, Ca-
Fazellus l.d. puam Germaniæ Imperio subtra-
xit. Et quamvis Lotharius Cæsar
ab Innocentio Papa rogatus, mi-
lite in Italiam ducto, Normannos
pelleret Apulia, constituto Ranul-
pho præfecto maritimæ oræ, non
tamen diuturna erat possessio illa,
postquam Cæsar ad Germanos
suos revertebatur, nec enim Italiæ
urbes pro defendenda Apulia pe-
cuniam ac milites largiri vole-
bant. Ranulphus armis fugatus,
Innocentius Papa etiam captivus
factus, victoriam concedebant
Rogerio, qui tunc demum Papam
dimittebat liberum, cum juratò
pacem stabilem promiserat.

II. Leges pacis erant istæ: Ut
Calabria & Apulia benificio Ec-
clesiastico liberarentur: Ut ex-
communicatio revocaretur: Ut
Rogerio titulus Regis conserva-
retur ad posteros: Ut Campani-
am retineret, non obstante, quod
illa Germanici Imperii provincia
esset. Deinceps occasione ex bello
sacro accepta, quod Emanuel
Comnenus Orientis Cæsar omni-
bus modis progressum ejus feli-
cem impedire, accusaretur fama,
correptis armis, Peloponnesum,
Traciæque littora, plurimasque
maris Ægei Insulas devastavit opi-
bus multis cumulatus. Mauros
pyratas accerrimis pugnis supera-
vit, & Tripolim Numidiæ urbem
expugnavit. Obiit semper felix, & A.C.
successorem accepit filium Guil- 1154.
helmum II. qui cum Hadriano IV.
Papa litibus gravissimis conten-
dit, utque amicum illum haberet, *Fazellus*
census annuos restituit, urbes ali- *l.d.*
quas reddidit, Mauros bello affli-
xit in Africa maritima. Post hunc
regnavit filius Wilhelmus III. qui A.C.
per Græciæ agros bellum circum- 1166.
ferendo, non levia damna intulit
Cæsari Andronico Comneno. E-
jus frater nothus Tancredus suc- A.C.
cessit procerum voluntate, quan- 1186.
do Papa Clemens III. regnum
hæredis justi defectu ad Roma-
nam Curiam devolutum esse pro-
nunciabat, sed frustrà ille sectatus
adeò opimam prędam, gravissimo
bello sese implicuit, quo victor
Tancredus Papæ consilia infregit.
Defuncto illo filius Rogerius III. A.C.
dissimili prorsus fortuna usus est. 1195.
Cœlestinus III. Papa sacro virgi-
gnum cœtu eductam Constanti-
am Wilhelmi III. Regis filiam vo-
to absolvebat, eamque perfecto
matrimonio jungebat Henrico
Friderici I. Cæsaris filio, hac lege
addita, ut armis sibi acquireret
Sici-

Siciliam utramq; censum Ecclesiæ augeret, solveretque, Tusculum patrimonio sacro adjiceret.

III. Rex Henricus adducebat copias suas, nec vero tam viribus superior, quam procerum multorum benigno erga Reginam affectu, ut veniebat ita vincebat omnia, Rogerium oculis mulctatum, in carcere misere habitum vita exuebat, hac in re crudelius egisse visus, & tunc demum procerum odiis acerbissimis agitatus, quæ ille suppliciis quotidianis ulciscebatur. Veneno peremptus à Regina, successorem accepit filium Fridericum, Germaniæ Cæsarem, maximis Paparum infensis agitatum, quibus tandem succubuit, meliori fortuna dignissimus Princeps, nisi illo seculo fuisset, quo virtus à superstitione vincebatur, consuetudine illaudabili. Pari sorte usus est filius ejus Conradus, qui Imperatoris dignitate spoliatus contendebat in Italiam, ubi Papæ suasibus morigeri nimis proceres, turbabant omnia, Neapolim obsidebat, capiebatque occisis multis, veneno potus obiit Panormi, relicto filio Conradino, quem mater Elisabetha & Sveviæ nobiles domi educatum studiose præparabant in spem Regni futuri, Manfredus patruus ejus, sed pellice genitus, præfecturam gerebat, Paparum hostis acerrimus. Ad quos in se provocandos copias Siculorum & Saracenorum conscribebat, Ecclesiæ beneficiū renunciabat, Guelfos Papæ amicos tota Italia persequebatur. Senensibus auxilio profectus ductu Farinatæ Uberti, ad flumen Arbiam magno prælio superabat Florentinos, exules restituebat, Bondelmontium Gibellinæ factionis hostem acerrimum, novo etiam conflictu in Lucensium agris habito vita opibusque spoliabat. Victoria clementer usus, Florentiam cum posset, non tamen volebat diruere, & incolas viribus mulctatos in vicos deducere. Innocentius IV. Papa cum turmis quibusdam ex Italia & Francia evocatis, Neapolim versus pergebat, urbem civium proditione deditam capiebat, quorum auxiliis instructus pugnabat ad Foggiam, & vincebatur. Papa accepto nuncio discedebat Neapoli, defunctus in itinere. Successor ejus Alexander perinde improspero eventu pugnabat, cæsus ad Nucceriam à Saracenis habitatam. Manfredus successu elatus, fidem quam studiose commendare solebat aliis, violabat ipse, procerumque animos tentando, Regiam dignitatem appetebat. Subornabat nuncios, qui cum literis fictis velut è Germania profecti, spargebant rumoribus, obivisse Conradinum, ipse vero civium studio, Papæ fastidio, mi-

Collenutius l. .Fazellus l. 8.

A.C. 1198.

A.C. 1250.

A.C. 1253.

Collenutius l. d.

litũ auxilio promotus in solium, non repugnante admodum patruele, sed Papa multum obluctante, illum enim Sveviæ Ducatus liberaliter alebat, ut Italicis turbis non posset delectari, hunc affligebat potentia in atrocem hostem collata.

IV. Cardinalis Ubaldinus ære sacro conducebat milites cruciatos, velut contra Barbaros pugnaturus. Siculi defendebant Regem suum armis, quibus impares Papæ, Urbanus IV. & Clemens IV. ad externa auxilia conversi, non quidem Conradinum Sveviæ Ducem, Regni legitimum
A.C. hæredem accersebant, verum
1264. Ludovici Galliæ Regis fratrem Carolum Andegavensem Ducẽ. Hic Papalis injustitiæ minister concitabat ubique Guelphos, & Romæ in Laterano coronam accipiebat, censu in annos singulos promisso, quadraginta mille aureorum coronatorum, addita le-
P. Æmylius l. 7. hist. Gallicæ. ge, quod Germaniæ Cæsaris titulum, ultro etiam à primatibus Imperii delatum, accipere nollet, Italiæ finibus contentus. His actis, cum Francorum & Latinorum exercitu progressus, ad Beneventum Manfredo prælium offerebat, vincebatque cæso in
A.C. acie Manfredo, & abjecto ca-
1266. davere ejus, ut volucrum pastus esset. Nimirum, proscriptus in curia Romana censebatur indignus esse, qui vel privato funere sepeliretur. Guelphi ex ea victoria Florentiæ restituti, optimo civi Farinatæ, qui olim patriam armis domitam, ne tamen periret omnino, servaverat, hanc gratiam retulerunt, ut ab urbe ejectus in exilio moreretur. Carolus victor admittebatur Neapoli, novas leges condebat, patrimonium ad posteros suos, ut rebatur, amplissimum dimissurus. Conradinus non laturus in Gallis, quod Manfredo familiæ suæ Principi viro indulserat certas ob causas, parabat expeditionem in Italiam, conductis Sveviæ, Bavariæ, & Austriæ militibus, receptisque ad se Ligurum, Pisanorum, Senensium, Veronensium factionis Gibellinæ auxiliis, classe ex Hispanis Castiliensibus educta Friderici opera usus, qui Alfonsi Magni Regis frater erat. Siciliæ urbes maritimæ, Panormum, Drepanum, Syracusæ, Messana aperiebant portas, Gallis ejectis. Cunradinus ad Senas fugabat hostium equitatum, per Hetruriæ agros conscriptum. Romæ compellaturus Papam Clementem, inclementer proscriptus est, velut Ecclesiæ hostis, quod non curabat, inde Campaniam petebat, Neapoli prono civium favore exceptus.

V. Ad Nuceriam stabat Carolus, valida obsidione domiturus *Collenucius l. d.*

urbem

urbem ſibi adverſam. Eodem profectus Conradinus, repentè hoſtem in occurſum ſui commo-
A.C. 1268. vebat, orto prælio ad Lacum Fucinum, quo per celeritatem victor, cæſis Gallis, dum incautius ordines ſolvebant, prædamque nimis avidè ſectabantur Germani, à recollectis Caroli turmis ſubitò invadebatur. Capiebantur Fridericus Dux Auſtriæ & Henricus Caſtiliæ Princeps, fugiebat Conradinus abjecto paludamēto, & calonis tunica indutus. Ad mare delatus, naviculam precio conducebat, qua veheretur Piſas, & verò nauta precioſum in digito annulum intuitus, non eum ratus eſſe calonem, quem præ ſe ferebat, rem in vico proximo denunciabat, accurrebant Galli, captivumque Ducem offerebant Carolo. Ea pugna debellatum eſt. Captivi Duces in Conſilio militari aliàs morte damnabantur, aliàs abſolvebantur. Et mitiorem quidem ſententiam ferebant Robertus Comes Flandriæ, Civitates Italiæ, Proceres regni. Capitalem pœnam ſuggerebat Papa, damnati morte in foro Neapolitano producebantur & ſecuri percutiebantur.

VI. Carolus deinceps Piſas & Senas Gibellinorum præcipuas urbes armis domuit. Sicilia bello victa leges, quas crudelis victor imponebat, admiſit, militum & præfectorum magna licentia fuit. Conquiſiti ubivis locorum, qui Conradino favebant, & vel expulſi vel jugulati ſunt. Exſulum duo nobiliſſimi Johannes Prochytes & Rogerius Appulus inſidias meditabantur, autore Papa Nicolao III. Hunc criminabatur Rex Carolus, quod ipſo non rogato ſedem iniviſſet. Rurſum Papa indignabatur, eò potentiæ evectum eſſe Regem, ut Patrono ſuo vellet præſcribere, adeoque abrogabat illi urbis dignitatem, & Gallico nomini infenſiſſimus toto orbe conquirebat hoſtes ad invadendam Siciliam. Nactus illos, Palæologum Cæſarem Orientis, & Petrum Regem Arragoniæ Manfredi generum, non difficile putabat, Gallos armis turbare. Papa & Cæſar aurum ſolvebant, Rex claſſem, milites, arma proferebat. Brevi poſt obiit Nicolaus, ejus loco præſul deſignatus eſt Martinus IV. Caroli amicus. Rogabant illi per literas Petrum, quo fine tantam claſſem appararet, vicinis omnibus in pace agentibus. Ille Saracenos prætendebat, utque fidem dictis adſtrueret, Tunetana littora curſim populabatur. Interim Prochyta mutato habitu in Siciliam reverſus procurabat lanienam. Indi- A.C.
genæ armis correptis, ad ſignum 1282.
campanæ æneæ inter preces

vespertinas ipso Resurrectionis Dominicæ festo, Gallos omnes discerpebant, ne quidem gravidis parcendo, naves, arma, portus novis præsidiis commodabant. Carolus in aula Romana tunc degebat, sed nuncio perculsus contendebat Rhegium, navibusque Gallicis transibat in Siciliam, obsidebat Messanam. Dum ibi commorabatur, advolabat Rex Petrus cum magna classe, occupabat Sardiniam, inque Siciliam delatus, Panormi coronabatur, Messanam obsidione liberabat, Gallis in Calabriam ejectis.

Collenutius l. 5.

VII. Papa fulminabat edictis adversus Regem & Siculos, jam seriò hoc agentes, ne Galli invalescerent denuò, post tot millia in Vesperis Siculis occisa. Terrebat paucos, cæteri armis retentis provocabant Carolum, ut manibus rem gereret, non fulminibus membranaceis. Is confugiebat ad Gallos suos, & sexaginta millium virorum copias impetrabat, neq; dubitabat quisquam, posse recuperari omnia, pulsis Arragoniis à Palæologo Cæsare etiam desertis. Pisani & Ligures offerebāt naves, quib. Galli in Siciliam deportarentur. Contra Rogerius Appulus infestabat angustum illud fretum quo Sicilia dividitur ab Italia, Rex verò etiam dolo bono usus, exercitus cœterum invictos eludebat, mittendo fecialem, & rogando Carolum, ut Sicilia tantisper abstineat, copias per stativa Neapolitana distribuat, interim ducentos milites optimos eligat, pugnaturos certo loco adversus totidem Arragonios, victori cedat Sicilia. Parebat Carolus, & locus pugnæ indicebatur ad Burdigalam, quæ tunc ab Anglis tenebatur. Sed Arragonius per ludibrium ista agebat, moras videlicet conciturus, ut hostium copiæ amplissimæ sensim diminuerentur, quas citra ingens auri subsidium in lætis Campaniæ agris non posse diu consistere, oppido augurabatur. Aderat Carolus die & loco præfinito, comitatus ducentis militibus, ejus ingentem exspectationem misera frustratio excipiebat, neque enim veniebat Hispanus & quare non veniret, causam obtendebat, simultates noviter à Galliæ Rege injectas, propter quas haud liceret sibi cum suo comitatu in Gallico solo consistere tutò. Pro miraculo fuit Italiæ populis, Siculis verò etiam magno gaudio, vegetos & præferoces Gallos circumveniri potuisse ab Hispanis infirmis, nam Carolus ad stativa sua reversus legiones miserè afflictas lustravit, centenos quosque stipendiorum penuria removerat, millenos consumserant fames ac pestis, Neapolitani ejecerant præsi-

dia

dia Gallica. Carolus Regis filius septuaginta navibus instructas pergebat in Siciliam, è Liguriæ portubus solvendo, quem Rogerius non procul à Corsica assecutus, magno prælio victum capiebat, & Panormū adducebat. Carolus pater obsidebat Neapolim, & non sine magno labore expugnabat, inde cives ducentos patibulo suffigebat. Hanc extremam nomini suo crudelitatis labem imposuit, nam dum in Siciliam pro liberando filio suo
A.C. moliebatur expeditionem no-
1285. vam, decedebat laboribus luctu, tædio adversarum rerum, justè, injustè, superbè factorum con scientia anxius, cœterum indole animi summus. Ejus filius Carolus Claudus libertati suæ redditus est, ea lege, ut Siciliam & Sardiniam traderet Arragoniis, regiones cis fretanas retineret sibi cum titulo Regis Neapolitani.

A.C. VIII. Ita Siciliæ regnum pe-
1286. culiare manebat in potestate do-
1296. mus Arragonicæ. Et succede-
1326. bant ordine Jacobus I. Frideri
1342. cus, Petrus II. Ludovicus, Fri-
1355. dericus II. Maria, Martinus I.
1368. Martinus II. Ferdinandus, Al
1402. phonsus, Johannes, Ferdinan-
1409. dus Catholicus, Carolus V. Post
1412. quem Regibus Hispaniarum
1416. accessit.
1458.
1479.
1516.

CAPUT II.

De rebus gestis Regum Neapoleos.

I. Postquam Carolus Clau dus pactum inverat de tradenda Petro Sicilia, dimissus est in regnum suum, ac Petrus vix uno anno superstes, filiorum suorum natu maximo Alphonso dabat Arragoniam, natu medio Jacobo tribuebat Siciliam. Qua tamen spontè decedere volebat, ut defuncto sine liberis fratri succedere posset in Arragonia, pertæsus ejus possessionis, ubi perpetuæ inquieti obnoxius, contradictiones Paparum, Galliæ & Apuliæ Regum pateretur. Sed proceres Siciliæ post discessum Jacobi fratrem ejus minorem Fridericum solio imponebant, hinc bella enata sunt. Caroli filius erat Robertus, quem non tantum Siculi affligebant, sed quoque Henricus VII. Cæsar Germaniæ ad præstandum Imperio obsequium armis cogere volebat. Et perfecisset consilium suum, nisi Monachus scelestus ei venenatam hostiam præbuisset, annitente Papa, ut patrimonium Romanæ Curiæ sartum tectumque conservaretur. Filium ejus Carolum petebant sibi Florentini dominum & accipiebant post-

Collenutius l. 5. — A.C. 1286. — A.C. 1309. — *Collenutius l. d.*

quam armis Gibellinorum vexabantur. Sed juvenis eo inito principatu nihil quidem memorabile in Hetruria geſſit, illud tantum cum magna nominis ſui invidia admiſit, quod Ciccum Aſculanum Pythagoræ dogmata in uſum revocare auſum & propterea magiæ condemnatum in foro comburi juſſerit, cucullatorum vocibus inſanis victus. Florentini prælio cæſi ad Montecatinum oppidum permiſerunt omnia Gibellinis, quos inter eminebant Uguccio Piſorum, Caſtruccius Lucæ, Scaliger Veronæ Principes. Et hi ipſi quidem à victoria parta invicem diſcordes Guelphis multum profuerunt. Caſtrucius à civibus ſuis pulſus, quorum libertati nimium gravis erat, veniebat Piſas & acceptis ab Uguccione legionibus obſidere patriam cepit ſummis viribus. Demum expugnabat, & vero Piſanus, quaſi proprio commodo, non etiam in amici gratiam viciſſet, urbis captæ principatum apprehendebat, Caſtruccium vinculis onerabat, pronunciata adverſus eum ſententia, ut ſecuri percuteretur, indignante populo. Ipſe Lucam profectus volebat ſpectare ſupplicium, abſentiam viri occaſionem corripiendæ libertatis interpretati Piſani arma proferebant, urbis portas occupabant, domum Principis rapinæ ſubjiciebant. Præſentem non magis reveriti Lucenſes, ad tanti exempli famam, effringebant carcerem, & liberabant Caſtruccium, principemque civitatis ſalutabant. Tum vero Uguccio quanquam aliàs egregiè fortis duplici malo circumventus animum deſpondebat, & cum prætorianorum ſatellitum manu profugiebat Veronam, ubi in domo Scaligeri provixit. Caſtruccius domi conſultus princeps, foris bellicoſus in omnem rerum occaſionem adverſus Guelfos arma commovebat, & fœderatus Scaligerorum, Galeaciorum, Paſſarinorum bellum conflabat, potentesque Florentinorum & Roberti Regis copias ad Altopaſſum profligabat, Piſas & Piſtorium celebres urbes ſubjugabat. Rex filium Carolum defunctum acerbo funere extulit, & vero neptem Johannam I. regni hæredem ſcripſit, quæ priorem maritum habuit Ungariæ Principem Andreã, mitis ingenii, diſſimilem uxoris ſuæ moribus, cujus fraude peremtus in cubiculo, magnum ſui deſiderium proceribus reliquit. Hi propinquum ejus Carolum Dyrrachii Principem evocabant, ut ſolium occuparet, Regina verò patrueli ſuo Ludovico Principi Tarentino nubebat, qui deſertus ab omnibus, viribuſque ſuis diffiſus, profugiebat Narbonam, ubi non diu ſuper-

A. C. 1343.

Collenutius l. d.

ſupervixit. Johanna cum auxiliis Gallicis revertebatur Neapolim, ſed captiva facta Regis juſſu in carcere ſtrangulabatur.

A.C. 1381. II. Carolus amicum habuerat Papam Urbanum, ſed cum hic impetrare non poſſet, ut Rex nepoti ſuo daret Principatum Capuæ, inimicus repente eſſe voluit, quæſtionem inſtituendo, quo jure invaſiſſet Regnum, diemque illi dixit. Rex copiis coactis minabatur, ſe Romam petiturum, ubi non exiguus pavor erat: interim defuncto Ungariæ Rege Ludovico, profectus A.C. 1386. eò nunquam rediit in Italiam. Succeſſit filius Ladislaus, qui æmulum nactus eſt Ludovicum Ducem Andegavenſem Papæ *Collenutius l.d.* artibus impulſum, ut pro ulciſcendo Reginæ Johannæ caſu adduceret exercitum. Pugnabatur in campis Fregellanis, & vincebant Galli, quibus Johannes Papa copias ſuas, ducibus Alberico Balbiano & Franciſco Sfortia, adjunxerat. Nec tamen proderat Gallis victoria, proceribus in gratiam Regis ſui ad Neapolim copias novas adducentibus, Balbiano per inſidias capto, ut Ludovicus progreſſum deſperaret. *Iovius l. 2. Elogiorum num. 19.* Tanto fortior Rex, etiam poſt acceptam cladem, urbes plurimas Latii expugnabat, Romam ipſam capiebat ſpoliis multis potitus, abductis Urſinis Papæ ſectatoribus. Ne illos ſupplicio afficeret, morte præventus eſt, veneno ſublatus ab illis, qui Papæ gratiſſimum facere volebant. A.C. 1414. Soror ejus Johanna II. Geldriæ Duci nupſerat, quo viduata rediit Neapolim, & Regalem poteſtatem ſortita, maritum ſibi copulavit Jacobum Marchiæ Comitem, ea lege, ne Regis titulum uſurparet, Tarenti Principatu ejuſque vectigalibus contentus. *Collenutius l.d.* Menſium paucorum ſpacio leges iſtæ valuerunt, inde Jacobus miſſa in carcerem Regina, fugatis aut expulſis omnibus quicunque eam opibus ſuis adjuvabant, poteſtatem Regis corripuit, Gallis in cuſtodiam corporis adhibitis. Regina elapſa de vinculis commovebat proceres, ut Gallorum odio incenſi Regem ſediciosis armis oppreſſum, cæſis peregrinis, in arcem Ovi abducerent, cuſtodibus appoſitis. Ipſa quoque divortio facto, perpetuis carceribus maritum damnabat, qui tamen cuſtodum fidem ſollicitabat auro, naveque Liguſtica vehebatur Tarentum, porrò abibat in Galliam, & monaſterio conſecratus non procul Veſontionum urbe decedebat.

III. Regina palam inſanis amoribus dedita, ſubditis inviſa, edicto Papæ Martini V. declarabatur, ſolio indigna eſſe. *Barthol. Facius l. 1.* Galli aderant

histor. Iovius l. 1. histor.

erant duce Ludovico Andegavensi, quibus illa tamen opponebat Alphonsum Arragoniæ Principem Corsicâ evocatum, ubi ille tunc temporis arma ferebat pro Johanne Rege fratre suo adversum Ligures. Itaque profligabantur Galli, & Alphonsus Neapoli admissus, reputando quanta mulieris inconstantia esset, arces muniebat præsidio suo, Rex futurus, non quidem mero Johannæ benificio, sed optimo belli jure, Reginæ procum Caracciolum invincula dabat, Neapolim in fidem suam adigebat. Valde hoc torsit Reginam, adeoque illa contra Alphonsum expediebat arma Ludovicum Andegavensem juniorem adoptabat, Papæ consensu, Sfortia educebat copias, & prælio superabat hostes ad Francavillam, cumque fugientes ultrà Piscariam fluvium persequi vellet, aquarum vorticibus raptus occumbebat. Ejus obitu Arragonenses conversa fortuna victores evaserunt. Isque belli finis exstitisset, nisi Philippus Insubriæ & Blasius Asotus Liguriæ Duces, validissimam classem in auxilium Reginæ misissent, qua superior illa recuperabat Neapolim, fugabat Alphonsum. Victoriæ autor imprimis erat Vido Taurellus, magnis ob id præmiis affectus, ringente commilitone ejus Francisco Carmagnola, & ad Venetorum militiam gnaviter adspirante, quæ tamen ei infeliciter cedebat. Nam aliquanto post suscepto militari imperio eoque fortiter gesto, Veronam & Brixiam adimebat Philippo Galeacio. In cursu gerendarum rerum oborto livore offendebat eosdem, quos victoriis suis juvabat multum, & clade accepta ad Cremonam, perfidiæ accusabatur. Evocatus ad urbem, veniebat nullius sibi culpæ conscius, & custodiæ tradebatur. Nec diu post, cum apud suspiciosos, & ubi de Republica quæritur, sæpius inclementes Patricios, infesta suffragia valebant, securi percutiebatur, opibus in fiscum redactis. Regem verò etiam Papa sacra censura notabat, autor Reginæ, ut quia subito morbo correptus Ludovicus obierat, fratrem ejus Renatum adoptaret.

B. Facius l. 2. 3. 4 5. histor.

A.C. 1435.

Iovius in Elogiis l. 3. sect. 2.

IV. Nec diu superstes illa certamine funesto committebat Renatum & Alphonsum, quorum hic veteri jure nitebatur, ille novo. Papa & cives Neapolitani præferebant Renatum, cœteri proceres defendebant Alphonsum, qui classe advectus obsidebat Cajetam, ne potiretur illa, accurrebant Liguriæ triremes, pugnabant, vincebant, optimis hostium navibus incensis, Rege ipso captivo. Quem tamen ad intercessionem Ducis Philippi illico dimit-

M. Ritius l. 3. & 4. B. Facius l. 6. 7. 8. histor.

dimittebant, ut majores quam antea pararet copias, Petrus frater ejus, classem quæ superfuit ex prælio, in Sicilia reficiebat, & Cajetam proditione civium occupabat. Ex hac urbe regnum totum non difficulter perdomabat Alphonsus, cæsis ad Salernum Papæ legionibus, quas Jacobus Caldola, Johannes Vitellius Cornetanus, & Laurentius Attendulus regebant, inde gravi obsidione premebat Neapolim, ut ægre Renatus, & sui, tolerarent inopiam commeatus, quem Liguriæ naves importabant. Abibat clanculum Renatus, copiasque parabat sex mille virorum sub ductu Antonii Caldolæ & Trajani Caracioli, nam Jacobus Caldola, maximum rerum adversus Arragonios præsidium, apoplexia decesserat, Cornetanus per Hetruriam aut componendis aut concitandis factionibus operam dabat, mox etiam commutatæ fidei suspectus carceri includebatur. Antonius dubitabat an hostis castra invaderet, victurus si voluisset adoriri, cunctando rem perdidit, & Alphonso Regi locum dedit, ut à periculo se se reciperet in tuta, hostique viam daret, urbs novo præsidio instruebatur & annona copiosa, quamobrem Alphonsus urbis expugnatione fame, vel vi propemodum desperata, convertebat sese ad dolos, milites intromittendo noctu per aquæ ductus, corruptis pecunia illis ad quos istorum cura attinebat, Renatus accepto nuncio in arcem novam confugiebat.

Iov. l. 2. Elogiorum num. 13.

B. Facius l. 9. & 10. histor.

A.C. 1442.

V. Mox quoque dedebat se pactus incolumem abitum, proceres omnes, quicunque in ejus partibus fuerant hactenus, victoris gratiam obtinebant. Renatus autem regno pulsus hæredem scribebat filium suum Johannem, coque defuncto surrogabat ex fratre Carolo nepotem Carolum, qui tandem sine liberis defunctus Ludovicum XI. Galliæ Regem testamento fecit hæredem, tanquam qui ex Renati sorore esset natus. Alphonsus verò, qui in cœlibatu singularem eamque paucis compertam liberi tranquillique animi felicitatem reposuerat usque, sic ut nunquam pœnituerit connubia rejecisse, liberis ex perfecto matrimonio carebat, Ferdinandumque nothum suum renunciabat Calabriæ Ducem, in spem successionis. Hunc satis legitimum Regem fore prædicabat, si pertinaci virtute fortunam juvaret. Eugenius IV. Papa favebat Gallis, potuissentque illi maximas per Italiam res gerere, nisi Burgundicis turbis impliciti, exterorum negociis abstinuissent, & Papa versis rerum vicibus publico rescripto Ferdinandum declarabat competentem Regni hæredem, accipiendo in præmium liberalitatis agrum Picenum, quem

M. Ritius l. d.

A.C. 1469.

Franciſcus Sfortia obtinuerat dudum benificio Alphonſi. Deceſſit febri concepta ab aſſiduis falconum aucupiis in agris Nolanis. Cœterum Ferdinandus I. pro vita & fortuna depugnabat adverſus Johannem Ducem Renati Andegavenſis filium, quem Tarenti Princeps opibus ſuis adjuvabat. Sarni receptus copias ſuas luſtrabat, vincebatque Ferdinandum prælio, ut is ægre Neapolim ſeſe reciperet, mox vero Sfortiæ & Pontificis ſubſidia nactus, peregrinisque Scanderbegi Epirotæ armis confirmatus, victorem Renatum fugabat in Apuliam, & denuo ad urbem Trojam pugnabat, eventu felice magis. Tarenti Princeps domi ſuæ ab amicis oppreſſus vitæ finem improviſò invenit, Johannes domum reverſus, nec diu ſuperſtes, patri Renato qui ab ejus obitu provixit, jus integrum conſervavit, à quo ad nepotem ex fratre Carolum tranſivit.

Ioh. Iov. Pontanus l. 1. 2. 3. 4. 5

VI. Filium ſuum Alphonſum II. declaravit Principem Tarenti, qui Papæ Sixti ſtipendia accepit, belloque funeſto Hetruriam turbavit, ubi Laurentius Medices carnificis manu comprehenſum Franciſcum Salviatum Archi-Epiſcopum Piſanum laqueo jugulaverat, conſcium ejus cædis, quâ frater Julianus Medices in templo à Pactiis conjuratis obtruncatus fuerat, primum ictũ infligente Berhardino Bandino, familiari aliàs viro, ſed beneficiorum perceptorum immemore. Superatus pugnis multis Laurentius per Domedem Caraffam, à Rege pacem impetravit. Ea pax aliis quàm Sixtus voluiſſet, data conditionibus, autores pacis variis calamitatibus implicuit. Alphonſus copias duodecim mille virorum ducebat verſus Romam, ſed Venetorum auxiliis in tempore confluentibus repellebatur. Mox Turci oppidum Apulię Hydruntum expugnabant, civibus occiſis. Hæc irruptio Barbarorum permovebat Italiæ populos, ut invicem pace facta viribus integris potentem hoſtem aggrederentur, urbs terra mariq; obſeſſa demum redibat in poteſtatem Ferdinandi, Sultano nuper defuncto, quod magno periculo Italiæ civitates liberavit. Ad civiles turbas denuo ventum eſt. Alphonſus patre connivente quærebat incrementa Regni, armisque vaſtabat Senenſium agros, ipſe à Venetis Inſubriæque Duce Sfortia non leviter preſſus, à proceribus pacis ſtudioſis deſertus, quod victoriis efficere non poterat, carceribus ac pœnis tentabat, bona ſubditorum publicabat, cũ hoſtibus pacem inibat non ſatis fidam, Petrum Medices venerabatur donis ut Florentinorum ſocietate ex integro frueretur. Ergo Veneti & Inſubres evocabant Carolum VIII. Galliæ Regem, ut Neapoleos regnum invaderet. Obiit

Machiavellus l. 8 hiſt. Florent. Iov l. 3. Elogiorum num. 9.

Iov. l. 3. Elogiorum num. 3.


A.C. 1494. biit Ferdinandus, & filius ejus Alphonsus II. ultro se potestate regia abdicabat, postquam audiverat Gallos venisse Romam. Neq; melius agebant socii ejus. Petrus Medices extra urbem occurrebat Gallis ut honesta conditione proposita impetraret pacem. Hanc tunc demum condicebant illi, quando arces traderet, Pisanam, Labronensem, Sergianam, Petrasanctensem. Ita factum est, verum cives reclamabant, & à Principe Rempublicā privati commodi causa prodi querebantur. Domum reversus excipiebatur lapidibus, ut profugere cogeretur Bononiam. Rex Alphonsus discedebat in Siciliam, locoque ejus regnabat filius Ferdinandus II. victus armis Gallorum, nec tamen

A.C. 1495. constans horum fortuna erat, anno eodem, quo venerant, domum ibant. Rex per Consalvum reducebatur Neapolim, & sine liberis defunctus, regnare jubebat patruum suum Fridericum. Hunc junctis operis profligabant Galli &

A.C. 1496. Arragonii, atque illi ipsi mox manus etiam inter se conserebant, victisque Gallis regnum totum Arragoniæ Rex Ferdinandus Catholicus Siciliæ suæ adjungebat. Petrus Medices erravit in exilio annis decem, unde ei reliquæ opes absumptæ & multum æs alienum contractum est. Liviani consilium secutus copias promovebat ad portam urbis, attamen obseratis repente valvis exclusus irrito conatu regrediebatur, eo quidem graviore detrimento, quod propinqui aliquot cives, Medicei nominis studiosi, tanquam hostilis ejus accessus conscii, capite plecterentur. Novis Borgiæ Cæsaris promissis illectus repetebat obsidionem, atqui is non modò conceptam spem votaque ejus fefellit, sed quoq; existimationem & salutem exulis in summum periculum conjecit, quandoquidem Borgias male fidus, rebus clandestine compositis inter conditiones Petrum tanquam hostem judicatum Florentinis expetentibus traditurus esse diceretur. Tulit adversi conatus sui sortem ad Gallicum bellum usque quod Magni Consalvi virtute ad Formias partâ victoriâ confectum est. Erat tunc in partibus Gallorum, cumque infelici ad Cajetam prælio eripere se vellet, onerario lintre subverso mergebatur Liri amne.

Fazellus lib 9.

Finis Tomi Primi Historiæ Universalis.


476

RECENSUS HISTORIÆ UNIVERSALIS


TOMUS SECUNDUS:

Quo continentur

LIBRI à XX. ad XXIV.

Et describuntur

Res gestæ celebriorum in Asia & Africa Populorum, nec non Belgarum in Europa, atque Hebræorum sub Veteri Testamento usque ad excidium Urbis.



HISTORIÆ UNIVERSALIS

LIBER VIGESIMUS

Quo continentur res gestæ Turcorum à primâ gentis origine usque ad nostra tempora.

CAPUT I.

De rebus gestis Turcorum priscorum.

I. Urci Scythiæ Caucaseæ populi militaverunt olim sub Heraclio Orientis Cæsare adversus latrones Arabes, quanquam non admodum prodesse rebus ejus possent in maxima hostium copia. Altera vice in expeditionem assumpsit eos Cosdroës vastator Orientis, donec armis Heraclii succumberet. Ex posteris ejus Hormisdas, cum premeretur Arabum irruptionibus, commilitones Turcos adhibebat, victus verò ab hostibus inque fuga occisus, dimittebat eos in Corasenam & Hyrcaniam, ubi suis legibus usi, exercebant pecuariam. Mahadinus Babyloniæ Calipha persuadebat eis, ut relicto Paganismo ad Legem Mahumedis applicarent sese, terrasque suas protectioni Sultanorum committerent, Ducibus cum minori potestate è gente sua lectis, qui Turkestaniæ præessent. Hi erant Dacacus, Saliuchus, Michael, & celeberrimus omnium Togrul-Bekus, qui Calypham Mahumedem Ben-Imbrael fortiter adjuvit in bello contrà Passassirium Mechæ Principem, sed cum Mahume-

Ioh. Cuspinianus, Ioh. Leonclavius, Ioh. Lonicerus.

A.C. 620.

A.C. 651.

A.C. 780.

des stipendia persolvere nollet, ac
potius juberet novam expeditio-
nem adversus Gedrosiæ ac Sog-
dianæ populos capere, unde Im-
perio suo luculentam accessio-
nem petere cupiebat, deficiebant
Turci armisque in Imperatorem
suum versis, prælio decertabant
ad Susianæ urbem Ispahanem.
A.C. Victores perempto Califa, regio-
1055. nes ejus omnes domabant, Per-
siæ, Mediæ & Arabiæ compotes,
Sultanum gentis suæ designa-
bant. Hunc Togrul-Bekum or-
dine excipiebant Kutlumus, Sel-
duchus, Dogrissà, Asphasales,
Melech Sala, qui Cæsaribus Græ-
ciæ infestā viciniam constituen-
do devicerunt Ciliciam, Mesopo-
tamiam, Cappadociam, Syriam,
A.C. & plurimas Insulas. Belchiarocus
1095. cepit Damascum, victoriis egre-
gius. Defuncto illo Satrapæ di-
versis populis diversa imperia
obtrudebant. Nobilissimi ho-
rum fuerunt Sultani Iconienses,
& inter eos primus quidem So-
lymannus Nicea capta crudelis-
A.C. simis populationibus Asiam mi-
1097. norem vexavit, demum conflictu
adversus Godofredum Bulionæ-
um interfectus.

II. Ab hoc tempore Palæstina
& vicinæ regiones opulentæ
A.C. Turcis ereptæ sunt. Talismanius
1098. filius Solymanni discessit in Cap
padociam, & Sebastiæ novum
Regnum orsus, potestate sua
continebat Mesopotamiā, Chal-
dæam, Assyriam. Godofredus *VVilh. Tyrius, Robertus Monachus Fl Blondus.*
Bulionæus Lotharingiæ Princeps
traducto Europeæ militiæ flore
in Asiam, comitatus Balduino &
Eustachio fratribus suis, Rober-
to Flandriæ Comite, Roberto
Normanno, Boëmundo Appulo,
Raimundo Tholosano, sexcen-
tos mille pedites, centum mille
equites sub signis numerabat, Sa-
cri belli ductor inclytus, milites
rubra cruce in dextro humero si-
gnabantur autore Urbano Papa, *P. Æmylius lib. 5. histor. Gallicæ.*
benedictionē impertiente Bern-
hardo Claravallensi Abbate. So-
lymannus stabat in finibus Pisi-
diæ, interim Niceam expugna-
bant sacri milites, eamque Alexio
Græciæ Cæsari tradebant, ut ami-
cum illum haberent in advehen-
da liberaliter annona. Pergebant
Antiochiam, & ex itinere confli-
gebant cum hostibus, sexagintà
mille viris aut cæsis aut fugatis.
Hæc victoria minorem Asiam
tradebat Godofredo, Solyman-
nus refugiebat in Mesopotami-
am, agris ubique vastatis qua pro-
grediebatur, ut hosti solitudinem
faceret. Expugnabantur An-
tiochia, Iconium, Heraclea, di-
visis copiis Tancredus Princeps
Tarentinus ibat in Ciliciam, sed
Balduinus Flander in Pamphy-
liam ducebat, fugatis ubique ho-
stibus, Tarsus dedebatur Appulis,
Edessam & Samosatam nobilissi-
mas in Euphratis ripa urbes ca-
piebant Flandri. Sequebatur Go-
dofre-

dofredus. obsidebatq; Antiochiam ad fluvium Orontem. Septem mille equites, viginti mille pedites in vicinis præsidiis collocaverat Solymannus, compos Orientis sibi visus esse, donec urbe illa potiretur, cumque de obsidione ejus inaudiebat, quinquaginta mille viris instructus auxilio veniebat è Media, pugnabat, victusque fugiebat, nihilominus obsidio in tanta opulentia ac defensorum copia lente procedebat, donec Venetorum ac Ligurum naves maritima loca claudendo, annonam prohibebant, & nocte silente portum subibant. Urbs fame exhausta superabatur, Turci omnes interficiebantur. Vix defuncti labore isthoc fuerant, cum abirent classiarii Itali, & verò milites præsidio relicti de necessariis advehendis minimè solliciti, prorsus quasi hostes procul abessent, ab hoste in expeditionem reverso cingebantur. Magna in urbe rerum omnium inopia erat, neque exercitus Godofredi per Syriam Comagenam distributus reditum moliri poterat, fluviorum cursu rapido præpeditus. Latini, Bohemundum sequendo extra urbem, castra locis multis simul invadebant, hostem, virtuti audaciam, timori spem miscendo, aggrediebantur, munitionibus ejiciebant, impedimentis omnibus exuebant.

III. Solymannus Orietis imperio dejectus, cæsus in fuga, Talismanio filio legionum reliquias tradebat, qui Sebasten concedebat, & cum Ægypti Calypha fœdus inibat. Godofredus capiebat Hemissam, Laodiceam, Tripolim, sed frustrà tentabat Sidonem & Acconem, inde cum exercitu universo Hierosolymas premebat, ubi triginta mille viri præsidii vice inerant, adhæc Ægypti Sultanus terra marique copias apparabat, non defuturus suis, cum opus esset, hoc fine potentem classem in Ascalones portu construebat. Dum moliebatur ille, ac Ligures eminus affligebant apparatum navalem in portu Ascalones, prævertendo auxilia, mœnibus ferociter instabant Latini, A.C.
ac superatis illis GodofiedumPa 1099.
læstinæ Regem designabant. Mox Joppen commodum maris Syriaci portum occupabant, unde in Europam facilis navigatio esset. Ascalon & Damascus in potestate Barbarorum permanserunt, fessique tot præliis & ad paucitatem redacti Latini deponebant arma, firmatis cum Sultano induciis.
Godofredus anno præerat, A.C.
tunc pestilente morbo defuncto 1100.
surrogabatur frater ejus Balduinus Comes Edessanus. Is Græcorum & Syrorum mercenarios conduxit, ut vastarent Arabiam. Gentis Regulus ab Ægyptiis postulabat opem, qua adjutus ma-

gnam cladem inferebat Latinis prope Ascalonem. Rex evitato periculo veniebat Joppen, ut copias reficeret. Supplementa mittebant Galli, Norvagi, Longobardi, Bavari, quibus instructus profligabat Saracenos in Phœnicia, superabat Berythum, Sidonem, Apameam, Laodiceam, Cæsariam, Acconem, & ductis in Ægyptum copiis Pelusium feliciter expugnabat.

A.C. 1118. IV. Ejus consobrinus Balduinus II. succedebat, bellumque gerebat cum Damascenis Turcis, qui Rogerium Comitem Antiochenum ex insidiis peremerant, cæsis una multis millibus Latinorum. Prælio superior in Mesopotamiam pergebat, ut auxilio esset Joscelino Comiti Edessano adversus Parthos, sed cum egrediebatur speculaturus, ecquid rerum

A.C. 1122. in vicinis hostium castris ageretur, desertus à comitibus, vivus capiebatur, & biennio in custodia servabatur. Interim vicarius Eustachius aggrediebatur Turcos in Jordanis ripa, & cæsos fugabat. Victoriæ fructum persecutus Wilhelmus Comes Tyberiados vastabat suburbana Ascalones, ac Tyrum improvisò cingebat expedito agmine, Veneti admovebant classem. Rex captivus in urbe detentus, persuadebat ut dederetur, salvis incolarum opibus, dimisso præsidio, ipse quoque ducentos mille aureos solvebat, liberalis custodiæ precium, quam Barbari obsidione durante ei præstiterant. Cæterum non una pugna devicit hostes ad Antiochiam & Damascum. Bohemundo Antiochiæ Principi filiam suam Elisabetham matrimonio dedit, hunc mari profectum in Siciliam obruerunt Mauri & occiderunt. Alteram filiam duxit Fulco Andegavensis Comes, atque is socero defuncto successit in ma- A.C.
gno procerum dissidio, quod non 1131.
leviter afflixit Regnum novum. Ascalonem munitissimam Turcorum urbem, unde Christianis perpetua damna inferebantur hactenus, obsidione longinqua pressit, sed deditionem non obtinuit morte præventus. Dum enim A.C.
in castris venationem exercebat, 1141.
leporemque celeri equo insequebatur, corruebat lapsu.

V. Reliquit filios Balduinum, & Almericum, qui ordine regnaverunt. Balduinus III. novarum copiarum affluxu, quas Fridericus I. Cæsar Germaniæ & Ludovicus VII. Rex Galliæ terra marique adducebant, recreatus, multis in locis Turcos obruebat. Noradinus Alepi Sultanus excursionibus vexabat agros Antiochenos, Principem Raimundum prælio superatum occidebat, majora etiam patraturus, nisi Rex occurrisset, ac prælio victum longius fugasset, inde Ascalonem capiebat, à cujus urbis, munitæ impri-

mis.

mis, obſidione abſtrahere eũ volebat Sultanus, raptim ductis copiis ad Paneadem. Rex verò potiebatur Aſcalone, militum cohortibus per vicos diſpoſitis, ut commeatum inferri vetarent, & fame domiti incolæ aperiebant portas. Quo percepto, Noradinus dimiſſa Paneade revertebatur domum, & Rex Peluſio imponebat legiones plures, quarum virtute oppreſſus Dargan Califa Memphiticus, vectigal pendebat.

A.C. 1163. Obiit venenata potione, quam ei Saracenus Medicus propinaverat Berythi. Almericus frater ejus Comes Joppenſis novo bello provocabatur à Noradino Sultano, ſocius petebatur Dargan. Hic perſuaſus à vicino, & quod vectigalis abrogationem obtineri poſſe credebat, Peluſii agros diripiebat. Rex illico profectus in Ægyptum, hoſtium copias concidebat, utque pluribus hoſtibus par omnino eſſet, cum Emanuele Comneno Græciæ Cæſare fœdus inibat. Califa periculoſis ſubditorum diſſenſionibus implicatus, qui Sarbaro, viro nobili, duce armis correptis eum pellere conabantur, mercenarias Arabum legiones conducebat, ſed neque hoc modo ſatis tutus, apud Noradinum auxilia rogabat. Is mittebat cum exercitu fratrem Siraconum, qui lente progreſſus tunc demum fines Ægypti attigit, poſtquam Dargani vitam eripuerat ſicarius, & Sarbarus loco ejus regnabat, vectigalis Almerici factus, quando armis ejus defendi poſſet adverſus Turcos Damacenos. His enim nihilominus Ægyptum ingreſſi, caſtra ſua ad Nili ripas muniebant, egregiè tuendo ſeſe adverſus incurſiones Sarbari, donec Siraconi ex fratre Margemendo nepos Saladinus, Regiæ indolis juvenis & magnus Latinorum adverſarius cum novis ex Babylonia & Media copiis accederet. Tunc vero Alexandriam occupabant, nec ſegnior Almericus, ut ſocium liberaret, profectus ad hoſtium caſtra, toto cæſos campo, intra unius Alexandriæ mœnia redigebat. Sed validæ urbi oppugnandæ impar, annonam Peluſio inferebat, & domum redibat.

VI. Eo abſente, colligebat Siraconus diſperſas turmas, provincialium favore uſus, & Memphin delatus, Sarbarum prælio victum occidebat, proceres civesque juramento ſibi obſtringebat, Latinis vectigal pendere vetabat. Rex tamen in expeditionem reverſus, cæſis ubique præſidiis, haut procul Memphi validas legiones ducebat, urbem, magnam quamvis ſed mœnibus nullis circumdatam, omnino ſubiturus, cum Siraconus poſitis armis, datoque copioſo auro inducias rogabat, & præſentem cladem redimebat. Mox etiam defunctus ſuc-

successorem nactus est Saladinum, gentis suæ Augustum, postquam irreconciliabiles discor-
A.C. diæ Latinos vexare ceperunt. Se-
1173. quebatur morte Almericus, relicto filio Balduino IV. impubere, sub Curatore Johanne Comite Tripolitano, viro fortissimo. Perinde moriebatur Noradinus Cappadociæ & Mediæ Dominus, virtutis expertæ, sed filius ejus Melech-Salah ignavus omnino permovebat Saladinum, ut quem ob benificia à patre ejus accepta juvare potius debuisset, eum armis persequeretur, Orientis Imperatorem effecturus sese. Verum Latinis visum est, quod non expediret rebus suis, quando totius Orientis opes cum Ægyptiorum imperio conjungerentur, itaque Saladinum jusserunt, ut Damascenorum agris abstineret, nisi violatæ pacis reus haberi vellet. Saladinus preciosa munera dando, & justas belli causas obtendendo, quando in communi hæreditate cernenda illi propinquus & consanguineus suus, ut ajebat, jus reddere nollet. Latinos pacabat, & Damascenum Principem brevi pugna victum opibus cœteris spoliabat, relictis ei censibus modicis in urbe Alepo, quibus privatam vitam toleraret. Princeps lautioribus conditionibus vivere assuetus, cum aliter non posset opes acquirere, latrocinia exercendo in vicinos Latinos, excitaverunt illos ut obsiderent Alepum. Saladinus clientelam suam defensurus maximas copias educebat, & Ascalonem cingebat, Latinos revocaturus ab oppugnata Alepo. Et successit. Nam Latini profecti ad castra Saladini, & prælio maximo congressi victoriam insignem reportaverunt. Sensit cladem Barbarus & corrigere studuit, eo fine Turcos Mesopotamenos de auxiliis præbendis compellavit, recusantes invasit bello, Carras expugnavit, Parthiam immissis volonum turmis diripuit, spoliisque onustus in Ægyptum rediit, opibus conditis iis, quæ ad longos belli usus possent sufficere.

VII Rex correptus lepra Nazarethæ degebat, cumque filium non haberet, nepotem suum è filia Sibylla, quæ olim nupserat Wilhelmo Montisferrati Marchioni, corona exornabat. Is erat A.C.
Balduinus V. ac mater ejus secun- 1185.
das nuptias celebraverat cum Guidone Lusignano è Pictonum nobilitate oriundo, Comite Joppensi. Privigni sui curator ille erat, una cum Raimundo Comite Tripolitano. Brevi tempore superstes fuit avunculo suo. Mater redditam sibi à proceribus coronam, quam filius ejus, frater, pater atque avus gestaverant, ma A.C.
rito suo Lusignano imponebat. 1186.
Raimundus Tripolitanus contradicebat Reginæ, quando Re-

gis

gis electio in conventu procerum omnium debebat maturo consilio proponi, & non mulieris unius arbitrio committi. Saladinus noverat per exploratores suos, quàm male invicem convenirent Rex atque proceres, itaque viribus restauratis obsidebat Tyberiadem. Rex ibat subsidio cum viginti millibus armatis, partem vero exercitus ejus regebat Comes Tripolitanus, armis pro Rege, animo stabat pro Saladino, dum pugnabatur, cumque Saraceni prælio cæsi ad fugam spectabant, ipse cum dextera equitum ala progressus ad spolia capienda, commilitones suos recollectis hostium turmis objiciebat, qui terrore subito impleti vincebantur, Rex veniebat in captivitatem. Saladino victori dedebantur Hierosolymæ, postquam diebus quatuordecim oppugnaverat illas. Excesserunt proceres Latini & Regina: Rex captivus, si liberari vellet, Palæstinam tradere & potestatem regiam abdicare jubetur, dicto juramento. Et Rex quidem dimissus vix poterat liberare fidem, quando Accon, Byblus, Berytus intromiserunt Barbaros, sed Ascalon, Tripolis, Antiochia, Tyrus excluserunt illos. Rex ab Europæis impetrabat multas voluntarias cohortes Siculorum, Francorum, Anglorum, Danorum, Germanorum, quæ navibus Tyrum advectæ, Saracenos palantes locis multis obruebant. Contendebant eodem Philippus II. Galliæ & Richardus Angliæ Reges, uterque Messinæ præsens compellabat Joachimum Calabrum Abbatem, qui laudabat eos, ut pietatis studiosos, sed tamen arma successu caritura prædicabat. Richardus à tempestatibus vexatus appellebat in Cypro, qua perdomita in Palæstinam proficiscebatur, & Latinis Gallisque conjunctus, obsidebat Acconem. Dedebatur urbs hac lege, ut præsidiarii milites incolumes abirent, Latini crucem sanctam omnesque captivos reciperent, sed quia Crux non tradebatur, ablata nuper ex urbe Hierosolymorum, fraudem subesse arbitratus Richardus, Barbaros omnes, quos secum in vinculis habebat, occidi jussit. Mox etiam captæ sunt Gaza, Cæsaria, Joppe, ut Saladinus cogeretur excedere maritimis Syriæ oris.

VIII. Galli abibant mature satis, & Richardus fortiter multa jubendo pauca feliciter agebat, in tanta Ducum multitudine. Saladinus ei prælium offerebat in conspectu urbis Joppes, quo victus revertebatur in Ægyptum, hoc tamen lucratus, ut victores cum laceratis copiis non auderent aggredi Hierosolymas, ac hyberna peterent. Quibus exactis Richardus copias lustrabat Bethlehemi, longinquã obsidio-

nem circa Hieroſolymas orſurus, quando nunciis de tumultibus domi ortis perculſus, Saladino inducias concedebat, Luſignano Cyprum, ut proficiſci in Angliam ac res componere poſ-
A.C. 1193. ſet. Non multo poſt obiit Saladinus fortitudinis & juſtitiæ laude inclytus. Ab ineunte ætate omnibus belli artibus inſtructus, viros
Iovius l. 1. Elogiorum num. 13 fortes ad ſe traduxit ampliſſimis ſtipendiis, ſumptibus multis exploravit hoſtium dicta factaque, juſtitiam & fidem religioſe obſervavit, victoriis modum impoſuit, à clade terribilior ſemper inſurrexit, ut non mirum videri debeat, ſi tantus Virtutis æſtimator inconſultas Latinorum expeditiones, melioribus ipſe conſiliis nixus ad incitas redigeret. Novem filios reliquit, eisque adjunxit Curatorem Saphadinum, fratrem ſuum, à quo perempti veneno aut per ſicarios occiſi cæteri, ſolus evaſit Saphadinus natu maximus, & copiis Alepo eductis patruum oppreſſit.

P. Venetus, Haithon, Armenus. IX. Dum Syria & Palæſtina Latinorum armis infeſtabantur, non minores turbæ commotæ ſunt à Tattaris per Aſiam ſuperiorem. Hi Sericam & Sacarum agros tractu latiſſimo incolebant
A.C. 1195. ſub Imperatore Chinge-Chano, qui primus abrogato idolorum cultu, præcipiebat edicto ut tota gens coleret Deum cœli & terræ creatorem, qui providentia ſua regeret eventus humanos, victor multorum populorum, quos Perſæ & Macedones olim continuerant poteſtate, cum Orientis Imperium penes illos erat. Ejus A.C. 1231.
filius Hocahon orbis totius imperium animo agitabat, itaque exercituum Duces emittebat quaquaverſus, Jacchinum ad Occidentem, Batum ad Septemtrionas, Cagadanum ad Meridiem, ipſe Orientem verſus movebat, ut Sinarum populos edomaret. Cagadanus in deſertis Æthiopum terris fame ac peſte vexatus, militum reliquias cum Jacchino conjungebat, qui Parthiam devicit, & victoriarum curſu delatus ad Batum, Ponti Euxini accolas, A.C. 1244.
Goviatæ Sultani imperio ſubjectos, novo dominatu oppreſſit. Batus progreſſus ad Danubium, Tanaim, Volgam, populos multos celeri impetu ſubegit, Gothos omninò delevit, Roſſos ad vectigalia danda compulit, Polonos ſuperavit, Auſtriam vaſtavit, Sileſiam cædibus atque incendiis implevit, ad Wratiſlaviam caſtra poſuit, nuncio edoctus quod Boleslaus Marchio Moraviæ, Poppo Magiſter Ordinis Teutonici, Henricus Lignicenſium Princeps *Cureus l. historia Sileſiaca.*
inſtructis copiis occurrerent. Prælio acto vincebant Tattari multitudine ſuperiores, acie peremptus eſt Henricus Princeps, ejus caput reſecuerunt Tattari & lanceæ affixerunt. Hæc ſive clades

clades sive victoria magno redempta avertebat Tattaros, ne in Germaniã perrumperent. Wenceslaus Bohemiæ Rex contentus abdere sese in castellis montanis, regiones non satis munitas exponebat direptui, ac hostis dives spoliis in Pannoniam abibat, inde profectus in Tauricam, coloniam gentis constituit, multisque annis in devictos Rossos Impe-
A.C. rium exercuit. Defunctus Hoca-
1247. hon vastissimum imperium reliquit filio suo Magio-Chano, qui paternam gloriam feliciter imitatus, felicior præ illo etiam fuit, cum sacro baptismate lotus ab Armeniæ Episcopo Haithono, veritatem Religionis didicit. Maximus hostis Saracenorum, Principes eorum ejiciebat Babylonia, Persia, Mesopotamia, Syria. Ducebat copias frater ejus
A.C Haalonus, qui Melech Nasarem
1260. Sultanum Alepiensem prælio captum in carcerem detrusit & fame necavit. Porrò duxit in Palæstinam, ut Hierosolymas expu-
A.C. gnaret. Interim moriebatur Im-
1271. perator Magius, & Haalono fratri suo majori successionis prærogativam addicebat, verum minimus Cobila absentem in expeditione fratrem, procerum favore nixus excludebat. Hinc civiles turbæ enatæ sunt, à quibus ferociores Saraceni Mamalukani cum exercitu ducentorum millium invadebant Syriam.

X. Sultanus Melech-Massah confligebat prope Sidonem cum Virboko Tattarico præfecto, & victoria potitus omnes cis Euphratem regiones occupabat, Antiochiam cingebat obsidione. Et quanquam in castris occideretur seditione militum, perseverabat tamen in obsidione Bendocader, qui ei successerat, donec Abasga novas copias adduceret, urbemque liberaret. Harum partem in Syriam Comagenam deportabat alius gentis Princeps Mangamor, & Melech-Saidum in urbe Cæsaria oppugnabat. Domi verò compositæ sunt lites super jure successionis, ut Cobilas quidem acie inferior abdicaret potestatem, & verò Haalonus A.C.
brevi tempore præerat, veneno 1280.
sublatus. Ejus filius Tangador vanitates Muhammedicas amplexus, nec tamen persecutus eos, qui Christi legem docebant, A.C.
morbo subito correptus obiit, 1286.
successorem nactus fratrem Argonum. Hic Christi legem defendebat constanter, & de Palæstina invadenda serio sollicitus, venenum à Saraceno medico accepit. Filius ejus Kangaithus A.C.
nullius certi Numinis reverentia 1288.
ductus, insuper crudelis, à militibus occisus est, qui fratrem ejus Casanum, omnium truculenter gestorum suasorem una interficere volebant, verum fuga elapsus ille perveniebat ad Sultanum

Ægypti, & Comagenes præfe-
A.C. cturam obtinebat. Succedebat
1290. Batus primæ inter gentiles suos
nobilitatis Princeps. Hunc pro-
fligabat Casanus à Mamalukis
fortiter adjutus, ut eum hoc be-
neficio sibi obstrictum ad paris
gratiæ officia præstanda impel-
lerent. Casanus abjecta Muham-
medis lege, quam hactenus in
gratiam Sultani professus fuerat,
A.C. ad Christiana sacra redibat, præ-
1310. lioque victos Mamalukos expel-
lebat Syria. Nec tamen diu su-
perstes victoriæ suæ, maximas &
florentissimas opes reliquit filio
A.C. suo Habasaido, qui adscivit Mu-
1317. hammedis sacra, & belli studio
omisso, vicinas Orientis provin-
cias sediciosorum Principum
fortitudine ereptas sibi non ad-
modum curavit armis repetere.
Parthiam corripuerunt Assim-
beii, in Cappadocia novum im-
perium condidit Ottomannus,
Syria restituebatur Mamalukis.
Ita Asiæ imperio dejecti sunt Tat-
tari, qui per meliorem Orbis
partem victoriis maximis grassa-
ti, maximis populis suo arbitrio
leges dederant & Reges impo-
suerant.

CAPUT II.
De rebus gestis Turcorum novorum.

Ioh. Leonclavius. I. Postquam Oguzes ditionibus
suis, quas in Parthia amplissi-
mas habebat, pulsus, incolumis *Ioh. Lonicerus, Hermann. Risebergius.*
tamen evaserat manus Tattaro-
rum, ad Euphratis ripas fortuna-
rum suarum incrementa quære-
bat, modicis finibus contentus &
Saracenorum stipendiarius. Ejus
filius Orthogules per somnium
videbat, Lunæ splendorem ex
Muhammedani antistitis sinu ad
uterum suum reverberando, ma-
ximam lucem producere, qua in-
finita hominum multitudo col-
lustraretur. Id de futuro imperio
omen interpretatus Edebales sa-
crorum antistes, filiam suam ma-
trimonio copulabat Orthoguli,
unde prognatus est Ottomannus,
nobilissimus Turcorum Prin-
ceps, qui multum delectatus bel-
lo, stipendia faciebat sub Tattaris
maximarum legionum Rector, A.C. 1309.
quas deinde promissis ad se invi-
tabat, ut vagam Tattarorum mi-
litiam deserere, ac propriæ utili-
tati consulere vellent, eodem fere
tempore, quo similem ob causam
alii Turcorum Principes spreta
militia Tattarica novos domina-
tus per Asiam instituebant, Cara- *Laon. Chalcondylas lib. 1.*
mannus in Cilicia, Aladolus in
confiniis Tauri. Ipse vero Cappa-
dociam eligebat, ubi montes &
itinerum aditus obsidere poterat.
Crevit opibus terra marique;
postquam Rhodus Insula ei ac-
cessit. Hanc verò deinde
capiebant milites Hospitala-
rii, quorum præfectus erat
Fulco Villaretus, Ligurum &
Sicu-

Siculorum navigiis instructus.

A.C. 1328. II. Opes militesque pariter nactus à patre suo Urchanes, duos fratres occidi jussit, ut viribus unitis defenderet imperii rudimenta, neque sibi metueret à quoquam. Itaque patri ingenio & successibus par, liberalitate & comitate superior etiam, plurimas in Ponto gentes in militiæ ac fœderum societatem adduxit, & Asiam minorem perdomando Imperium Græcorum valde minuit. Ab Hospitalariis Rhodi novis incolis prælio navali victus, Oceano decessit. Prusiæ sedem regiam constituit, Niceæ condidit Gymnasium, in quo Doctores Saraceni profiterentur literas Arabicas, nec non Muhammedis leges. Dum præsidia Tattarorum ad Pontum Euxinum oppugnabat, sagitta percussus est, & quia spiculum humeri ossibus infixum citra vitæ discrimen revelli non poterat, obducta plaga febrem & saniem mortiferam aliquot post menses accersivit. Sepultus est Prusiæ. In eadem expeditione perierat major filius ejus Solymannus, equo delapsus, cum feram sequeretur venando, itaque minor

Leoncla vius lib. 4.

A.C. 1358. filius Amurathes I. successit magnus fraudum & simulationum artifex, laborum tolerantissimus. Hunc primis statim annis Johannes Palæologus Græciæ Cæsar in belli societatem assumsit, ut Cantacuzenum & reliquos proceres turbarum studiosos, qui Marci Crojevisii Bulgarorum Principis auxilio obsidebant Constantinopolim, depelleret. Subsidio ibant duodecim mille viri, & profligato Cantacuzeno, Bulgari quoque in fugam agebantur. Quatuor mille viros cohortibus suis adscribebat Cæsar, dimissis reliquis ut cum donariis ingentibus ad Regem suum redirent. Speculati illi fuerant Græciæ statum, cumq; prædarum divitias ostentando, inopi sed ferrum habenti Amurathi, animos adderent, validæ copiæ in Thraciam mittebantur, primoque impetu Callipolis expugnabatur, sub prætextu eo, quod aliter non possent infesta Bulgarorum arma prohiberi. His verò etiam eripiebat Adrianopolim, cum magna parte Thraciæ, Serviæ Despotam Lazarum Bulcovissium in castris improviso adortus, viginti mille viros in Cosovæ campis neci dabat, Princeps ipse occubuit, vicissim Rex à Christophoro Carbilovissio Principis ministro veterano, qui se transfugam simulaverat, peremptus sica decessit.

Leoncla vius lib. 5.

III. Ejus filius Bajazethes I. cognomento Gilderun, quod impetu magis abriperetur quam consilio regeretur, fratrem suum Jacobum laqueo præfocavit. Serviam crudeliter vastavit, & viros nobiles frustulatim concidit, imposito vectigali maximo Princi- A.C. 1389.

Leoncla vius lib. 6.

pem fiduciarium designabat Stephanum Bulcovissium socerum suum. Cum Andronico Palæologo societatem armorum inivit, multumque fecit in gratiam ejus, cæsis rebellium conventiculis per Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, Bœotiam, ipsis quoque Turcorum Regulis per Asiam minorem oppressis, ut Græciæ fines in pace essent: verum postquam domuerat Philadelphiam, unicus pacis ac belli arbiter per Græciam & Asiam, ne Europam paribus damnis involveret, ab Hungariæ Rege Sigismundo hostis declarabatur. Conscripserat ille egregias copias ex Hungaris, Bohemis, Germanis, addideratque Gallicas legiones Johannes Burgundiæ Princeps, obsidebant Nicopolim Bulgariæ urbem. Adveniebat Gilderun, struebatque aciem. Galli triumphabundi ante victoriam, ut victoriæ gloriam sibi arrogarent, in prima acie stare cupiebant, nec volebant sufflaminari, adeoque præcursorias hostium alas aggressi, non exspectabant, donec Germanorum cohortes & Hungarorum turmæ per stationes suas distributæ laboranti agmini opem ferre possent. Ita facile desæviit impetus, ac plurimis eorum interfectis, reliqui fugam arripiebant, comites fugæ Hungari & Bohemi, cædibus exponebant Germanos, vix elapso Rege Sigismundo. Burgundiæ Princeps dato precio domum abiit, solus è captivitate dimissus. Eodem victoriæ cursu Amphipolim expugnàbat, vastatisque Peloponnesi agris, Constantinopolim obsidione premebat, tunc demum pacem daturus Cæsari Johanni, cum ille mercatoribus Turcicis liberam in urbe habitationem permitteret, ac magnum censum solveret. Græci recusabant, & quoniam Europæ Principes nova auxilia corrogare non possent, ad Tamerlanem Imperatorem magnum Scythiæ Zagathaii confugiebant.

Chalcondylas lib. 2

A.C. 1394.

IV. Hic Tamerlanes restauratis belli artibus, per Tattarorum hordas colligebat exercitum decem centum mille virorum, & profligatis ad fluvium Maspham nimium vicinis Moscis, veteres fines Imperii firmabat, altero quoque prælio victor adversus Sinarum populos, faciebat pacem, & cum exercitu Samarcandâ profectus recta ducebat in Persiam, opulentam regionem, cæsisque proceribus invicem discordibus, & urbe Ispahana prorsum diruta, Gentis ejus Dominum sese efficiebat. Inde Georgianorum & Mengreliorum terras nemorosas peragrabat, captoque Derbentho, munitissima ad mare Caspium urbe, superato Achmede Principe, torrentis instar provolutus Mediam & Armeniam occupabat, Trebisondæ Imperatorem

P. ovius, P. Perodus, Arabsades, Johannes du Be.

A.C. 1395.

torem fœdere oblato sibi devinciebat. Hinc contendebat in Syriam, & Baridæum Legatum suum mittebat ad Principem Damascenum Sadi Sudum, qui juberet facere deditionem. Sadi occiso Legato parabat bellum, unde tantum indignabatur Tamerlanes, ut Muslimicos Regulos ubique interficeret, nobilissimasque urbes Halepum, Edessam, Hamatham diriperet, incolis gladio cæsis. Ad Damascum hærebat tantisper, quando arx munitissima nolebat deditionem facere. Ergò cæsa in monte Libano materia arcem vallo excelso circumdabat, ut per mœnia injectis spiculis & ignibus succensis custodes omnes interficerentur. Occurrebat Melech-Taheder Sultanus Ægypti cum exercitu Mamalucorum, sed victus refugiebat domum, & Tamerlanes ad Eufratem, crudeliter victoria sua usus, Babylonem, Meredinam, Nisibim solo æquabat. Tunc flectebat agmen in Cappadociam, & obsidebat Sebasten, quam cum valido præsidio obtinebat Orthogules filius Bajazethis. Aderant plurimi Caramanniæ, Lydiæ, Cappadociæ Reguli exsules, quorum opes nuper everterat Bajasethes: his adjunxerant sese Legati Græcorum, una omnium suppliciter obsecrantium vox erat, votum unum, ut Bajazethes armis edomitus ad minorem potentiam redigeretur. Dum in stativis ad Sebasten considebat, per Legatos indicabat Bajazethi, ut, quando pacem habere vellet, restitueret exsules, adhæc profugum Babyloniæ Principem Josephum dederet ad supplicium, & minori Asia decederet Ponti regno contentus. Bajazethes omisso re- A.C.
sponso, armis defensurus vitam 1398.
opesque suas, parabat exercitum, cumque popularium copiæ non viderentur hostium multitudini sufficere posse, Tattaros Nagajenses & Cheremissos ære conducebat, Casam urbem valido præsidio instruebat, Genuensium incolatu celebrem: triginta mille viros è Mamalucorum gente sibi adjungebat adversus hostem communem pugnaturos. Pro- *Leoncla*
gressus in Cappadociam, ut Seba- *vius lib. 7.*
sten liberaret, serius paulò, nam Tattarorum impetu superata urbs, occisis incolis, perempto Orthogule, ingratum illi nuncium attulit. Mox concurrebant acies in latissima planitie ad Stellani montem, summi utrinque erant duces, & in unius prosperæ vel adversæ pugnæ eventum de vita atque imperio Asiæ dimicaturi. Toto die prælium extractum est sagittis, gladiis, hastis, contis, donec in occasu Solis Turcorum acies nutaret primum, inde prorsus concideretur fraude Tattarorum mercenariorum, qui deserto Bajazethe ad hostem transibant.

bant. Fortiter decertabat Marcus Bulcovissius Serviæ Princeps, ut Bajazethem perditis jam rebus periculo eximeret, sed repulsus à circumfusis hostium turmis captivum Regem in manibus eorum destituebat. Tunc ferreæ caveæ inclusus, miserum domitæ Asiæ spectaculum præbebat, aureis catenis vinctus. Tamerlanes deflectebat agmen versus Nilum, & capiebat Damiatam. Ne totam Ægyptum depopularetur & maximas opes intra Memphim depositas auferret, una sitis prohibuit quæ per arenosas solitudines aquæ indigas timebatur. Proinde reversurus domum iter faciebat per Mesopotamiam, & captivus Bajazethes ubique terrarum cum magno ludibrio circumductus, tolerabat omnia certa semper spe nixus, quod à carcere liberari posset, verum cum audiret de itinere versus Samarcandã instituto, ut perpetuos carceres effugeret, capite ad laminas ferreas repetitis ictibus contuso exspirabat prope fluvium Oxum. Rex magnus, qui victoriis multis clarissimus universum Orientem animo invaserat.

A.C. 1399. *Leonclavius l. 8 9. 10. Chalcondylas lib. 3.*

V. Ejus filius Josua maximus natu colligebat militum reliquias per Cappadociam, & postquam Tattari in Ægyptum discedebant, imperium aliquod meditatus, fratribus suis insidiabatur. Eorum fortissimus Solymannus, legionum trium præfectus in pugna adversus Tattaros, Cæsaris Græciæ Johannis amicitiam obtinebat, quâ non infeliciter usus, Josuam prælio superatum obtruncabat, Græcis maritimam Asiam restituebat. Dum vicinos bello petebat, alter frater Moses Dacorum ope invadebat eum, prælioque captum interficiebat. Et verò cum indignaretur, Græcos auxilia submisisse Solymanno, prædatorium agmen expediebat in Peloponnesum, quod cum strage repulsum est, adeoque Cæsar Johannes novum hostem concitabat illi, Orchanem Solymanni filium. Hunc per insidias comprehensum jubebat strangulari. Demum prodibat Muhammedes frater minimus, qui hactenus apud Ismaëlem Caramanniæ Principem degebat. Confligebat non semel, victus semper, per sicarios occiso Mose imperium obtinebat. Græcorum amicus, perpetuam illis conservabat pacem. Dacorum Principi amplissima donabat munera, & Caramanniæ Regulo urbes divites beneficii jure permittebat, ut pristinæ familiaritati gratiam adderet. Tamerlanes occupaverat Damiatam & Alexandriam urbes, prælioque superior devicerat Ægyptios. Inde bello aggrediebatur partem Indiæ, ubi Mogoles imperant, spoliisque in patriam suam deportatis, reditum molieba-

A.C. 1401.

A.C. 1404.

hebatur in Asiam, sed Ancyræ defunctus magno terrore liberabat Turcos, modicis pręsidiis suffultos Et quomodo vivens terrori fuerat mortalibus, ita umbrarum terroribus & fremitibus horrendum in modum tumba ejus circumsonuit.
A.C. Sigismundus Hungariæ Rex con-
1409. tendebat in Serviam, ut veteres
Leonclavius lib. 11 Chalcondylas lib 4. Regni fines ab hostium incursionibus liberaret, conflictu ad Columbacium orto vincebantur Hungari, & Muhammedes conservabat belli jure clientelas amplissimas per Europam.

VI. Cum Venetis infeliciter pugnabat ad Callipolim, & deinceps à mari abstinebat, quod Venetorum potentiam admodum promovebat in maritimo tractu
A.C. Joniæ subigendo. Felicius age-
1419. bat filius ejus Amurathes II. Scilicet videbant Græci, quod post Tamerlanis obitum respiraverant Turci, itaque domesticis litibus involvere eos, armisque invicem
Leonclavius l. 12. 13 Chalcondylas lib. 5. committere studebant. Fama vulgabatur, Bajazethis filium aliquem Mustapham, de carcere Scythico elapsum, in vivis esse, credebant Græci, & societatem erronis pacti seriò, auxilia mittebant, duce Thoma Cæsaris fratre, expugnabant Adrianopolim & Callipolim. Sed proceres gentis defendendo Amurathem, magnum belli robur colligebant, pugnabatur ad urbem Prusam, & victus Mustapha refugiebat Adrianopolim. Secutus Amurathes obsidebat urbem, è qua noctu profugiebat Mustapha, comprehensusque in itinere, laqueo necabatur. Dedebatur urbs, & verò Amurathes ultionis studio incensus, maximis copiis invadebat Constantinopolim, attamen re infecta discedebat, quoniam liberis mari suppetiis inferebatur commeatus. Ad maris potentiam contrà Venetos asserendam, portu firmo sibi opus esse ratus, capta Thessalonica, & evastatis Serviæ, Bossinæ, Epiri, Ætoliæ regionibus, de valida classe fabricanda consilium inire cepit, ut Græciam terra marique affligeret. Interim Georgius Serviæ Princeps dicionibus suis mulctatus, evocabat Albertum Cæsarem Germaniæ, à quo cum exercitu valido missus Albertus Brandeburgicus, equestri prælio vincebat Turcos ad Sinderoviam. Hi desperato progressu refugiebant in Asiam, collectis per ocium novis copiis, quibus non longo post tempore, defuncto Alberto, in Ungariam adductis, cingebant Belgradum. Tàm validum propugnaculum conservaturus Johannes Huniades Comes Bistriciensis, velitatione cædebat hostes, qui castris motis abibant in Thraciam. Carpebat agmen Uladislaus Rex, & Carambegum Phrygiæ Bassam captivum deportabat Budam. Gratum erat Principibus Asiæ, de tot cladibus Amu-

rathi illatis nuncio percipere, cum primis Regulo Caramanniæ, qui rebus novis studebat.

A.C. 1443. VII. Amurathes veritus, cum multis simul hostibus pugnare, offerebat pacem Hungaris, aut inducias solum. Has obtinebat decem annis perstituras, quandò terras omnes Ungariæ contiguas restitueret, Serviam Principi Georgio redderet, Græcis pacem servaret. *Chalcondylas lib. 6.* Leges hæ juramento firmabantur, & Amurathes progressus in Asiam, viribus totis movebat adversus Caramanniæ Principem Abrahamum. Is Galatiam & Cariam depopulatus ad subsidia Persica respectabat, ut non sine periculo eum Amurathes invaderet. Dum ibi vario eventu pugnabat, Græciæ Cæsar & Veneti cum duplicata belli mole ingruendo, tota Asia ejicere Turcos consilio non quidem malo, sed artibus pessimis usi, studebant, ac persuasi, Ungarorum opibus rem tanti momenti posse adjuvari multum, Regem hortabantur, ne datam Barbaris fidem religiose conservando meliores rerum gerendarum successus corrumperet. Eugenius Papa Italico auro conductus, ut juramenti vinculum solvendo Regi plenum indultum concederet, mittebat Julianum Cæsarinum magnæ authoritatis Cardinalem cum plena potestate, ad proclamandum tota Ungaria bellum sacrum. *Iovius l. 2. Elogiorum num. 14.* Et speciosis verbis opus erat, ut proceribus adderetur animus, reluctante imprimis Dracula Walachorum Principe non lævæ mentis. Rex tamen juvenis incertæ belli gloriæ, quàm securæ pacis avidior assentiebatur Cæsarino, atque authoritate sua permovebat Huniadem, ut accederet sententiæ illi, promisso insuper ei Bulgariæ regno, qnando bellum feliciter confectum esset. Itaque motis signis copias ducebat in Thraciam, & Danubio trajecto, cum Italica classe, quæ Græcorum societatem sequuta Archipelagum obtinebat, conjungere sese volebat, antequam Amurathes ex citeriori Asia cum justo exercitu hostium viribus unitis occurrere posset.

VIII. Ac ille quidem fremens & gemens, uti poterat, non uti volebat, cum Principe Caramanniæ bellum componebat, & celeri itinere octoginta mille viros Callipolim perducebat. *Chalcondylas l. 7. Leonclavius l. 14.* Ligurum navibus provectus in Thraciam. Nec minus celeri ductu prosequebantur iter suum Hungari, ad Varnam stabant Turci, & quia hi volebant separare Hungaros à Græcis, illi verò conabantur perrumpere stationes hostium, integro triduo pugnabatur. Vincebant demum Turci, Rex Uladislaus telis confossus exspirabat, Cardinalis Julianus in fuga ab Hungaris ipsis, A.C. 1444. quod cum Sacerdos esset, contrà jus Gentium fidem violandam abrupta

rupta

rupta pace, fœde censuerat, obtruncabatur. Hæc est clades illa Varnensis, perjurii crimine attracta. Ad Græcos deinde conversus Amurathes, Peloponnesum vastabat, censum imperabat. Ne Ungariam Rege orbatam prorsus edomaret, Huniadis fortitudine impeditus est. Is finito ad Varnam prælio conquirebat auxilia Serviæ, Walachiæ, Macedoniæ Principum, ut reversuris fortè hostibus opponere posset copias justas. Verum non perinde omnes largiebantur, quæ postulabat ille. Dracula Walachus hostilia agitabat animo, eum præveniebant Ungari & captivum factum securi feriebant. Georgius Bulcovissus meliore in Huniadem affectu provocabat Turcos ad iram, rebusque suis diffisus fugiebat in Macedoniam. Hanc regionem occupaverat Georgius Castriotus, in Turcorum castris notissimus, qui Scanderbegum vocabant ob res fortiter gestas. Ita viribus junctis profligabant Turcos in campis Cosovæ, ipsumque Amurathem pertinaciter urbis Crojæ obsidioni inhærentem cum strage depellebant.

M. Barletius.

A.C. 1451. IX. Correptus apoplexia laboriosam animam exhalabat Rex fortis dubiæ, qui rebus iis potitus est, quas non speraverat, excidit aliis quas habebat in votis, conditor phalangis Janisarorum, induratæ virtutis militum. Succedebat ei filius Muhammedes II. consiliorum autoritate, magnitudine animi, præliorum successu invictus. Græciæ Imperium eversurus, quod non tàm domesticis opibus, quàm vicinorum populorum auxiliis fulciebatur, ad Pontum Euxinum condebat arces, unde posset mercenarias Dacorum & Hungarorum legiones avertere semper, ne laboranti Græciæ opem ferrent. Interpellabat opus Cæsar Constantinus, verbis solùm, quia armis non valebat, & tot gentium claustrum unius arbitrio regebatur deinceps. Expugnabat Heracleam, tributum imperabat Cæsari, Athenas, Spartam, Corinthum mœnibus nudabat & Palæologos in servitutem redigebat. Cæsar pro libertate sua retinenda denunciabat hosti bellum, quod is facili opera intra unius civitatis mœnia redigebat, quadringentorum millium virorum exercitu, navibus ducentis quinquaginta, adductis. Verberabat mœnia grandibus machinis, & perpetuo militum assultu incolas adeò fatigabat, ut corporis reficiendi vix spacium relinqueret. Evertebantur propugnacula, & quamvis aggeres intus reparabãtur, delassati cives, ubi nulla subsidia aderant, effracto portu, cedebant cum impetu accurrentibus hostibus. Cædibus ac rapinis miscebantur omnia, Cæsar ad necem usque pugnando, occum-

Chalcondylas lib. 7. Leonclav. lib. 15.

Leonh. Chiensis.

A.C. 1453. *Christoph. Richerius in relatione de expugnatione Constantinopol.*

cumbebat unà cum multis millibus Civium ac peregrinorum. Hic fuit Imperii Asiatici finis, quod mille centum & viginti annis à Constantino Magno ad Constantinum Palæologum steterat. Visum à Turcis obsidentibus ingens lumen è cœlo in urbem nocte demitti, alteraque nocte ad cœlum reverti. Indicatum fuit, illuminatam olim urbem divinitus, porrò ad tenebras condemnatam esse. Muhammedes non jam Rex Turcorum, sed Asiæ Imperator, pro restauranda urbe revocabat opibus spoliatos cives, ut domos vectigales inhabitando, sacra more suo in conventibus publicis celebrarent, lectumque ab eis Patriarcham solenniter confirmabat. Et ne Asia duos Imperatores haberet, armis petebat Davidem Comnenum, qui Pontum & Colchidem regebat, Trebisondarum populos, ac Parthorum societate nitebatur. Aderant Usum-Cassanis legati, deprecaturi Regis sui nomine, ut Comneno parceret, Regis socero. Rejectis illis classe immissa devastabat oras maritimas, & ducentorum millium exercitu comitatus expugnabat Trebisondam, Comnenum filiosque ejus interficiebat. Magna hæc victoria fuit potensque Asiæ Muhammedes, gravis accola Parthorum futurus, nondum tamen eos lacessere ausus, mare potius navigando, Lesbum invadebat, Græci

Chalcondylas lib. 9

Chalcondylas l. 10.

Imperii partem, sed à Nicolao Catelusio Patricio Genuensi ære multo redemptam ante multos annos, cum propter lites intestinas Græci venalia omnia habebant. Catelusius à Turcis superatus obtruncabatur, antequam Ligures auxilio venire possent.

X. Statim regressus in continentem, Parthos levi prælio excipiebat, vincebatque machinis æneis instructus, quibus carebant illi. Et quamvis Lusitani Ormusio, nec non Veneti ex Cypro bombardas submitterent, ipsique Toccatam in Armenia minori primum, deinde etiam Trebisondam caperent, tamen conflictu ad Arsengam in Euphratis ripa victi refugiebant domum, ac Medorum rebellione vexati pacem hosti dabant. Qui Venetorum ditiones mari ac terra invadebat, copiasque sub ductu Hieronymi Novelli ad Soncium amnem profligabat, fœderatum eorum Stephanum Illyriæ Principem deditionis postulabat. Stephanus honesta morte cadere potius, quam crudelissima servitute premi volebat, præliisque concurrendo semper hactenus victor, multa millia occidebat, reliquos fugabat pestis. Postquam aura fuit repurgata, novam expeditionem capiendo Muhammedes, ter centum mille armatos in felices Illyriorum terras ducebat. Princeps recentium bellorum calamitatibus fractus, viris opibusque exutus,

ab Hungaris & Polonis, quando alienæ injuriæ obnoxii fieri nolebant, desertus, à Venetis & Scanderbego non satis valida manu adjutus, Dorobyssam & Jaislam, optimas urbes, permittebat hosti, ipse fugiebat Clissam, ubi circumsessus & fame pressus, dedebat urbem, vitæ incolumitatem pactus. Sed cum exiret urbe, pacto rescisso occidebatur, Lazaro filio ejus vectigale regnum tradebatur. Lemno Insula pellebantur Veneti. A quibus maximum bellum conflatum est in Ligurum & Thuscorum societate, eductis navibus sub Victore Cappello, Bartholo Estensi, Ludovico Lauredano, Christoforo Moro. Recipiebatur Lemnus, & Peloponnesus vastabatur. Dum obsidebant Corinthum, oppugnabant castra eorum Turci, & cæsis sex millibus, fugatis totidem, naves admovebant Lemno. Potiti sunt illa primo impetu, inde Eubœam petebant, Chalcidem Insulæ hujus metropolim obsidebant. Magna virtute defendebatur, occisis quadraginta millibus hostium, perpetuis demum victa assultibus deditionem faciebat, inspiciente Nicolao Canali Venetorum præfecto, qui cum mediocri classe ad Scyrum stabat, immensas Barbarorum copias lacessere veritus.

M. Antonius Sabellicus lib. 28. rerum Venetarum.

XI. Pars classis ejus ad Smyrnam appellebat, ventorum impetu jactata, donec pyratæ eversam omnino aut spoliarent, aut mari demergerent, Canali occiso effugiebat Morus. Ita Venetos satis ultus, porrò Scanderbegum invadebat, plurimis victoriis celebrem, opibus verò exhaustum. Quamobrem volentes subditos, ut cædibus parceretur, depositis armis, Imperatori suo restituebat, & in Venetorum dicionem commigrabat, Barbarorum terror, à quibus nunquam terga vertit, nunquam victus est. Decessit Clissæ. Muhammedes verò ocii impatiens aggrediebatur Tauricam, & Cafam, veterum Gottorum coloniam antiquissimam, Tattaris permixtam, expugnabat, Præcopitas domabat. Mox reversus in Hungariam, cingebat Belgradum, improspero eventu, nam multis assultibus frustra factis, ipse etiam ad mammam lævam sagitta percussus necis periculum incurrebat, fugamque capiendo opulentiæ plena castra deserebat, ut diriperentur ab Huniade. Qui paulò post obiit, rebus adversum Turcos gestis clarissimus. Ultimus conatus ejus fuit in adornanda valida classe. Ejus partem unam tribuebat Mesithi Bassæ, ut Rhodum oppugnaret. Præerat Hospitalariis eo tempore Petrus Dambussonus, quo fortiter rem gerente in fugam agebantur hostes, multis millibus amissis. Alteram partem dimittebat ad affligendam Italiam, itaque appellebat militem in Apulia, expugnabat

Iovius l. 3. Elogiorum num. 5.

A.C. 1467.

Sabellicus lib. 29. & 30. rerum Venetarum. Hydruntem, incolas partim ferro mactabat, partim in servitutem abripiebat, novisque supplementis instructum Acomathem Bassam jubebat contendere versus Romam, ubi subito pavore impleta sunt omnia, & Papa Sixtus volebat aufugere in Galliam. Sed huic persuadebat Alphonsus Rex Neapoleos, ut maneret, velitationibus feliciter actis hostem remoratus, ne quicquam corriperet præter littoralem Apuliæ tractum. Muhammedes novis litibus cum Sultano Memphitico propter finitimos Syriæ agros implicatus, exercitum colligebat, sed morte præventus A.C. 1481. in stativis ad Nicomediam finiebat omnia, non sine veneni suspicione, quando indomitam belligerandi cupidinem in Imperatore oderant ipsi ejus aulæ militiæque proceres. Militarem gloriam, eximiasque dotes animi crudelitate maculavit, nullo etiam certi Numinis metu ductus, quorumvis sacrorum cultores æquo animo tulit, unum bonæ fortunæ Nomen cœlo adscripsit.

XII. Duos habuit filios, unum Zisimum ætate majorem, alterum Bajasethem, minorem, qui tamen militũ suffragio creabatur *Iovius l. 2. hist. Leonclavius lib. 16.* Imperator, eam ob causam, quia patre Imperatore genitus erat. Zisimus obtinebat Prusam, sed vicinas provincias invadebat, Bajasethes colligebat omnes ex Europæ præsidiis militum delectus, eisque ducem addebat Acomathem Bassam, pugnabatur ad Niceam, victusque Zisimus abibat in Syriam. Præerat Mamalucis Caithbegus, sed hi nondum videri volebant aperti hostes Turcorum esse, proinde navi confugiebat ad equites Rhodienses, ubi metu plena erant omnia, ne alienis malis accessio fierent ipsi, demum proficiscebatur Romam & sacris nostris perceptis obibat. Cœterum Bajazethes patri multum dissimilis, non admodum delectabatur bello, pacis amans & literarum studiis impense deditus Averrhois libros pervolvebat. Donec militum importunitate victus est, quorum præcipuus ductor Acomathes, desertor Christianorum, quæsito prætextu occidebatur, antequam serio capiebantur arma. Patris causam adversus Mamalucos tuebatur, itaque Cherseogles, Ferhates, Mesithes, Halibegus in Ciliciam ducebant. Orto prælio ad Tharsum cædebantur Turci, Ferhates cadebat in acie, Cherseogles captivus ducebatur. Bajazethes reparabat copias, mittebatque Halibassam, ut diversa progressus via Comagenam peteret. Is victor expugnabat Adenam, profligatisque Mamalucis inducias aliquot mensium paciscebatur, dato pretio redimebat Cherseoglem.

XIII. Finitis induciis Cherseogles

gles repetebat Ciliciam, & postquam Iconium præsidiis firmaverat, Larandam munimentis cinxerat, transibat in Comagenam. Sultanus proditione civium potitus Laranda, interficiebat Jacuppum Bajasethis generum, filium Usun-Chassanis Parthorum Regis, & Iconium cingebat. Urbi auxilio veniebat Cherseogles, pugnabatque dubio eventu. Mox pace finiebantur lites, & Turci in Pannoniam vicinasque regiones divisis copiis irruendo, solitudinem faciebant ubique. Eis insidiatus Johannes Castriotus Epiri & partium Macedoniæ Princeps, præda exuebat Jacuppum Bassam in reditu, occisis septem millibus Turcis, liberatis decem millibus captivis. Scanderbegi filius erat, Venetorum socius, à quibus copias per Liburniam accepisse dicebatur. Ergo Bajasethes infensus Venetis Daustum Bassam emittebat cum maxima classe, ut Sporades Insulas diriperet. Eodem profectus Antonius Grimanus cum Venetorum copiis non dubio eventu credebatur potuisse victoriam hostibus extorquere, quando illos invadere voluisset. Dum cunctatur, expugnabant Turci Naupactum celebrem portum in Peloponneso, dedente illum præfecto Mozenico, aut avarè aut timide, nec non Methonam & Coronam urbes. Rursum Veneti impetratis sub Consalvo Magno auxiliis Hispanicis, & conflictu ad Patras habito, quadraginta hostium triremes evertebant, fortiter pugnante Benedicto Pisaurio. Sed tamen pacis cupidi, misso legato Antonio Gritti redimebant bellum, tradita Leucade, quam Græciæ urbem nuper ceperant, & retenta Cefalonia insula.

XIV. Bajasethes cum podagra admodum torqueretur, vitæ suæ incertus, militumque factionibus territus, successorem ordinabat filium suum natu majorem Achmedem, mitis ingenii Principem, moribusque patri simillimum. Huic præfecturam Asiæ commiserat, veritus irruptiones Parthorum, qui Regem Ismaelem Sofi nacti, autorem novæ religionis, felicibus armis formidolosum, clientes sectatoresque ejus trahendorum in causam populorum nomine passim emittebant, & amplissimas prædas in Cappadocia agebant, Caragium Bassam velitatione captum palo infigebant. Verum natu minor filius Selymus, avo Muhammedi similior, & propter bellandi studium militibus gratissimus, procerum animos occupaverat, ut eum patri succedere palam cuperent. Ipse quoque legionibus Præcopitarum eductis patri denunciabat bellum, nisi voto suo faveret. Cherseoglis & Mu-

Mustaphæ principum Bassarum artibus effectum est, ut Janisari vocibus sediciosis poscerent Imperatorem Selymum. Quo per- *Iov.l.3.& 14 Ludovicus Tubero l.9. o. Comment.* cepto Achmedes exercitum suum lustrabat in Cappadocia, omnemque Asiam brevi temporis spacio domabat, Patris imperatoris nuncios, qui jubebant, ut armis depositis ad officium redirent ipse & filii ejus, capite truncabat, Corcuthem fratrem suum, Ioniæ & Pamphyliæ Dominum subsidio accersebat, ætate sibi proximum. Sed hic monitus ab amicis renunciabat societati, & Magnesia profectus Constantinopolim deprecabatur apud patrem. Selymus in Regia coronabatur, patre dimisso in Thraciam, ubi deinceps viveret privatus, & filiorum suorum contentiones *A.C. 1512.* armatas, remotissimus ipse ab illis, inspiceret. Exitum non videbat, paucis post diebus veneno peremptus à Medico Judæo, volente ac jubente Selymo. Hic pacem firmabat cum vicinis omnibus, ut fratrem suum Achmedem tanto melius debellare posset. *Leonclavius l.17. Sabellicus l.3.& 4.supplem.* Ducebat copias in Lydiam, & primo quidem Corcuthem, literarum studiis incumbentem per lictores comprehendi & Smyrnæ strangulari curabat. Ad fines Galatiæ dimicabat cum Achmede, qui victus inque fuga comprehensus à Bostange, laqueo præfocabatur, cadaver Prusæ tumulatum est. Ejus filii duo Amurathes & Aladinus, quanquam à Mustapha Bassa jam comprehensi in manibus essent, tamen dimittebantur ea lege, ut voluntario exsilio damnarent seipsos, ac Turcorum finibus pace & bello in perpetuum abstinerent.

XV. Mustapha domum reversus accusabatur proditionis, & nigra stola donatus primum, inde securi percussus Prusiæ, insepultus abjiciebatur. Creditum est, quod Imperator benificiis ejus obstrictus, cum reddere parem gratiam non posset, levissimæ culpæ reum interfecerit, à quo Imperium acceperat. Principes captivitate soluti non servabant fidem, quam dederant. Amurathes in Persiam fugiebat, *Iovius l.4.* Aladinus in Syriam. Et Amurathes quidem Sultani Ismaëlis Sofi gener factus, validas copias, quibus Usta-Ogli præerat, ad Sebastam locabat, actisque tantisper prædis, Selymum Natoliæ exercitu comitatum velitatione aliqua prospere habita non leviter turbabat, majorisque operæ precium facturus ultra fluvium Araxem recedebat, eo propior futurus Parthorum subsidiis. Antequam illa adessent, fidenter persecutus hostem Selymus, prælio cruentissimo decertabat in campis Zalderanis prope Choimam oppidum, vincebatque, sed

tamen

tamen parum distabat à victo, postquam equitatus omnis cum Hassemo Bassa deletus fuerat. Parthi relictis impedimentis fugiebant, & Taurisium opulentissima Mediæ urbs diripiebatur.

XVI. Parthi revertebantur in expeditionem, cum ingenti manu ex Iberis & Mengreliis collecta. Evaserant Turci in Cappadociam, spoliorum parte mulctabantur non tantum à Parthis, verum quoque à Taurinorum & minoris Armeniæ Principe Aladolo. Hunc novo bello aggressi Turci, expugnabant Ciamassum in montium aditu sitam urbem, & prælio uno superiores totum Regnum vastabant. Princeps in dicio militum proditus è nemoroso antro, in quo sese abdiderat, educebatur & securi percutiebatur. Filius ejus evadebat fuga in Ægyptum, & Selymus confecto bello redibat in Thraciam, novos exercitus collecturus. Mamaluci rebus contra patrem ejus nuper gestis elati, ultra Syriæ fines proferebant arma, victi præliis multis & deleti prorsus à Turcis, imperium suum finiebant. Dum consilia miscebat cum Bassis, quo modo Rhodios classibus invadere, ac porro Hungaros debellare posset, cancro in pectore nato extinctus est. Princeps acumine ingenii & mentis promptitudine celebris, cœterum iracundus & sævus, à patris cæde exorsus, perrexit ad fratres duos & fratrum filios omnes, Regiæ indolis juvenes, iisque interfectis, unicum filium Solymannum in vivis conservavit, quem Pyrrho Bassæ commendavit, insimulque præcepit, ut post obitum suum arma verterentur in Christianos tanquam veros hostes, neglectis Persis, quorum inanem superbiam satis ipse contudisset. Hic paternorum consiliorum hæres Ungariam multiplicibus expeditionibus devastabat. Ac prima quidem expugnabat Belgradum, validam in Savi & Danubii confluente positam urbem, quam tamen Amurathes & Muhammedes, duo belli fulmina, irritis conatibus impetiverant. Inde Constantinopolim reversus, militem navibus imponebat, missoque præfecto maris Mustapha Rhodum invadebat. Cuniculis actis dedebatur urbs, Equites incolumitatem vitæ ac fortunarum pacti discedebant. Secunda vice profectus in Ungariam, capto Varadino, prælio victor Ludovicum Regem vita & regno spoliavit, Budam occupavit, diripuitque, & nullo præsidio firmatam iterum deseruit. Hinc ceperunt funestæ contentiones inter Johannem Sepusiensem Comitem, à proceribus electum ut Regi defuncto succederet, atque adversarium ejus Ferdinandum Austriacum, qui Regis defuncti sororem matrimonio duxerat.

Marginalia: *Jovius l. 7 & 8.* — A.C. 1520. — *Jov. l. Leonclavius lib. 18.* — A.C. 1522. *Iacobus Fontanus.* — A.C. 1526. — *Melchior Sotterus. Jov l. 29. 30. hist.*

xerat. Prævaluit initio Ferdinandus, & Budam progressus cum Germanorum copiis, prælio cædebat Ungaros ad Toccajum. Perstabat tamen incolumis Sepusiensis, opibus Turcorum adjutus. Eo defuncto Budam Sultanus denuo capiebat, Viennam Austriæ obsidebat. Hanc Philippus Comes Palatinus Rheni viriliter defendebat, viginti ruinas mœniorum, quas Barbari perpetuis catapultarum pulsibus effecerant, novis aggeribus semper obstruendo. Carolus Imperator adducebat validas copias, à quibus in fugam versus, provinciis Austriacis immaniter direptis, repetebat Ungariam, immensam captivorum multitudinem secum trahens. Atque is ipse Carolus Imperator eodem tempore Equitibus Rhodiis, qui hactenus Syracusis habitaverant, donabat Maltam Insulam, ut Turcos perpetuis excursionibus affligerent.

A.C. 1529.

XVII. Porro ducebat adversus Parthos, quibus Thomas Ismaëlis filius imperabat. Dum ille civili bello adversus Hyrcanos confligebat, Turci profecti è Comagena invadebant Diarbecam, & clarissimas in ea urbes, Amidam, Edessam expugnabant. Inde Assyria debellata capiebant Babylonem, diripiebant Taurisium. Solæ manubiæ erant præmium belli hujus, nam postquam Turci abierant, cæso præsidio Babylon redibat ad veteres dominos, Mesopotamiam retinebant Turci. Tertiam orbis partem ingressus Mauritaniæ littora vexabat classibus Archipiratarum ad se traductis. Eorum unus Draguthes Tripolitanum Regnum obtinebat, ejecto Regis Tunetani milite, & in vicino Aphrodisio per amicum suum Abrahamum Embarcam, nobilem domi suæ civem, admissus, urbem potentem muniebat, prædonum receptus causa. Verum Andreas Doria subitò admovebat Hispanorum naves, cæsisque duobus millibus Turcorum, urbem solo æquabat. Dragutes hybernis in Gerbi Insula exactis, porro vicinas regiones turbabat, publicus humani generis hostis, neque satis fidus Regulis illis qui Muhammedis sacra observabant. Cairovanæ Principem solio deturbabat, & amplissimos agros Tripolitano Regno adjiciebat. Non contentus per continentem late nominis sui terrorem sparsisse, Gerbim quoque Insulam propinquam invadebat, ubi rerum potiebatur Suleiman fiduciarius Tunetani Regis & quidem amicitiæ specie in urbem Tripolim evocatum, nectebat vinculis, inde societatis cum Hispanis pactæ falso insimulatum.

A.C. 1534.

Iovius l. 33 histor.

Petrus Bizarus l. 23. historiæ Genuens.

latum patibulo figebat. Ejus filius elapsus de piratæ manibus veniebat in Siciliam, quando Hispanos adornare classem vulgabat rumor, qua Africæ oram depopulari vellent, Johannes Cerda Siculus, Aria Ligur, Medices Etruscus, Sandæus Italus, collecta manu, quæ majorem partem exules & proscriptos famæ restitutos complectebatur, tantum ut bello honesto operam navare quam vitæ suæ incerti per nemora oberrare, potius vellent. Dragutes operibus vallabat Tripolim, & Gerbim novo præsidio muniebat. Ad Maltam pervenerant Siculæ triremes, mox invadebant Gerbim, & conflictu habito pellebantur Turci. Dragutes abibat Tripolim, ut conservaret urbem, Uli-Zeli profectus Constantinopolim rogabat auxilia. Pialis aderat celeri itinere, cumque Siculi in struendo ad Gerbim castello occupabantur, oppressis illis, strage edita, naves plurimas exurebat, paucæ Maltam petebant. Castellum nuper exstructum fortiter defendebat Sandæus, verum laboribus & morbis victus conabatur erumpere adversus obsessores. Captivus factus mittebatur Constantinopolim. Dragutes à Melitensibus nocturna irruptione pellebatur Tripoli, ergo novis auxiliis confirmatus, naves ducentas comitesq; Sinanem Bassam & Piali nactus appellebat in littore Maltæ cingebat urbem, telis immissis, assultibus factis. Sed Equitum tanta virtus erat, ut plurimis cladibus attriti Barbari, Dragute ex globi ictu perempto, abirent, coacti quoque, ut hoc facerent ob celerem adventum Auriæ & Petri Garsiæ, qui sexaginta naves militibus onustos è Liguriâ & Sicilia adducebant, Insulamq; ingressi pugna stataria hostē profligabant. Victoriæ monumentum è spoliis Turcicis condita est nova urbs Valetta. Sinan Bassa tamen in discessu per nocturnas irruptiones capiebat Tripolim, ejectis Hispanis. Piali subigebat Chion Insulā, quæ ultra ducentos annos Liguribus paruerat. Alter Hariadenus tumultuariis velitationibus obruebat multos per Siciliā, Calabriam, Apuliam & Balearidū Insulas vicos, Corsicā Ligurib; & Ilvam Hetruscis ademptas novis præsidiis instruebat. Corcyrā rapinis exhauriebat. Cretā infestabat peremptis crudeliter incolis. Quamobrem Veneti duces suos mittebant, Vincentium Cappellū & Marcū Grimmanum, ut sociatis cum Doria viribus persequerentur Hariadenum.

Cælius Curio, Thua-nus l. 7 hist. & l. 26.

A.C. 1565.

Iovius l. 21. 2. hist. Sabellic. l. [illegible]. 17. 18. e sup. plemn tor.

XVIII. Is deflexerat in Sinū Ambraciū, eoq; Veneti convertebāt vela, sed ne in angustiis illis deprehensus pugnare cogeretur elapsus celeri itinere perveniebat Algieram. Ocii impatiens excurrebat in Tunetanum portum, &

Iovius l. 6. Elogiorum num. 21.

Mulejasse Rege fugato, urbis populique imperium volente Solymanno usurpabat. Rursum pellebatur à Carolo V. Imperatore, & Constantinopolim profugus reparandis apud navalia triremibus operam dedit, mortuus demum abdomine gravis senex, Hasanem filium Algieræ Regni hæredem, Solymanno vectigalem scripsit. Tertius Uli-Zeli admotis copiis expugnabat Bugiam urbem, & Regno Orano spoliare Hispanos volebat, eò facilius negocium confecturus, quoniam paucis retrò annis Jahaia pyrata celebrem arcem Velez in eodem tractu occupaverat, pulsis inde Mauris, qui cum Hispanis Penonium, vicinam urbem, incolentibus pacem firmam servabant. Oranum urbs tamen haut veniebat in potestatem hostium, maturè satis eo adductis Hispanorum auxiliis sub imperio Auriæ Liguris. Solymannus verò ultima expeditione delatus in
A.C. Hungariam, obsidebat Zige
1566. thum, defunctus apoplexia, antequam potiretur munitissima ur-
Iovius l. 38 be. Princeps rebus agendis industrius, prospera sorte plurimum usus, religionis & justitiæ amore inter suos clarissimus. Serinius Comes defendebat urbem, eversisque propugnaculis in densam hostium catervam procurrebat, ut fortiter pugnando caderet. Ita Zigethum admisit Barbarorum jugum. Selymus II. patri succedebat, qui cum Imperatore Maximiliano II. pacem inibat, legibus istis, ut Imperator partes Hungariæ, Regis titulo, obtineret, Sepusiensis vero Principatum Daciæ acciperet. Adversus eum seditiosi Arabes conati bellum, recuperaverunt Adenam. Hos Sinan Bassa magno prælio victos in ordinem redegit, & Mutaharem ad obsides dandos pro felice Arabia in obsequio continenda perpulit. Interim Plombinensis Ethruscæ classis Rector consilium inibat de Hippona intercipienda, unde captivorum numerum ingentem, nec minorem prædam sperabat, idque se confecturum ope transfugæ ultrò citroque ad urbem commeantis putaverat. Stabat haut procul à littore Africano, sed proditor nusquam comparebat, mox quoque tempestatibus compulsus abibat versus Caralim, demum veniebat in Corsicam, novoque commeatu refectus ex itinere confligebat adversus Caragialem piratam Algiera egressum, triremes quatuor submergebat. Veneti superiorum temporum cladibus irritati magis quàm domiti, navigabant mare, cæsis hinc inde Turcorum præsidiis. Eos vice una debellaturus Selymus, postquam audiverat, sive casu sive proditione deflagravisse armamentarium civitatis, mittebat

ob. Petrus Contarenus, Lonicerus, P. Bizarus, VV. Neomarius.

A.C. 1569. bat Cubatem Legatum, ad repetendam Cyprum Insulam, velut partem Ægypti, quatenus accessorium sequeretur principale. Respondebant illi, quod Cyprum ab intestato donatam accepissent benificio eorum, qui mero Imperio opulentum Regnum possederant, quodque suo imperio rexissent illud post ultimæ Reginæ Cornariæ obitum, integro seculo, nemine Sultanorum contradicente. Arma capiebant Veneti perinde ac Turci. Et hi quidem sub auspicio Mustaphæ, Muhammedis, Pialis Bassarum antiquæ virtutis & fidei, exercitum ducebant in Cyprum, exscendebant in portu Saline vix quoquam eos prohibere auso, quando pauci milites hinc inde castella quædam obtinebant, urbemque Nicosiam toto mense obsessam capiebant, cæsis aut pulsis incolis omnibus. Famagusta anni spacio vexata dederat sese, civibus qui abire vellent cum prætore Veneto, securitatem vitæ atque opum paciscebantur, ea demque promittebatur iis qui in urbe manere vellent. Prætor Marcus Antonius Bragadinus urbe egressus, contrà datam fidem vivus deglubebatur, Tribuni palis figebantur, militibus promiscue interfectis, civibus ad transtra religatis aut venum datis. Veneti post tantæ Insulæ jacturam sollicití maximè de Cretæ regno, quadraginta triremes in portu Caneæ viris armisque onerabant, sed diverso littore ingressus Uli-Zeli vicos, oppida, castella vastabat, Rhetimum pulcherrimam urbem milite vacuam subitò adortus capiebat & incendebat, vicinam Citheram spoliabat, prædaque gravis abibat Negropontum. Ergo Veneti rerum plurimarum inopes hactenus classem instruebant sub Hieronymo Zanio maris præfecto, insuper fœdus sacrum rogabant apud vicinos Reges & Papam, quia soli potentissimo Sultano resistere non possent Hispaniæ Rex Philippus educebat classem, eamq; regebant Johannes Austriacus Ammiralius & Ludovicus Requesensius, adjungebantur Melitensium, Ligurum, Etruscorum, Sabaudorum, & ipsius Papæ naves plurimæ de portu Anconitano. Contēdebant ad portum Lepanthum, ex itinere anchoris jactis stabant ad Echinadas Insulas. A.C. 1571. Occurrebant Turci pugnæ cupidissimi nec tamen omnes, quandoquidem Alibassæ & Hasani Barbarossæ filio ad prælium capessendum fervidis suasoribus manifestè contradicebant Uli-Zeli & Muhammedes Negroponti prætor, explorata hostium classe, de cujus valido apparatu eis bona fide referebat Caragealis Smurnæ præfectus. Fœderata classis formabat quadrupli-

Natalis Comes lib. 20. 21 22. hist. Thuanus lib. 49. 50 51.

P. Bizarrus, Natalis Comes lib. 23.

cem aciem, dextram Siculi tenebant, sub Andrea Doria, sinistram Veneti antecursores duce Augustino Barbadigo. Mediam regebat Johannes Austriacus cum Lusitanis, Castilianis, Melitensibus, & Venetorum subsidiis, quibus præerat Sebastianus Venerius, ultimam aciem sustinebant Marchio Sanctæ-Crucis & Antonius Columna Italicarum triremium præfecti. Atrox prælium ceptum est, & primo quidem impetu fugatus Doria quæsivit receptum apud Barbadicum, invenitque, donec sagittæ ictu sublatus Barbadicus excederet pugna, loco ejus successit Contarenus & viriliter pugnando occubuit. Dum ista æquis viribus gerebantur, optimo successu gavisus Austrius, & Sardorum virtute adjutus, navem prætoriam Turcorum expugnabat, Alibassa perempto. Ejus nece vulgata negligentius omninò agebat Hasan; fortiter adversus Doriam confligebat Uli-Zeli occisis multis, quia tamen solus non sufficiebat maximis hostium copiis, atque insuper Caragossæ fortissimi piratæ subsidia amiserat, frustra erat. Turci ad internecionem cæsi optimas naves perdiderunt, Uli-Zeli Capitaneus paucis triremibus subductis in Bosphoro appulit.

XIX. N c dubium est potuisse Turcis eripi Cyprum, quando v ctoriæ socii voluissent parta victoria uti rectius. Sat magno illa constabat Venetis, qui pace facta hostibus tradebant Cyprum, & navigationem in Pontum auro soluto redimebant. Interim clade nunciata Poloni ad se traducebant Bogdanum Walachiæ Principem, antiquæ fidei beneficiarium. Selymus terra marique instaurabat copias, ea felicitate, ut Polonos ejiceret Walachia, Tattarorumque subsidiis confirmatus, Moscorum diciones ad Tanaim & Volgam invaderet. Cæsus prælio urbem Astrakanam deserebat, vastatis longè lateque agris. Melius succedebat mari. Sinan Bassa & Uli-Zeles cum navibus ducentis oberrabant in Oceano, & reliquias victarum partium confirmabant. Mox invadebant Tunetum, & Goletta expugnata, toto regno pellebant Hispanos. Selymus obiit febri ardente. Ejus filius Amurathes III. gravissimo bello affligebat Persas, capiebat Mediæ urbes ditissimas, Georgianos liberâ hactenus gentem frequentibus pugnis attritos domabat, eorumque urbibus Summachiæ, Tabassaro, Cabbæ, imponebat præsidia, non sine magno Parthorum damno, qui populorum isto- A.C. 1574. Joh. Thomas Minadous.

istorum delectibus voluntariis semper usi fuerant. Magnam pro domandis populis illis operam Turcis navaverant Tattari Crimæi, qui copias triginta mille virorum sub duce Abdalla Gireio miserant, & montana castella dejecerant, incolis compulsis ut vectigalia dare vellent, Principibus eorum in captivitatem redactis, ut loco obsidum Constantinopoli essent. Hamethes Persa cum exercitu progressus Ispahanâ invadebat Colchidem, & superatis montibus cædebat Tattaros noctis silentio oppressos, Gireius captivus abibat Ispahanam, ubi tantisper liberaliter habitus, demum matrimonio petere ausus Codabendæ Regis filiam, procerum dolo interfectus est, qui Sophianæ sectæ adversum hominem odio prosequebantur. Summachia deserebatur à Turcis, itaque Persæ illam adorti flammis ac ferro devastabant, quod cives non solum sponte se Turcis dediderant, verum Osmanni Bassæ preciosa quæque asportandi ac fuga elabendi, celato discessu ejus, commoditatem præbuerant. Osmanes perveniebat Derbentum, ac Persæ redibant domum, quando invalescente hyeme & fesso milite urbem munitam tentare periculosum videbatur. Ab ejus discessu Turci proximas Georgianorum terras majoribus onerabant præsidiis, occisis propter rebellionis metum omnibus illis, qui Persis favere credebantur. Erat inter eos Samaël Princeps, cujus filiam Osmanes in matrimonium acceperat. Mox de pace actum est, induciæ verò conveniebant. Interim Crimæi popularium suorum clade irritati rebellionem agitabant, occulto cum Moschis fœdere innexi, & Caffam obsidebant. Maronitæ Libani accolæ per Syriam effusis agminibus prædas agebant, stationesque Arabum locis plurimis obruebant. Neutris eventus bonus aderat. Crimæi à Moscis deserti, & ab Osmane Bassa latissimis castris ad mare Caspium obtinente omnia prælio cæsi, Muhamedem Principem captivum offerebant, ut strangularetur. Maronitas domabat Abraham Bassa, spoliisq; horum onustus redibat in aulam, Sultani gener futurus & præfecturam Ægypti lucraturus. Osmanes recta ducebat Taurisium, & quia Persæ fugerant, civibus pecuniæ magnam vim extorquebat, arcemque condebat, ubi militem imponere posset. His gestis moriebatur ex intestinorum doloribus, & Sinan loco ejus imperabat, qui prælio victus à Persis, in Hiberiam abibat. Revocatus in Europam successorem habe-

habebat Ferhatem, virum impigrum, qui opera fida Mengreliorum adjutus copiosam annonam perferebat in arcem. Vix discesserat, cum Persiæ Sultanus mittebat filium suum Chanum-Emsam, additis octoginta millium copiis, ut Taurisio pelleret hostes. Dum arcem obsidebat, enatæ fuerunt lites cruentæ autore Hali-Zeli Mediæ præfecto, quibus componendis aderat Sultani filius, & per tumultum occidebatur, rebellium præcipuus Hali-Zeli ad Turcos fuga perveniebat. Sultanus non minus domi vexabatur filiorum superstitum contentionibus pro obtinendo imperio, quando senex pater obiisset diem suum. Capite luebant omnes, nepotibus in vita servatis, itaque Turcorum non poterat magnum damnũ adferri. Sed nec illi in aula rebus pacatis fruebantur. Abraham Bassa Libani spoliis onustus monetam depravabat, & stipendia militum diminuebat. Propterea securi percussus, odio publico satisfecit. Mauri pertæsi Turcorum ejiciebant illos Tripoli, atque urbem dedere volebant Melitensibus vicinis, si oportune subvenirent, verum Hasan-Bassa accelerabat cum magno exercitu, atque urbem recuperabat. Scander Bassa elapsis induciis expediebat in Ungariam, & Canisiam cingebat, nec tamẽ potitus urbe, & cum strage rejectus ad Daciæ fines consistebat, novis delectibus operam daturus. Hassem Bassa capiebat Wihissam & Castrovissium, ad Siseccum prælio victus & occisus, victarum partium reliquias tradebat Sinani Bassæ.

XX. Is capiebat Palottam & Vesprinum, inde Strigonium liberabat obsidione, quam Matthias frater Imperatoris urgebat. Rabam dedente Hardeckio Comite occupabat, progressurus longius, nisi eum Bathorius Daciæ Princeps impedivisset, qui Cæsaris fœderatus & VValachis ære conductis, magnum adversus Turcos bellum apparabat. Obiit Amurathes calculi doloribus confectus, & successit ei filius Muhammedes III. Qui Bathorium hostem nactus, copias validas in Ungariam destinabat. Expugnaverat ille VValachiæ metropolim Tergovistum, populo frequentem opibusque affluentem, nec non Lippam Ungariæ castrum. Sinan Bassa congressus ad Lippam, decem millibus amissis refugiebat Budam, ubi mœrore decessit, victor Bathorius per Thraciam agebat prædas. Cæsar missis ducibus suis res magnas gerebat. Ex iis Carolus, Mansfeldius obsidebat Strigonium, & quanquam in castris decederet, ab obitu ejus tamen Johannes Mediceus capiebat urbem. Sultanus damnis tantis affectus ducentorum

A.C. 1594.

torum

torum millium exercitum cogebat, Budamque versus movebat, inde præcursores Tattaros castra Bathorii & Palvii ad Temesvarum adorti pulsis iis viam liberam aperiebant proxime insequentibus commilitonibus. Hi cingebant Agriam, urbem prævalidam, quam cum præsidio regebant Turnius & Terskius Comites. Accurrebat Maximilianus Austriacus, sexaginta millium copiis instructus, prælioque habito primam aciem hostium feliciter profligabat, sed dum victores luxatis ordinibus cupiditate prædæ hinc inde volitabant, novæ Turcorum legiones à Cicada Bassa impulsæ restituebant pugnam, & victoriam rapiebant. Agria dedebatur, & Cicada Sultani beneficio accipiebat maris præfecturam, miles fortunatus. Classe profectus invadebat Hydruntum Apuliæ opulentam in littore urbem capiebatque incolis abductis. Rursum ulciscebatur factum Petrus Toletanus Siciliæ Pro-Rex, & viginti triremium classe instructus ad Achajæ littora improvisus appellebat, Patras urbem maritimam, in qua tunc frequentes nundinæ erant, expugnabat, ac præda gravis redibat Neapolim, haud auso Cicada impetum facere, qui tunc cum male instructis navibus ad Tænari pro-
A.C. montorium stabat Svarzenber-
1598. gerus Comes & Palvius noctu cum militum expedita manu profecti, Rabam effringebant, nitrosa machina ad portas applicita, cæsis præsidiariis. Turci tāto damno affecti, viribus præsentibus restituere volebant res collapsas. Strigonium & Varadinū adorti, inferiores acie discesserunt, ad Budam pugna superiores evaserunt. Qua victoria bene usus Abraham Bassa occupabat Canisam ad limites Styriæ, deditionem maturante Georgio Paradeisero. Eam recuperaturus Ferdinandus Austriacus, proceres suos compellabat de ferendis auxiliis. Facile assenserunt, & vero Sigismundus Turrianus imprimis hoc suasit, ne Evangelicus ullus in expeditione illa partem imperii caperet. Copiæ ex Italis, Ungaris, Bohemis, Germanis Papistis lectæ & Papæ authoramento obstrictæ sunt. Evangelici non pervenerunt in consortium cladis, ducum imperitia extracta obsidio, & hyemis rigore afflicti Itali (quod nocte una mille equites auxiliares obriguerant) profugerunt relictis machinis & impedimentis omnibus, Turrianus fluvio haustus periit. Turcorum eruptionibus obstiterunt Germani, qui sub Rusvvurmio Evangelicorum desertore militabant, ne fugientes Italos occidione delerent. Cicada reparabat classem, & Rhegium Calabriæ urbem su-

perabat, incolis opibusque in captivitatem asportatis, matrem vero fratremque suum incolumes dimittebat, precibus horum exoratus, postquam inter captivos ipsi etiam hactenus fuerant.

A.C. 1604. XXI Patri Muhammedi pestilente febre extincto succedebat filius Achmedes. Is Parthorum armis provocatus, qui Babylonem ceperant, & Gambolatum Syriæ præfectum ad defectionem impulerant, Cæsari deferebat inducias, neque Cæsar detrectabat, quem intestinæ Ungarorum, Dacorum, Bohemorum concertationes valde angebant. Gambolatus prælio victus à Serdare Bassa & supplex factus, vitæ opumque omnium gratiam impetravit, si contra Parthos ducere vellet. Quod fide optima præstitit, hostibus ab Alepi obsidione depulsis. Toscaniæ Princeps Ferdinandus naves expediebat in Africam, ut piratam Amurathem portubus omnibus spoliarent. Qui nusquam aderat, itaque Hipponam urbem aggrediebantur, cæsisque plurimis incolis, paucis vero captivis domos incendebant, prædam secum asportabant. Cosacki provecti celocibus in Ponto Euxino, triremes aliquas cremabant, & facta exscensione proximos Trapesondarum vicos diripiebant. Sultanus de acceptis injuriis querebatur in aula Polonica, cumque damni illati restitutio aliqua denegabatur, belli consilia spargebat. Eis necdum perfectis moriebatur, & succedebat ei frater Mustapha, non satis compos mentis Princeps ob carceres longo tempore toleratos. A.C. 1617. Brevi redibat ad eosdem, quia non placebat militiæ præfectis, Principem alienis consiliis immedicabili vitio obnoxium habere, & solio imponebatur Osmanus filius Achmedis, generosæ indolis Princeps. Is Dilaverium Bassam cum exercitu mittebat in Syriam, ut Parthis resisteret. Orto prælio cædebantur Parthi, nec tamen Babylone pelli in magno victoriarum cursu poterant. Conciliatis induciis, urbes Syriæ novis legionibus muniebantur, & veteranæ permistis Arabum delectibus in Europam ducebantur adversus Polonos. Dubio eventu *Brachelius lib. 2.* bellum gerebatur, sed Osmanes victo similior reversus Constantinopolim, vitæ finem inveniebat. Severius animadvertebat in quosdam Janisarorum primores, qui adversus hostem negligentius pugnavisse accusabantur. Janisari multiplicibus commilitonũ suorum suppliciis irritati Bassas palam criminabantur & ad necem eos deposcebant. Sultanus defendebat Bassas, eorumque consilio, quamvis secreto, Janisaris omnibus militiam abrogare, novosque per Arabiam dele-

delectus facere conabatur. Ergo peregrinationem ad sepulchrum Muhammedis, quod Mechæ ab omnibus Sarracenis magna cum devotione animi colitur, evulgabat, & maximam partem Janisarorum, comites itineris esse jubebat. Recusabant illi tam longinquum iter, neque etiam permittere volebant Sultano, ut exemplo hactenus inaudito omnes thesauros convasaret, in ultimas terras abiturus, tum quod stipendia ordinaria non possent deinceps solvi, tum quod præsidiario milite abducto, Constantinopolis forte à Germanis, Hispanis, Polonis Mauris expedita virorum manu invadi & diripi posset. Causas describebant libello supplice, ac porrigebant Muphtio & Dilaverio præfecto prætorii. Triremes jussu ejus comparatas diligenter observabant, ne portu exirent. Sultanus propositi sui tenax jurgabat nuncios, supplicium minabatur. Proinde Janisari correptis armis palacium subibant, Bassas obtruncabant, Sultanum comprehensum paludamento spoliabant, nudum equo strigoso imponebant, perq; urbem mediam eductum, multis probris oneratum carceri includebant, Mustapham patruum vinculis solutum Imperio admovebant, quo jubente
A.C. Osmanes carnificum manu, seri-
1622. cio nervo injecto præfocabatur.

XXII. Mustapha ostendebatur imperio tantum, nec ultra esse eũ fata volebant. Corpore infirmus & animi impos Dausto Bassæ parebat, qui administrabat omnia Janisarorum postulatis obsecutus semper, fovebat vero capitales inimicitias cum Amurathe fratre Osmanis, indignam hujus necem quacunque occasione posset, ultione justa prosecuturo. Ergo percussores immittebat Principi, quos proditos in ipso advẽtu obtruncabat ille, & in Asiam fugiebat ad Bassam Arsironium veterem amicũ. Hic tradebat ei Syriæ & Cappadociæ exercitus, ut Constantinopolim versus duceret. Veniebat magno civium omnium favore exceptus. Mustapha ad carcerem suũ reducebatur, Daustus plectebatur capite, Janisarorum cohortes plurimæ notabantur ignominia. Arsironius contentus ultione illa, copias suas promovebat in Asiam superiorem, ostiturus Parthis, ne Syriam popularentur. Ad eos defecerant multæ Arabum provinciæ, unde militum copia in promptu erat. Turci paulatim è Syria progressi contendebant Babilonẽ, ducenta millia virorum, cingebantq; urbem quam triginta mille pedites defẽ-
debant. Victores demũ Turci ex- A.C.
pugnabant eam. Non tamen diu 1638.
retinebant. Sultanus vix cum triumpho in urbem redierat, & prosequebatur eum nuncius de recuperata Parthorum impetu Babylone,

ne, atque profligato cum copiis Bassa Coserono, Euphratis præfecto. Dimissis illis classem parabat adversus Marocenos, qui Al-
A.C. gieræ regnum expilaverant. Hy-
1640. drope defunctus, successorem accipiebat fratrem Abrahamum,
Brachelius lib.6. Victorius Siri Tom.1. hist. Univers.lib.1. asperum & vecordem. Supplementa mittebat Coserono, ut denuo tentaret Babylonem. Res habebat successum, Parthis fugatis. Marocenis pacem dabat, postquam grandi ære soluto damna resarciverant. Melitensibus Equitibus bellum indicebat, qui classem Turcicam in Archipelago aggressi quadraginta naves demerserant, Zaraffam Sultani pellicem una cum navi, qua Mecham contendebat, captivam abduxerant, Caragossam maris Africani præfectum in ipso Golettæ portu, navibus plurimis incensis, oppresserant. Ergo per legatos suos compellabat Venetorum Senatum, ut
A.C. duos portus in Creta sibi tradere
1645. vellent, spondebatque restitutionem eorum finito bello. Cum non obtineret, conversis in Venetos armis, munitissimam Cretæ urbem Caneam quinquaginta diebus obsessam expugnabat proditione civium usus, qui Cornarium prætorem oderant, justitiæ non benè administratæ reum, uti ajebant. Inde navali pugna congressus non procul Smyrna, vi-
A.C. ctoriam concessit Venetis. Mox
1648. prætorianorum suorum impetu strangulabatur, creditumque fuit Sultanæ magni animi & spirituum ingentium fœminæ, quæ maritum habuisse quàm habere malebat, consilio rem peractam, addituſque funeris comes Vezirius magnus, à quo hoc bellum conflatum primo, deinde segniter gestum Janisari dolebant, idipsum tamen quod damnabant, novis consiliis prosecuti Achmedem II. filium ejus solio imponebant, & Rhetimum alteram in Candia urbem maximam, cæsis Venetorum delectibus, evertebant. Et quanquam maritimis pugnis felices Veneti plurimas naves aut ceperint aut demerserint, id tamen nihil eos juvit hactenus ad pellendos Insula hostes, in qua illi Candiam metropolim suppetiis per mare adductis equidem tuentur, cæterum nullo versus terram exitu fruuntur, quando novam prorsus urbem struendo Turci, novam Candiam appellant, & veterem Candiam ex illa perpetuo oppugnant. Hæc maris fortuna tot annis fuit. Ungariæ pacem hactenus conservabant induciæ ad viginti annorum spacium, novis donariis in Sultani aulam missis, contractæ; sed alia occasione violatæ bellum exciebant. Rakosius Daciæ Princeps invadebat Poloniam socius militiæ ejus quam Svedi in gente illa successu prospero gerebant. Hunc Sultanus à Germaniæ Cæsare & Poloniæ Rege persuasus

fus revocabat domum, & ne quid rerum conaretur deinceps, bello vexabat, clientem suum. Budensis Bassa victor prælio cogebat Rakosium, ut ille desertus à civibus suis opem rogaret Cæsaris, Hungarorum, Imperii Principum. Sed opem ferre nec libuit Cæsari, quando precium armorum nemo solveret, nec voluit, ut servaret inducias, Hungaros tamen, si vellent ipsi militare, non prohibuit. Ergo Rakosius voluntariis copiis suffultus Daciæ contermina repetebat, Varadini admissus, ubi præsidium suum imponebat. Dum longius progredi studebat, interceptus à Turcis ad Clausenburgum & in conflictu sublatus, Varadini sepulchro inferebatur. Neque multo post Varadinum à Turcis expugnabatur, Zatmaram & Toccaiū restitui sibi postulaba Cæsar, velut partes Hungariæ, quæ pacto non admodum veteri ad tempus vitæ Rakosio datæ fuerant, uti pacis firmæ pignus, at nunc defuncto illo ad Hungariæ Coronam merito redeant. Sed Turcis aliter visum erat, qui Zatmaram occupabant deditam sibi ab Achazio Barzajo, creaverantque illum Daciæ Principum, non rogatis proceribus.

XXIII. Hi de votorum libero suffragio per Turcos sibi erepto conquesti, implorabant patrocinium Cæsaris, subditorum loco futuri, & Kemini Janos eligebant Principem, dedebantur ei Clausenburgum & Zekelheida urbes amplissimæ, Zatmara Cæsari armis, ductu Sousii Comitis expugnabatur. Accurrebat Hali Bassa, vastabat Daciæ agros, utque procerum quorundam animos lucraretur dejecto Barczajo, surrogabat Abaffium. Per Hungariam sparsis missilibus nummis copias legebat Janos, & reversus in Daciam, capite mulctabat Barczajum, patriæ ut ajebat, proditorem. Ipse ad Foggaras castrum pugna victus & peremptus impetu Michaëlis Abaffii, non multum profecit. Turci lōginqua obsidione vexabāt Clausenburgum, donecà Germanorum exercitu pellebantur. Ergo Cæsari bellum indictum est, quandoquidem Turci à Venetis parum timere poterant, annorum plurimorum sumptus haut ferentibus. Ad Strigonium trajecto Danubio profligabant legiones Hungarorum, quas Forgatscius & Palvius regebant, inde Neuheuselam & Neutrā duo munitissima castra, opportunis locis posita, armorum terrore expugnabant, vicinas regiones emissis Tattarorum prædonum turmis crudeliter diripiebant. Ad Serinsvaram velitatione fracti, loci ejus Domino Comiti Serinio animum addebant, ut postquam Tattari domum profecti essent, vellet ipse Turcorum præsidia invadere. Neque suc-

A.C. 1660.

A.C. 1663.

A.C. 1664. cessus deerat. Spoliabat vicos plurimos, Bresniciam, Babotscam, Quinque-Ecclesias prono impetu capiebat, pontem ad Essec kam incendebat, ne hostis insequi eum & ablatas prædas armis repetere posset. Dum ista geruntur feliciter, non infeliciter quoque agebat Transsilvaniæ Princeps, & proditione militum de non soluta pecunia querentium usus, capiebat Zekelheidam ac Clausenburgum, quas vi recuperare hactenus incassum laboraverat. Sed erat hoc Ungariæ fatum, quod alias fuerat, *avaritia malo prodi ac perdi.*

XXIV. Serinius, Hohenlous, Strozzius, Badgani contractis viginti millium copiis obsidebant Canisam in Styriæ confinio, & credebatur expugnari posse, antequam ponte refecto mitterentur subsidia. Fortiter instabant obsessores, nec minus alacriter defendebant urbem obsessi, quibus validissimæ urbi pertinacia ultima immori decretum erat. Captis destructisque suburbiis, propè mœnia cruentis eruptionibus tantisper res acta est, donec Hismaël Bassa reparabat pontem, & cum sexaginta mille viris accurrebat. Novæ suppetiæ quidem parabantur è Germanorum & Hungarorum delectibus, Sparrio & Nadasti ducibus, verum serius, adeoque obsidio solvebatur. Turci profugos Hungaros non exigua clade afficiebant, Strozzio occiso, Serinsvaram omni armorum annonæque copia abundantem, & Comorram minorem admotis scalis capiebant, justo prælio etiam decertare parati, si vellent Hungari. Verum illi sese viribus impares arbitrati, Muram fluvium transibant, ut Styriæ castellis defenderentur. In superiore Ungaria Susius Comes expugnabat Neutram, & Grana fluvio trajecto cogebat Hali-Bassam, ut Levenzam dederet. Rakosius junior paternarum cladium ultor futurus, mercenarias Ungarorum & Polonorum cohortes in Daciæ finibus secum trahebat, cumque parum auxilii sperare posset ab infidis civibus, vicis direptis, Varadinum ingrediebatur militum dolo prospere usus, qui mercatorum habitu assumpto nundinas petebant. Mox ad spolia conversi incolis metum incutiebant, & horum clamoribus evocati præsidiarii, qui proximam arcem obtinebant, armis ejiciebant prædones. Rakosius occubuit, caput ejus recisum & palo infixum ludibrio fuit. Hali Bassa è vicinis Moldaviæ & Walachiæ tributariis agris, nec non à Bassa Budensi acceptis Janisarorum legionibus, conflabat

ſtabat exercitum, ut Levenzam recuperaret. Concurrebatur prælio ad ipſas urbis portas, & Barbari ſic penitus attriti ſunt, ut pauci admodum evaſerint, cæteris omnibus vel in acie cæſis, vel captis. Hali Baſſa inter occiſos fuit, eo nobiliori morte defunctus, quod aliàs Budæ capitis ſupplicio luere debuerat maturatam urbis deditionem.

XXV. Serinius ægrè ferebat hactenus, deſtructam ab hoſte Serinſvaram, patrimonii ſui egregiam portionem, adeoque communi ſaluti gratulatus quidem, privatum damnum tanti æſtimavit, ut propterea in Cæſaris aula quereretur, Montecuckulum commilitonem perfidiæ accuſare auſus, quod non in tempore accurriſſet. Verum apud Cæſaris miniſtros *delatio illa in dilationem verſa eſt*, ſatiſque notum erat, raro concordiam ſervari inter plures Duces & cum æquali imperio rem gerentes, Montecuckulo etiam grates actæ ſunt, quod hoſtem à tranſitu Muræ prohibuiſſet, Serinio objectum, quod proſperis excurſionibus maximas prædas acquiſiviſſet, atque Barbaros irritando belli hujus cauſa exſtitiſſet. Stabant Turci ſub Vezirio Magno, Boſniæ prætore, Hiſmaele Baſſa ad Caniſam, tentabantque irruptionem in Syriam, cymbis ad ripam ordine collocatis. Sed rapidus amnis curſus & Germanorum præſidia in ripa adverſa diſpoſita validis tormentorum jactibus arcebant eos, proinde recedebant ad fluvium Rabam, & caſtra oportuno loco metabantur, ut Souſium Comitem victoriis celebrem & de Agria obſidenda ſollicitum interpellarent. Velitationibus agi ceptum eſt, demum ad San-Gothardum confligebatur. Aderant Hungarorum & Germanorum legiones ſub ducibus Montecukulo, Sparrio, Palatino Sulzbacchenſi, Lotharingio, & Gallicæ ſuppetiæ, quas Colignius & Fullardus Comites regebant. Turci victi octo millium virorum jacturam fecerunt, Hiſmael Baſſa in acie cæſus magnum ſui deſiderium reliquit in aula Sultani, cujus ſororem in matrimonio habebat. Hæc inſignis clades Barbarorum animos fregit, permovitque Vezirium ut pacem rogaret, ac Cæſar facilè annuebat, *quando præſtitit ſemper, oblatam pacem accipere, dubiis licet rebus, quam incertam Martis aleam in tanta opitulatorum diſcordia ulterius experiri.* Pacis leges dictæ ſunt iſtæ: Viginti annis firmæ induciæ ſerventur: Neuheuſela & Varadinū Turcis perpetuo addicantur. Cæ-

sar quocunque loco voluerit, propugnacula ad reprimendas Barbarorum invasiones exstruat: Transsilvania numeret usitatos census in aula Ottomannica, Hungaria ab impositis censibus liberetur, neque Cæsar deinceps solvat donativum: Tockajum & Zatmara Comitatus restituantur Cæsari: Serinsvara æternum destructa esto: Captivi sine precio dimittantur.



LIBER XXI.

Quo continentur res gestæ Parthorum à prima gentis origine usque ad nostra tempora.

CAPUT I.

De rebus gestis Parthorum veterum.

Iustinus lib. 41. I. PErsiæ imperium ab Alexandro Magno destructum præter alias gentes imprimis continebat Parthos, Syriæ partem, tunc quando Seleucus nobilissimas Orientis provincias acquirebat sibi atque posteris suis. Ejus nepos Seleucus Callinicus
A.M. 3700. rebellione Parthorum vexatus, Arsaci viro in gentibus illis nobili & potenti maximas Asiæ superioris regiones bello inferior tradebat. *P. Bisarrus l. 3. histor. Pers.* Eo deinde in prælio adversus Cappadoces occiso, filius Arsaces II. succedebat, victor Mesopo- A.M. 3740.
tamiæ. Secuti Reges alii cum Syriæ Regibus perpetua bella gesserunt, Phrahates, Pharnaces, Mithradates, Artabanus, Pacorus, Phrahates II. Mithradates II. Orodes I. quocum Marcus Crassus Romanarum legionum ductor pugnabat infeliciter. *Iustinus lib. 42.* Phrahates III Orodes II. Vonones, Artabanus II. Bardanes, Gotharses, Vologeses, Artabanus III. Pacorus II. Cosdroes, Vologeses II. Vologeses III. qui omnes cum Romanis maxima bella gesserunt. Ultimus familiæ hujus Artabanus IV. vicit multis præliis Romanos, quorum Cæsares erant Bassianus & Macrinus. *Elmacinus Agathias.* Ipse à rebellium Sacarum duce Artaxerxe Sannæi filio regno ac vita spoliatus, novo Principi cedebat. A.C. 226. Hic cum Ale-

Bizarus l.4 Alexandro Severo Imperatore
conflixit, à quo totam Asiam mi-
norem, ceu veterem Persarum
possessionem repetebat per nun-
cios suos.
A.C. II. Ejus filius Sapores I. collatis
243. signis pluries dimicavit adversus
Gordianum, Philippum Arabem,
Valerianum, Gallienum, nunc vi-
ctus nunc victor in partibus Me-
sopotamiæ & Syriæ. Porro Hor-
A.C. misda, Varranes I. Varranes II.
274. Varranes III. finibus Euphratis
275. continuerunt sese, Probi & Cari
278. Imperatorum armis repulsi Nar-
294. ses cum Galerio Cæsare bella ges-
295. sit. Hormisdas II. pacem servavit.
302. Sapores II. maximus hostis Ro-
A.C. manorum perpetuis bellis exer-
310. cuit Constantium, Julianum, Jo-
Bizarus l.5 vinianum, semper par, sæpe supe-
rior. Artaxerxes, Sapores III. Var
A.C. ranes IV. Isdigerdes, Varranes V.
379. Varranes VI. pacis ut plurimum
384. amantes finibus Romanorum
389. abstinebant. Deinde Peruses in
400. Corasanam movit, Turcorum
427. sedem montibus & paludibus in
447. viam, sed locorum ignarus, amis-
464. sis copiis vivus in potestatem ho-
stium devenit, pacem tamen & libertatem nactus cum juramento promiserat, se daturum in annos singulos censum magnum. Reversus domum abjecit fidem, & cum novo exercitu profectus contra hostem, decertavit inter montiū anfractus, victus autē & cæsus periit cum magna parte no-
bilitatis Asiaticæ. Ejus filius Val- A.C.
les Turcorum armis oppressus, 484.
non diu præfuit, at frater Caba- A.C.
des meliori sorte usus, censum 488.
non solvit, victo Rege Zeliobe & ad pacis leges novas pertracto, quibus abrogabatur census. Regebatur consiliis Mesdaki parasiti, qui se vatem esse jactabat, & communionem uxorum rerumque omnium Regis edicto vulgandam procurabat. Exsecrati proceres edictum, quod cum publica honestate pugnabat, concitabant seditionem duce Vleda
Regis Perusis fratre, Regem ad A.C.
perpetuos carceres damnabant. 499.
Soli Reginæ licebat ad captivum ingredi, hæc vero speculata occasionem in crepusculo, vestimenta sua injiciebat marito Regi, qui elapsus nemine advertente confugiebat ad Colchenses, Regina & custodes propalato errore securi percutiebantur. Populi hujus Principem compellabat de ferendis auxiliis, & impetrabat his legibus, ut censum hactenus imperari solitum remitteret, ut sociaret gentes illas plena libertate donatas æquali fœdere, ut Principi daret titulum Regis filiamque ejus perfecto matrimonio sibi copu-
laret. Soceri armis restitutus A C.
Vledam Principem ejusque 503.
complices omnes afficiebat supplicio.

III. Cæterum paci studebat, pulso ex aula Mesdako Plane-

tario, quem deinde etiam filius
A.C. ejus Cosdroës I. interficiebat, Rex
533. magnus, justitiæ & fortitudinis laude celebris. Turcis devictis progrediebatur ad Indos, Gedrosiam occupabat, Colchensibus duriores leges iterum præscribebat. Adversus Justinianum Cæsarem expediebat, prædas in Cilicia & Syria agendo, Antiochiam urbem diruendo, sed prælio victus à Belisario destitit prædas
A.C. sectari. Ejus filius Hormisdas
581. tantisper in Syria & Comagena feliciter rem gessit, donec à Tiberio Constantino Imperatore vinceretur prælio magno. Varanes ducum ejus præstantissimus. Idem
A.C. concitatis turbis Regem suum
589. neci dedit, filium Cosdroëm II. exilio damnavit. Errabundus ille passim apud Turcos, Tattaros, Indos quærebat auxilia, cumque frustra esset supplex adibat Mauricium Imperatorem, qui Narsetem ducem misit cum exercitu, & Varane pulso, restituit Principem solio. Constitit amicitia inter ambos, deinceps verò Phocæ latroni infensus Cosdroës, provincias multas devastabat. Rursum ab Heraclio Imperatore perpetuis victoriis uso, pacem accepit magis quam cupivit, summo procerum omnium consensu adactus. Filius natu major Siroes diligentem navaverat operam in conficienda pace, quamobrem pater eum suspectum habere cepit de occultis cum hoste pactis, inque pœnam criminis, ut ajebat, detrudere in vincula & successionis jure spoliare eum volebat, Mardassâ filio minore in solium evecto. Siroes promissis ad se A.C.
traducebat exercitum, & com- 627.
prehensum patrem Seleuciæ in turrim fœdam mittebat, ubi paucis diebus male habitus, atque iterum eductus inde, ad palum deligatus, postquam Mardassæ caput recisum viderat, ipse militum sagittis confossus miserrime
obiit. Siroes regno functus est A.C.
tantum anno uno, cæsus à satelli- 628.
tibus. Eum exceperunt Addassar, 629.
Sarbarus, Bornanas, & ultimus 630.
Hormisdas, quo devicto Arabes 631.
obtinuerunt Persiam & gentibus illis Muhammedis leges imposuerunt.

Bizarus lib. 6

CAPUT II.

De rebus gestis Parthorum novorum.

I. ARabes Græcorum mercenarii fuerant in bello adversus Parthos, ac Ducem novissima memoria habuerant Muhammedem nobilem patricium ex urbe Mecka oriundum, sed tamen à civibus suis ejectum, postquam novas leges vulgare ceperat sub prætextu revelationum cœlestium, neque ille minor animi di-

Elmacinus in historia Arabica.

vitiis

A.C. vitiis suis erogatis colligebat mi-
622. litum agmina valida, & Medinæ receptus armisque instructus amplissimum imperium meditabatur. Capta per militum assultus Mecka, gentis ejus Calipham, id est, Regem & Pontificem Maximũ sese effecit, Alcoranũ descripsit, videlicet traditiones novas à magistris Hebræorum acceptas.
A.C. 632. Successit mortuo Abubeker, qui Sinæ montis claustra firmavit præsidiis, & Gazam Phœniciæ urbem expugnavit. Mox Homarus
A.C. 634. prosecutus bellum ingrediebatur Syriam, & profligato Damasci præfecto Theodoro, superatis Parthis, omnem apparatum Regium una cum opulentissimarum regionũ dominio corripiebat, tanto supergressus Romanorum triumphos, qui nullo unquam conflictu Parthos edomare potuerãt. Hierosolymis potitus fanum Muhammedi sacratum construxit in monte Olivarum, atque ibi sæpius
A.C. 644. vacavit precibus. Cæsus gladio servi alicujus manu, successorem accepit Hottomanum, qui armis perinde feliciter usus Carthaginem, & omnem Africam maritimam subegit. Secuti eum Halis,
A.C. 656. Muhavia I. Jesidus, Muhavias II.
660. victorias per Asiam & Africam
680. plurimas obtinuerunt. Deinde
685. Marvanus, Abdelmelechus, Vli-
686. dus. Hic fretum Herculiũ transi-
706. vit & Hispaniæ partes, duce Tarifa, felici prælio subjugavit. Mox Solymannus, Homarus II. Jesi- A.C.
dus II. Ochon, Vlidus II. Jesidus 715.
III. Abrahamus, Marvanus II. 717.
Hunc Abulabas vates servis ad 720.
libertatem capiendam provoca 725.
tis gravi bello afflixit, & demum 743.
interfecit. Victor Abulabas ob- 744.
tinuit Parthiam & Syriam, ve- 745.
rum Africæ gentes peculiare 751.
imperium condiderunt autore Sallimo Calipha. Post Abulabam regnabant longa serie, Abugefar, Mahadi, & alii, quorum ultimus erat Muhammedes Ben-Im- A.C.
brael à Turcis & horum Princi- 1055.
pe Togrul-Beko victus atque oc- *Bizarus l.*
cisus. 7. 8 9.

II. Turci potentiam suam conservabant seculis plurimis, donec per Tattarorum irruptiones opprimerentur. Eo tempore quo A.C.
Tamerlanes perdomabat Asiam, 1407.
in Parthia & Media regnabat Jusuph, profugus in castra Bajasethis Regis turcorum factus, ne periret. Is defuncto Tamerlane restitutus loco, filium ejus Mirunxam A.C.
in partibus Indiæ potentem vicit 1423.
prælio atque occidit. Succede- 1435.
bant ei Chanderius, Jonçha, 1468.
Aken-Hali, & demum Usum- 1469.
Cassanes de familia Assimbejorum. Is cum Muhammede Imperatore Turcorum bella gerebat eventu ancipiti, & A.C.
Abusaido Indorum Cæsari partẽ 1479.
Gedrosiæ ademptam, posteris suis legabat. Ejus filius Jacuppus prælio vin-

vincebat Mamalukos, qui Mesopotamiam devastabant. Habebat uxorem Samurram, quæ pro-
Bizarus lib. o. co suo Bassinghiro, viro inter Caramannos nobili, tradere gestiebat imperium, & Regi venenum
A.C. offerebat. Ab obitu Regis præ-
1485. erant Bassinghir, Rosthamus, Hameth begus, Alambegus, Amurathes, perpetuis bellis agitati. Nam Siec Aidar Sultanus Ardevillæ Circassiorum, maritus Chaidiræ sororis Regis Jacuppi, appetebat Mediæ regnum velut conjugis dotem, vicinosque de ferendis auxiliis interpellabat. Collecto exercitu Derbentum urbem oportuno ad mare Caspium loco sitam occupabat, & prædatoria agmina in Mediam emittebat. Cæsus verò à præfecto Mediæ, inque fuga obtruncatus una cum filio majori Halys, mi-
A.C. nori filio Xa-Ismaël Sofi legiones
1499. omnemque apparatum bellicum permisit. Novas addidit Pyrchaules Kilani Princeps, ut expugnata Summachia urbe Mediæ, de conficienda belli summa non infeliciter contenderet. Amurathes tantæ urbis jactura perculsus educebat copias suas, non missurus Ismaëlem, nisi victo illo Mediam à rebellium conventriculis purgavisset. Ismaël de subsidiis impetrandis anxius Georgianos compellabat, magnamq; Christianis per universam Parthiam, si victor evaderet, vivendi & docendi libertatem condicebat. Profecti illi in Mediam, decem mille equites, sedecim mille pedites, animum addiderunt Ismaëli, ut prælio aperto hostem invaderet ac profligaret. Hæc victoria Orientis Imperium illi tradidit, ac Taurisio potitus, opes ingentes civibus ereptas inter milites suos distribuit. Rex copiis reparatis in Babylonia, alterum prælium movebat ad Siras urbem Desertus verò suorum A.C.
transfugio, abibat in Syriam, & 1515.
Mamalukorum contubernio adscriptus, pacem Ismaëli dabat Parthorum Imperatori. Hic vicinas perinde ac remotas provincias in unum corpus redigendo, veteres limites felici victoriarum cursu restituit, Tattaros Corasana ejecit, victus iterum ab illis cruento prælio, postquam Oxum fluvium transgressus Zagathai agros longe lateque spoliaverat.

III. Selymo Turcorum Impe *Bizarus*
ratori per Legatos suos gratula *lib. 11.*
batur, & donum addebat, leonem vegrandem. Scilicet, bestiam Regiam convenire maximo Regi arbitratus, verum Turci aliter interpretati, notari videlicet Regis crudelitatem, donum contrarium reddebant, canes duos sanguineis maculis perspersos. Quod amicitiæ confirmandæ medium esse debuerat, hostilitatis certæ tessera evasit, adeoq;

Persis

A.C. Persis indicto bello, dubio exitu
1525 rem gesserunt Turci. Obiit
Ismaël morbo inter venandum
contracto. Successit ei filius
Thammasus, quem bello vexavit
A.C. Solymannus Turcus. Hic mo-
1576. riens reliquit Periam Conconam
filiam primogenitam, virilis ani-
Thomas mi fœminam & decem filios. Ho
Minadous rum tertius Aidar sororis autho-
lib. .2 ritate fretus obtinebat imperium
seqq. Codabendam maximum exilio
damnabat, ei proximum ætate
Ismaëlem sicariis objiciebat.
Quos tamen evitabat precioque
dato in caput fratris armabat.
Succedebat consilium, & fratre
sublato imperabat Ismaël annis
A.C. duobus. Ob socordiam invisus
1578. proceribus & veneno peremptus
locum dedit Codabendæ. Hunc
Peria oderat, filioque ejus Hame
thi clanculum suggerebat, ut pa-
trem solio deturbare vellet. Nec
tamen paruit ille, & prodita ami-
H. Porsius ta supplicio affecta est. Hamethes
relatione à patre missus pugnis dubiis ad-
de Persico versus Turcos decertabat, ever-
bello, sis Georgianis per Osmanem Bas-
Thuanus sam, Taurisio direpto, expugnata
lib. 67. 68. Babylone. Decessit dysenteria, &
69. 70. pater secutus morte Chameseno
histor. filio secundogenito regnum de-

dit, quod paucis mensibus admi- A.C.
nistravit, veneno peremptus. 1585.
Successit tertio loco natus Xa-
Abbas, qui Babylonem defendit
adversus Turcos, & Gedrosiam
eripuit Magno Mogoli. Ormu-
sio ejecit Lusitanos, invitatis ad
fœdus Anglis, quod regnum illi
ante annos triginta ademerant
Regi Amurathi, filio Jacuppi, cum
Ismaële bella gerenti. Sevi Myr-
sam filium optimæ indolis, falso
rebellionis insimulatum, occidi
jussit, & moriens nepotem suum A.C.
patri cognominem, Xa Sevi im- 1629.
posuit solio. Hic proceres mul-
tos, quod patrem ejus coram avo
detulisse parasitorum calumniis
accusabantur, intestina cæde ab-
sumpsit, patruos duos Codaben-
dam & Ilmanculum è rupe alta
præcipites dedit. Karibus vir no-
bilis, proscriptorum unus molie-
batur rebellionem apud Hirca-
nos, sed velitatione captus, inque
foro Isbahanæ militum sagittis
confossus, frustra erat. Regem sæ-
vissimæ indolis veneno dato ne- A.C.
cabant aulici. Succedebat filius 1640.
Xa Abas II. qui Babylonem con-
cessit Turcis & pacem
inivit.

LIBER XXII.

Quo continentur res gestæ Saracenorum in Africæ regnis.

CAPUT I.

De rebus gestis Maurorum veterum & novorum.

Ant. Sabellicus. Fl Blondus Ioh. Bapt. Grammaia.

I. SCipio Consul Romanus devictos Mauros urbis suæ Imperio adjungebat, & Numidas perdomabat Julius Cæsar. Cum Occidentis Imperio tamdiu cohærebant, donec Vandalis parerent. Hi Saxoniæ provinciis emigrabant longo ad mare Balthicum tractu, & Flandriam ingressi primum, cum inde eos pelleret Constantius Patricius ab Honorio Cæsare missus, porrò contendebant in Galliam. Sed nec ibi tuto habitare poterant ob nimis vicinos Gottos,
A.C. ideoq; transibant in Hispaniam,
407. eamq; partem Beticæ occupabant quæ nunc Andalusia vocatur. Rex eorum erat Gensericus, qui Beticam reddidit Imperatori, ar-
A.C. mis Gottorum oppressus, & pro
419. fectus in Africam expugnavit Carthaginem, Uticam, Hipponem, celebres urbes. Quibus deinde accesserunt aliæ per Mauritaniam & Numidiam, nec non Sardinia Insula. Ejus posteri deinceps ordine præfuerunt, Henricus, Gundabundus, A.C.
Thrasimundus, Childericus, & 477.
ultimus Gilimer, quem Justi- 485.
nianus Græciæ Cæsar victum 496.
bello redegit in potestatem, inde 522.
exilio damnatum Galatiam in- 530.
colere jussit, censibus modicis è 534.
fisco numeratis quibus toleraret vitam, finesque Imperii adversus Persas defenderet.

Isidorus. Procopius

II. Saraceni delati in terras A.C.
istas, duce Hottomanno obti- 644.
nuerunt Africam maritimam, & duo Regna condiderunt imprimis celebria, videlicet Marocchanum ac Tunetanum. Cepit Marocchanum sub Rege Al A.C.
bul-Texifio. Eum longa serie 1051.
exceperunt Jusephus, Alys, Ebrahim, Elmuahedinus, Abdulmumen, Almansor, Miramolinus, Abdulacus, Saidus, Benevetus. Hunc prælio vicit Senfius, vir ob-

Iovius l. 7. Elogiorum num. 10.

obscuræ originis, & mercator quondam in Arabiæ urbe Mecha, sed Magus & latronum ductor. Serifii filius Muhammedes profligatis Lusitanorum auxiliis, quæ Bucanus rebellis evocaverat, aulam suam Fessæ constituebat, & maximas opes filio suo Abdallæ colligebat, quem Maroccani Regni vicarium designaverat. Ipse cum exercitu profectus in Susanorum agros, ubi ingens hominum latrociniis assuetorum seditio erat, mercenarios Turcos è vicinis præsidiis Tremesanæ provinciæ evocabat. Horum insidiis periit cæsus in itinere, ipsi vicissim à Maurorum copiis circumdati omnes trucidabantur. Defuncto patri succedebat Abdalla, optimisque legibus regebat subditos, tantum quod fratribus suis infensus, plurimos eorum vita mulctabat. Ejus filius erat Muhammedes, vir sævus, ideoq; subditorum rebellione agitatus, quã juvabat patruus Abdel-Melicus, miles strenuus, Turcorum amicus. Eos conveniebat Algieræ, & duodecim mille virorum auxiliis instructus pugnabat, victoria potitus transfugarum ope, qui Regis sui partes deserebant. Hic Fessam permittebat victori & Maroccũ reversus novas copias instruebat. Pugnabatur altera vice, & eodem successu gavisus Abdelmelicus occupabat Regnum totum. Rex fugiebat in proxima

Thuanus lib 7 20. 65 115. 128.

A.C. 1574.

Atlantis loca, ac Nomadum turmis eductis sectabatur prædas, mox pulsus de latibulis illis abibat Tingim, perque nuncios suos in aula Philippi Regis Castiliæ quærebat opem. Sed non impetrabat. Ergo Sebastianus Portugalliæ Rex obsecutus exsuli nomine suo compellabat Philippum, ne tàm justis precibus deesse velit, quando non Lusitaniæ solum verum quoq; Castiliæ admodum intersit, Mauritaniæ littora perdomare, injecto piratis freno, mercatoribus iter tutum præstando. Dabat consensum, & quinque mille milites offerebat, reliquos adderet Sebastianus & viribus alienis frueretur. Res intrà promissum constitit, ad postulatum Johannis Austriaci, qui tunc temporis in Belgio dubius animi pugnabat, auxilia domi retinebantur, neque eo minus animi fidens Sebastianus, ut sumptuũ hactenus factorum aliquod emolumentum perciperet, rapiebat quas præ manibus habebat, copias, videlicet sedecim mille viros, & classem appellebat Tangeræ, ubi aderat Muhammedes. Stabat Abdel Melic9 in campis Fessanis cum exercitu quinquaginta mille virorum, & quoniam ipse morbo prohibitus necessario à pugna abfuturus esse credebatur, fratrem Hamethem præficiebat copiis, jubebatque recta via in hostem ducere. Lusitani pergebant Arzillam ut se-

ut ſe legionib. Numidicis quas ibi Muhammedes collegerat, jungerent, caſtra ponebantur ad portas urbis. Hamethes eminus obſidere illos & annonæ inopia conficere volebat, quod monuit Luſitanos, ut abirent Lariſſam verſus, oppidum maritimum & commeatui ſubvehendo idoneum. Hamethes per viarum compendia iter prævertebat, & Mazagam fluvium cuſtodiebat, ne hoſtes vada illa absque præliorum experimento ſuperarent. Et cupidus pugnæ Melicus prior ipſe Martem accendebat cantu, concurrebatur in agris Tomirenſibus, jamque rumor ferebat, velitationibus inferiorem Hamethem cedere loco, tunc vero Melicus è lectica productus equum conſcendebat, ordines reſtituebat, victoriæ initium faciebat, inde viribus deſtitutus ad lecticam revertebatur, ubi obductis repagulis mortem exſpectabat. Tantum certe præſtitit, ut dum moreretur ipſe optima ſpe plenus,
A.C. victoriam obtineret Hamethes.
1578. Luſitani inter equos, mulos, carpenta, impedimenta æſtu & languore debiles cædebantur, ipſe Rex unà occubuit, quo percepto Muhammedes fugit, ac nocte in paluſtria loca delatus, aquis merſus periit. Hamethes fratrem Melicum ſepulchro intulit, Sebaſtiani cadaver domum remiſit, Muhammedis pellem detractam oſtentui expoſuit. Hæc eſt pugna Africana, poëmatis Germanorum celebrata, qua tres Reges exſtincti ſunt, morbo, ferro, aquis.

III. Hamethes facili ope Tangeram urbem expugnare potuiſſet, ubi milites pauci, neque illi fortes admodum, tuebantur mœnia. Suadebant ita Mauri, ſed non perſuadebant, quamobrem profectus Feſſam, occupabat ſolium. Poſteri ejus Xeques, Abdalla, Muhammedes, Hamethes II. ad noſtra tempora provixerunt, Turcorum irruptionibus non ſemel oppreſſi. Tunetanum Regnum complectitur regiones illas quas olim habitabant Pœni, devicti à Scipione minore Conſule Romano, cumque Regni Marochani pars fuiſſet annis plurimis, Re-
gem proprium deinceps præfe- A.C.
cerunt ſibi incolæ, Abrahamum, 1210.
cujus poſteri longa ſerie vicinos populos bello aut fœderibus ad ſe traduxerunt. Belabes, Buffares, Maneſtaſar, Ottomenes, Eſaias, Abdal-Mumen, Albu-feriſſus, Zacharias, Muhammedes, & ultimus Mulei-Haſſen. Tempore illo, quo Muhammedes præerat, claſſe profecti Hiſpani domabant
regnum Oranum, in quo ſunt no- A.C.
biles urbes Bugia, Gigel & Algie- 1509.
ra. Piratæ vero fratres Horuccius *Iovius l. 6.*
& Hariadenus Lesbo oriundi na- *Elogiorum*
vium plurimarum ſubſidio Re- *num 25. &*
gnum illud appetiverunt, felici *l. 33. hiſtor.*
ſucceſſu uſi in profligandis Hiſpanis.

A.C. 1516. ſpanis, donec ad Bugiam oppugnando arcem, tormenti ictu dexteram amitteret Horuccius. Nec tamen demiſit in ea calamitate animum, & ferrea manu ad cubitum religata cum Mauris perpetuo bello ſeſe vehementer exercuit. Cæſus conflictu & peremptus haut procul à monte Atlante, fratri ſuo permittebat urbem Algiriam. Is porro, non obſtante, quod Carolus V. Imperator expeditionem adverſus eum ſuſciperet, devictis longe lateque agris circumſitis filium ſuum Haſſenum Regem conſtituit, Solymanni Imperatoris vectigalem, ut tanti Principis fiducia ſubnixus, contra quoſcunque hoſtes integris ſemper viribus pugnaret. Ipſe in Baſſarum numerum relatus, acceptis è manu Solymanni vexillo, gladio & ſceptro Ammiralii titulum uſurpabat.

Sabellicus lib. 18. 19. 20. ſupplem. IV. Muhammedes defunctus reliquit viginti duos filios ac nepotes. Eos omnes è natu maximis unus Mulei-Haſſen occidebat, ut pacatum regnum haberet, unico Roſſeto elapſo, quem Almoravidi Princeps opulentus domi ſuæ fovebat. Nec ſolum crudelis, ſed avarus quoque locum dabat Hariadeno, ut pro navibus ſubducendis commodum portum ad Golettam haberet, prædæque decimas ſolveret. Neutrum placebat civibus, poſtquam altiori animo expendebant, proventus eos, uti ab humani generis hoſtibus acquiſitos impie & injuſte, calamitates certas attrahere poſſe. Ac Roſſetus A.C. quidem adjutus procerum favore 1532. quos inter eminebant Meſchines, Vledas, Almoravidus, copias Numidarum educebat, Tunetum oppugnabat, eo ipſo die quo Rex feſta hilaritate Amidæ filii ſui nuptias celebrabat, univerſoque populo ſolenne epulum præbebat. Cives blando Regis alloquio perſuaſi arma capiebant adverſus Roſſetum, & piratarum mercenariorum cohortibus aucti defendebant mœnia fortiter. Pugnabatur ad omnes portas cum meliori fortuna Roſſeti, quam Regis, neque tamen à civibus rebellio cepta eſt, quod votis omnibus petebat Roſſetus. Itaque Rex incolumis habitabat arcem, & Roſſetus igne devaſtabat ſuburbia, quo facto & civium animos maximo erga ſe odio gravabat & militum ſuorum opes diminuebat. Hi ergò domum abierunt, Roſſetus verò profectus Algieram, compellabat Hariadenum, jam tum late ſubactis finitimis Regulis dominantem. Ejus conſilio adibat Conſtantinopolim, & Solymanni aulam magno honore affectus incolebat. Hariadenus perpetuo curſu ad Biſertam improviſus appellebat claſſem, urbem capiebat. Inde Golettam petebat, & tormentis diſploſis adventum nunciabat velut amicus, qui prædæ aliquam partem ſolvere vellet, non vero

bellum gerere. Mox de Rosseti præsentia familiares ejus rumorem spargere jubebat, Regemque terrebat sex millibus equitum in littus expositis, ut ab urbe profugus ad deserta confugeret. Incolæ Rosseti nomine dedebant urbem, sed cum ille non adesset, retexebantur animis, & conversis armis piratas depellere conabantur, verum prævaluerunt Turci & cinxerunt munitionibus arcem urbi impositam. Rex veniebat in Hispaniam, & Carolum V. Imperatorem supplex de ferendis auxiliis compellabat. Educebat ille naves septingentas & prælio terrestri victor compellebat Hariadenum intra mœnia urbis, qui de restauranda pugna serio consultabat quadraginta millibus Pœnorum instructus, sed postquã audiret, mancipia effractis ergastulis ad portas hosti aperiendas & triremes incendendas procurrere, omissis belli consiliis, fugam capiebat. Golettæ munimentum condebatur in portus faucibus, eique imponebatur præsidium mille virorum, navale Hipponensium, ubi alteram partem classis suæ deposuerat Hariadenus, evertebatur. Rex promittebat, quod Christianorum amicus esse vellet, cumque nihil de sævitia remitteret, post septennium evitatis suorum insidiis profugiebat Neapolim. Mittebatur eo tempore Hariadenus cum maxima classe ad præsidium Regis Galliæ, atque hujus tanquam veteris & formidandi hostis incertas evagationes veritus, Cæsarem justis precibus compellare volebat, ut majora præsidia impetraret adversus infidos cives pariter ac Turcos. Dum ibi commorabatur, filius ejus Amidas fama vulgabat, Regem obiisse, ac Regnum obtinebat. Pater domum reversus cum delectibus Italicis, inibat equidem prælium, sed tamen vincebatur. Lofredius ductor, & Amidas spoliatum oculis patrem includebat carceri. Lofredius acie cæsus & cum illo plurimi, evaserunt pauci quos Tovarres Hispanus arcis Golettæ præfectus in tuto collocaverat, ut patriæ suæ redderet illos. Rex multo cruore & pulvere fœdatus, turbæ fugientium permistus, elabi omnino potuisset nisi eum hostibus prodidisset unguentorum odor, quo semper & in castris ipsis perfundebatur. Amidas offerebat Tovarri eandem, quæ cum patre fuerat, amicitiam, insuper filium Sehitem obsidis loci futurum: verum ille nunquam serio annuebat, quando indignum esse censebat eum regno potiri, qui immani perfidia nefarioq; scelere, occupavisset regnum. Ergò Cæsaris authoritate interposita accersebat Regis cœci fratrem Abdelmelechum ab ultimis Numidię agris, ubi hactenus privatam vitam degebat.

Iovius l. 6. Elogiorum num. 31.

Iovius l. 4. histor.

A.C. 1535.

Iov. l. 44. histor.

gebat, eumque latenter adducebat in urbē, è qua profectus Amidas vectigalia ordinabat inter populos socios. Ei tamen vita brevis contigit, & Muhammedes filius successit. Huic patruus Mulei Hassen filiam matrimonio elocabat, populo renitente, qui sævitiā Regis senis perosi nolebāt, ut prætextu aliquo imperii partem sibi procuraret. Amidas exul commorabatur in Gerbi Insula, & Principis ejus opibus adjutus classē appellebat ad Leptim, atq; inde coacta equitū manu adibat Tunetū. Fugiebat Muhammedes ad montana, ejusq; exemplo territus Rex cœcus enavigabat in Siciliam, ubi aliena liberalitate gavisus tantisper, exsul obiit in expeditione, qua Hispani capiebant Leptim Africæ urbē, & Cairovanæ sepultus est. Turcorum commerciis nimiū confisus Amidas, nocturna irruptione Uli-Zelis Bassę ejiciebatur, Golettæ admissus, quam defēdebant Hispani sub præfectis Gabriele Serbellonio & Pagano Auria.
A.C. 1573. Ibi tutus, donec Iohannes Austriacus victis ad Echinadas Turcis, classem duceret in Africā, ac Tunetum expugnaret. Tunc Amidā exilio damnatum & captivū mittebat in Siciliam, ejusq; patruelē Mahumedem suavitate morū commendabilem ita volentibus subditis, constituebat Regē vectigalem. Eadem opera finitimā Bisertā expugnabat, virorū quadringentorum præsidio imposito Fortuna

Thuan. lib. 55. 56. 57. 58. 59. hist.

Hispanis & Muhammedi perbrevis erat. Turci reversi in bellū sub ductu Uli Zelis & Sinanis Bassæ capiebant Tunetum, Goletta pellebant Hispanos, Auriam capite mulctabant, Serbellonium ad triremes damnabant, Regē vinculis oneratum mittebant Constantinopolim, ubi in carcere decessit. Et sic finis Tunetano regno impositus est. A.C. 1574.

CAPUT II.

De rebus gestis Ægyptiorum novorum.

1. ÆGyptum Saraceni ingrediebantur sub ductu Homari, & obtinebant multis seculis, donec invocatis auxilio Turcis adversus Latinos Palæstinenses, ab illis ipsis everterentur authore Saladino, quos rerum suarum patronos adsciverant. Saladinus posteris suis amplissima Ægypti & Syriæ regna tradebat. Saphadinus filius ejus cœterū felix, annis ultimis verò miserrimus, à Tattaris devictus & carceri inclusus fame periit. Deinde Mahaladinus, quem Fridericus II Imperator & Philippus II. Galliæ Rex bello, pio magis quam utili, afflixerunt. Porro regnavit Melech-Elmuthan, cujus filius fuit Melech Salah, qui perpetuis vicinorū bellis vexatus, majora quoq; ab erronibus Tattaris veritus, provincialiū turmis equestrib permiscuit venalitios servos. Erant illi Cumaniâ & Iberiâ orti, sub corona venditi, non magno precio empti, Muhamedis legibus imbuti. Dato præmio exercebantur armis, & brevi temporis spacio proficiebant ita, ut Ludovic IX Regē Galliæ belli sacri affectatorē

A Zacuthi P. Iovius.

A.C. 1173. A.C. 1194. A.C. 1210. A.C. 1232. A.C. 1246.

in obsidione Pelusii vincerent, caperent. Mamaluki vocabantur, quique Servatoris fidem abnegaverant, Principi suo non servabant eam, divitiarum cupidine seducti. Hunc ergo, duce rebellio-
A.C. nis Azeddino-Ebuk Turqueme-
1244. nio usi, in palatio adorti gladiis conficiebant, Niloque mergebant.

II. Ipsi gentis imperium usurpabant deinceps, Principemque virtutibus commendabilem suffragiis legebant. Primus erat is, quem dixi, Azeddinus-Ebuk, cumque pristinæ conditionis immemor commilitones suos, à quibus Principatum acceperat, elato animo despiceret, ab Emire Cotho obtruncabatur. Succedebat Cothus, alio nomine Melech-Massah, qui Tattaros depulit è Syria. Porro Bendocader, devicit Comagenam, & Richardum Angliæ Regem Palæstina ejecit. Hunc excepit Melech Zaidus, inde Melech-Messor, Melech-Nasar, Melech Adel, Melech-Saphar, Melech-Zachan, Melech-Saidus, Melech-Allah, clarissimi omnes magnis rebus gestis. Hos secutus est Caithbeius magnus, qui primum bellum gessit cum Nomadibus, cæsisque illis Arabiæ Regulos, maris Rubri accolas Dynastas, subsidiarios Mauros ac Libyas domuit. Alterum suscepit contra Jacuppum Parthiæ Regem, qui Euphratem superando repentinis incursionibus devastabat Comagenam. Tertium & gravissimum ad- A.C.
versus Turcos movit, quorum in- 1486.
gentes copias in Cilicia ad Tharsum profligavit. Sed cum Indiam appeteret quoque, prælio navali ad littora Cambaiæ victus à Lusi- A.C.
tanis discedebat. Habebat filium 1506.
Muhammedem, eum suasu uxoris Dutlibæ scribebat hæredem potestatis, antiquata videlicet lege illa, qua Princeps jubebatur votis liberis creari, non verò jure natalium surrogari. Proceres aliqui ex horum numero, qui nullam gratiæ spem pro se in comitiis habituri viderentur, donativis perceptis assenserunt, cæteri verò qui sortem petitionis sperabant ac tanti principatus fortunam in votis habebant, patre defuncto contradixerunt. Hinc lites, cædesque plurimæ obtruncato unà Muhammede, quod res mali exempli esset.

III. Tandem communi proce- *Sabellicus*
rum studio imperium accipiebat *lib. 7. &*
Campson, hactenus pace usus. *Supplement.*
Postea immiscebat se bello, quod citrà Syriæ fines gerebant Ismaël Sofi Parthorum & Selymus Turcorum Reges. Ac Selymus quidem viribus omnibus persecuturus Ismaëlem, Legatos mittebat qui rogarent Campsonem, ut suis finibus contineret sese. Respondebat Campson, non positurum se arma, nisi pacem Ismaëli amico suo darent Turci, & filium Aladoli exsulem patrio regno, quod in Taurinis

rinis habebat, redderent. Scilicet veritus, ne post eversos Parthos Syriam invaderent Turci, ipse in medio positus maximarum opum dominus cum exercitu ad Singam fluvium insurgebat. Selymus consilio mutato omnem belli vim convertebat in novum hostem, quod non incommodum accidebat Ismaëli domesticis litibus constricto, & celeri itinere in Comagenam profectus, proxime hostium castra alarios suos justa acie instruebat. Et quanquam illos feliciter satis repellerent Mamaluki, multisque occisis spolia legerent, evanuit tamen victoriæ brevis fructus, postquam Selymus admoveret machinas æneas, harum insuetis pulsibus coacti Mamaluki ordines luxabant inque fugam vertebantur. Campson ætate & abdomine multo gravis equo delapsus conculcabatur. Ejus cadaver biduo post inventum vili sepultura condebatur, caput desectũ ostendebatur in omnibus Syriæ vicis, ut populi illi, qui credebant vivere Principem & novos in Ægypto colligere exercitus, convincerentur. Deditæ sunt urbes, Tripolis, Ptolemais, Berythus, Sidon, Tyrus, Alepus, Damascus, & Comagena tota. Mamaluki abierant Memphim, & Selymus com ponendis per Syriam rebus occupatus præmittebat Sinanem Bassam cum parte copiarum, ut expugnaret Gazam. Is validæ urbi assidebat, curaturus ne quid subsidii intromitteretur, quando Gazelles & Hoccamarus recollectas Arabum turmas in propinquo locaverant, ne qua progrederentur hostes. Selymus confectis rebus properabat in Palæstinam, cum Sinane conjuncturus sese. Evaserunt levi prælio victi Arabes per desertum, urbs capiebatur, horum vestigia legendo Selymus, post quã Bethlehemi precibus ad Deum commendaverat armorum successus, arenis non sine ingenti labore superatis, Nili ripis castra sua applicuit. Mamaluki designaverant Tomumbeium Sultanum, atque is Selymo ad Mataream balsami proventu nobilem hortum occurrebat. Pugnabatur magno ardore parique spe victoriæ, Mamaluki à servis suis proditi, qui impedimentis correptis ad Turcorum castra abibant, in fugam agebantur, multis millibus amissis. Ergo Memphim occupabant, obsepiebant portas ferratis repagulis, aggeresq; cæcis fossis munitos educebant, ut æquissimo loco de Asiæ imperio, fortunis, opibus, uxoribus, liberis contenderent. Selymus, qui fortunam in castris habebat, effractis portis ingrediebatur urbem, ac conflictu triduano concidebat hostes, multisque captis Sultanum ad necem deposcebat. Hunc vix comites ultrà Nili ripas abduxerant, ut evaderet vitæ periculum si vellet, rebus ubique desperatis,

Iovius lib. 17. hist.

Iovius lib. 18. hist.

quando optima pars commilitonum ejus Selymo ad pœnam dedere ſeſe, quàm fortiter pugnando cadere, maluerant, & Arabes ſervi remigeſque dominorum ſuorum conatibus obſtarent, hoſtium turmis immiſti ſpe prædæ. Tomumbeius animo magis quàm conſilio magnus, in ſuburbiis Memphiticis ad Bulacum caſtellum noviſſimo auſu depugnabat, cæſiſque legionibus quas Jonum-Baſſa regebat, portæ urbis immittere volebat copias modicas, ubi Tattarorum & Maurorum impetu depulſus, virtutem fortuna deſtitutam graviter conqueſtus profugiebat in paludem cannis calamiſque obſitam, ut toto corpore mertus ſolo capite exſtaret, abiturus noctu inque Cyrenaicam profecturus, verum ab Arabe ſatellite proditus ducebatur coram Selymo, tormentiſque laceratus ut Regni theſauros indicaret, invictus adverſus dolores maximos pertulit omnia, confeſſus nihil, tandem mulæ impoſitus evinctis poſt tergum manibus, in porta ſuſpendebatur. Et cum illo finem habuit imperium Mamalukorum.

LIBER XXIII.

Quo continentur res geſtæ in Belgio.

CAPUT I.

De rebus geſtis Belgarum ſub Philippo II. Rege Hiſpaniæ.

E. Meteranus F. Strada, I. A. Thuanus, H Grotius, A. Thyſius, P VVinſemius, I. van Sande, Caſp. Lundorpius, E Reidanus.

I. POſt cæſum in prælio ad Nancium Burgundiæ Ducem Carolum, Regiis opibus animiſque ſuperbum, filia ejus unica Maria Valleſia, nobiliſſima animo, corpore, genere, dote ſponſa petebatur à Carolo Galliæ Principe Ludovici XI. Regis filio, ſed ipſa memor odii funeſti, quo pater in exitium præceps corruerat, animum applicabat ad Maximilianum Germaniæ Regem, Friderici III filium. Vix peractis nuptiis Galli arma comminabantur, quorum terrore partim, partim corruptis precio viris nobilibus in partes ſuas adduxerunt Picardiam, Flandriam, Artheſiam, Burgundiæ Ducatum, clientelas veteres Regni ſui. Angebat novum maritum ſpoliatio dotis, itaq; collectis Germanorum copiis mittebat illas ſub ductu Engelberti Comitis Naſſovici. Moto prælio ad Terovannas vincebantur Galli & Belgio pellebantur. Nec diu ſupervixit Maria, ſed equo inter venandũ delapſa obiit Brugis, relictis Philippo fi-

A.C. 1479.

Gerh. de Roo lib. 9. & 10. Annal. Auſtriac.

po filio & filia Margaretha. Proceres amore pacis cum Rege Galliæ paciscebantur legibus illis, quas Maximilianus approbabat: Scilicet Burgundia major, Picardia & Vallesiæ pars reddantur Gallis, Burgundia minor & Belgica tradantur Philippo Duci impuberi, Carolo Delphino jungatur Margaretha. Pax confecta est, & verò proceribus ita volentibus ex horum numero legebantur Curatores pro educando Philippo. Sublevatus isto onere Maximilianus, ut Germaniæ rebus eo melius intenderet animum, pro tempore quievit. Verum patris affectu erga filium unicum ductus, nolebat eum Gallicis moribus imbui potius quam ut Germanorum ritibus ad honestatem compositis assuesceret, itaque severis mandatis abrogabat Curatores omnes, unus ipse omnium instar futurus. Lites hinc obortæ sunt, quas more suo Galli novis suggestionibus fovebant, ut in apertam sedicionem erumperent. Gandavenses primi edictis contrariis vulgabant, nō debere Maximilianum Regē proceribus abrogatis arbitrio mero citrà Ordinum consensum succedere. Eis suffragabātur Brabanti, Geldri, Hannonii. Proinde Maximilianus cum exercitu veniebat in Flandriam, ubi in omnē eventum copiæ Galliâ evocatæ stabant. Germani fugatis illis
A.C. Ducem suum juvabant viribus
1485. omnibus, ut Gandavenses eorumque complices positis genibus deprecarentur culpam.

II. Maximilianus obsequio subditorum placatus abibat in Germaniam, ejus milites in stativis relicti non satis reverenter habebant indigenas, quamobrem nova rebellio impulit Flandros. Hanc puniturus Maximilianus adducebat copias novas, & Brugis receptus simulata amicitia, militibus paucis comitatus, maximum vitæ periculum incurrebat, cæsis militibus ipse custodibus appositis servabatur, vulgi perpetuis criminationibus expositus. Nec poterat liberari, nisi postquam accederent minæ Friderici Imperatoris, estque captivitate solutus legibus illis, ut acceptæ injuriæ oblivio sanciretur, ut militaria præsidia abducerentur, ut proceribus committeretur educatio Ducis Philippi, ut privilegia nationum in vigore legitimo conservarentur, ut pax data Gallis novo rescripto confirmaretur. His conditionibus obligatum Maximilianū dimiserunt, atq; is Brabantium adibat reversurus in Germaniam. Imperator suadebat, ne vellet servare quæcunque vis ac metus præter & cōtra jus omne ei expressérant, sed injuriam ulcisceretur armis. Ergò obsidebat Gandavū sex mensib. & viciniā omnē per Alberti Saxonici turmas devastabat, cæterum urbes tentabat frustrà, pacem impetrabat Philippus Austriacus, sedecim annos natus & concordibus votis

Right margin: A.C. 1488. (beside "His conditionibus"); A.C. 1492. (beside "trabat Philippus")

votis omnium declarabatur, Regimini per se obeundo aptus esse.

A.C. 1496. III. Ducebat matrimonio Johanne Arragoniæ Regis filiam, & Belgium suum uniebat cum Legionis Regno, quod præsens administrabat, constituto Belgii Rectore Wilhelmo Duce Crojæ. Ipse moribus optimis summo favore omnium subditorum usus domi forisque, provincias florentissimas obitu, ex nimio peponum esu contracta febri, destituit, anno trigesimo ætatis. A.C. 1506. Sororem ejus Margaretham, Philiberti Sabaudiæ Ducis viduam, cui nupserat postquam Carolus Delphinus repudium illi miserat, præfectura Belgii donabat Imperator. Adolescebat interim Carolus Philippi filius primogenitus, eodem fere tempore summis titulis potitus, ut esset A.C. 1520. Princeps Belgarum, Rex Hispaniæ, Imperator Germaniæ. Præfecturam confirmabat amitæ suæ, A.C. 1531. quando populis gratissima ipsa erat, & defunctæ subrogabat Mariam Ungariæ Reginam viduam, *Fam Strada p. l. 1.* sororem suam, pietatis & affabilitatis laude clarissimam. Caroli filius erat Philippus II. qui cum firmæ A.C. 1555. ætatis compos esset, præfecturam ad se transtulit, Maria fratrem secuta in Hispaniam, provixit in monasterio.

IV. Negocia Regni jubebant, ut Rex præsens esset, quare Belgio *Strada l. d. lib 2.* excedebat Philippus, ejusque regendæ curam imponebat Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci. A.C. 1557. Vincebantur Galli magno prælio ad San-Quintinum Picardiæ urbem, qui speciosum Pontificiæ tutelæ prætextum libenter amplexi, non tam causam quam exitum belli cogitabant, & haut temere sibi persuaserant, superandum à se novum inexpertumq; armis Principem, cujus Patrem militiæ veterem, gentiumque domitorem vinci demum posse, non uno documento palam fecerant. A.C. 1559. Defuncto Philiberto succedebat Margareta Parmensis vidua, Regis soror, quæ milites hactenus in bello adversus Gallos magnis impensis con- *Strada l. d. lib 3.* ductos, Regis jussu per vicos & oppida distribuebat, cumque incolis oneri essent, libello supplice in Comitiis Gandavensibus ac Regem perlato rogabant, ut in magna rerum omnium tranquillitate vellet milites abdicare, civiumque bono vectigalia minus necessaria abolere. Et quanquam Parmensis, impellente Granvellano cunctabatur, quod spei plurimum haberet in veterani militis virtute ac fide, si quid forte domi turbaretur ex contagione finitimorum, qui magnis de Religione discordiis conflictabantur, Regis tamen fortunæ expediebat, ut Genti maximæ libertati assuetæ semper nihil denegaret, milites sequenti anno profecti navibus in Africam, vel exautorati, incolis non amplius erant graves. Sed majus illo onus im-

imponebatur cervicibus plurimorum, quia enim Concilium Tridentinum in perniciem melioris doctrinæ tunc temporis promulgabatur, unicus Protector ejus Philippus Rex à Monachis impulsus hæc edicta vulgabat in Belgio: Concilii Tridentini decreta omnia recipiantur: Quæsitores fidei instituantur, cumque opus est, brachio seculari juvetur. Antonius Granvellanus Cardinalis, Archi-Episcopus Machliniensis, supremus exsecutor Regiorum edictorum describebat opes sacras, & Episcopos novos constituebat, Papæ sacramento obstrictos, qui in comitiis vota nobilium contrariis votis opprimerent, & privilegia sensim abrogarent. Hoc veluti sydere mota est belli Belgici tempestas. Nobiles proceresq; more majorum amantes libertatis, quando etiam plurimi ipsorum Reformatæ religioni accesserant, Romanam curiam oderant. Wilhelmus Orangius, Lamoralius Egmondanus, Florentius Mommorantius Hornanus, Regii per Belgium Administratores ægrè ferebant, Inquisitionem Hispanicam Regis jussu introductam, & Episcopos locis plurimis constitutos esse, quod non tàm Religionis (quæ facilius persuaderi quàm cogi posset) libertati impositum jugum, quàm Patriæ incommodum summum, arbitrati querebantur apud Margaretam Parmensem, atque ejus beneficio obtinebant in Regis aula, ut Granvellanus juberetur Belgio excedere. Et Margareta quidem propitia utebantur Guesii illi, verum Granvellanus facti vicem relaturus, in aula Hispanica tantum effecit, ut Belgicæ Rector designaretur Ferdinandus Albanus Hispanorum genere inter primos, vir crudelitatis insitatæ.

Ioh. Meursius lib. 1. Rerum Belgicarum, Henricus Paulinus de rebus Belgicis lib. 1. 2. 3.

A.C. 1565. *Strada l. d. lib. 5.*

Strada l. d. lib. 6.

V. Picardia in Belgium emittebat imaginum dejectores, atque illi Valancinis & Tornaci imprimis grassari, quia Zelum citrà scientiam habebant, & fures plurimi, pauci verò essent pietatis studiosi, pessimè rebus suis consuluerunt, ut religio melior cum rebellione permisceretur, ac medicina insecuta excederet modum. Lanoia turbarum præco apud Tornacenses exurebatur, Faveanus idem conatus in Valancinarum urbe, ne vivus arderet, vulgi concursu liberatus evasit. Procerum causam Madriti coram Rege exponebant Johannes Chimaius Marchio Bergensis & Florentius Baro Montignius, aurei velleris Equites. Interim Ordines provinciarum icto inter se fœdere, armis defendebant conventicula sua, quod rumore perlatum in Hispaniam, atrocibus consiliis ansam præbuit, Legatis Ordinum in carcerem ductis, & Chimaius quidem veneno potus

occubuit, Montignius gladio percussus est, fas gentium sanctumque inter hostes legationis nomen frustra pro se allegantes, negabatur enim, subditis cum Principe tale commercium juris intercedere. Regis sævitiam ulturi Flandri & Brabanti armatas copias educebant, præsidia vastabant, Brederodio & Marnixio ducibus usi, sed clade accepta ad
A.C. 1567. Ostervelam concedebant domum, sacros conventus militari subsidio tueri pergebant, eorumque exempla palam sequebantur Transisulani, Geldri, Hollandi, Zelandi. Nobiles, & cum eis Wilhelmus Orangius, mature satis in vicina Germaniæ loca commigrabant, postquam luculento ad Regem scripto docuerant, nisi hæ saltem religiones permitterentur, quas vicina imperia necessario recepissent, anceps ipsi discrimen, utique ac exhaustis populis opibusque damnosam victoriam fore. Egmondanus manebat in provincia, confisus postquam conciones publicæ omissæ erant, placatum Regem esse. Albanus cum imperio amplissimo aderat demum, Hispanorum legionibus comitatus, Bruxellis magnificè exceptus, Dux bellimissus in gentem pacatam. Proceres Regis nomine evocabat, ut coram adessent & rationem administratæ hactenus provinciæ redderent in Consilio sanguinario. Egmondanus & Hornanus in potestatem ejus incauti nimis concedebant, quos perduellionis accusatos, in foro Bruxellensi capitis supplicio affecit Tyrannus. Orangius in Germania, & frater ejus Ludovicus Nassovius in Gallia milites scribebant. Et prior quidem Nassovius ducebat in Frisiam, Comitem Arembergium Hispanici præsidii Rectorem velitatione ad Hilgerlæam cædebat, Gröningam obsidebat. Succurrebat Albanus cum ingenti manu, & fugatum inde Nassovium cogebat Gemingam abire, oppidum comitatus Embdensis, ubi denuo improvisus aderat cum valido exercitu, hostesque insigni prælio vincebat. Ludovicus post fortiter navatam operam confugit Emdam, inde provisurus, quomodo posset Comitem Emdensem adversus minas Albani armis per Juliacenses agros nuper collectis defendere. Verum illo in Bataviam regresso volebat tuto itinere omnes reliquias exercitus sui conjungere cum Wilhelmo, qui in Trevirensibus agris copias lustraverat, porrò superabat Rhenum & infra Aquisgranum castra metatus Burgundiam invadere cogitabat. Sed quod Helvetios fidejussores noverat eosque irritare hoc cumprimis tempore haut consultum erat, per Eburones mutato consilio tendebat, & Leodio fru-

Grotius lib. 2 Annal. Strada l. d. l. 7. 8.

stra

ſtra tentato, quod intercipi poſſe putaverat, ad Moſam accedebat, ripas ejus tractu latiſſimo inſidens, non ſine magna Albani, qui in proximo ſolo caſtra ſua habebat, trepidatione, ſuadebantque Hochſtratanus, Batenburgus Lomervallius, ut hoſtem invaderet. Sed Wilhelmus in tanta mercenariorum colluvie prædones quàm milites plures ſemper eſſe, cogitando prælium recuſabat. Serò tamen facti ejus, quod dubium exitum habere poterat, ducebatur pœnitentia, cum penuria commeatus Brabantiam pervagatus, ad Lovanium conſiſtebat, hoſte ſemper inſequi pone auſo. Prælium uterque defugiebat, velitationibus certabatur, quæ Hiſpanis omninò proſperæ erant, cæſiſque duobus millibus Germanorum, Sanctius Avila & Conſalvus Bracamontius victoriam obtinebant. Vulnere ſaucius Hochſtratanus obiit, Lommervallius captivus factus Bruxellis ſecuri percuſſus eſt. Hac clade accepta VVilhelmus reſtaurabat vires in Lucemburgenſibus agris, ubi accedebant ei voluntariæ Gallorum copiæ, ſub Lanoio & Morvillerio præfectis. Redibat ad Moſam, cumque Leodienſis Epiſcopus tranſitum denegaret, in Hannoniam & Cameracenſem ditionem flectebat agmen, obvias Avilæ & Loppeſii turmas profligabat, & cladem nuper illatam ſibi utcunque ultus, patefacta ferro via, in Galliam abibat Somona tranſmiſſa, commeatum & pecunias ab amicis petiturus. Verum infelicior ſua Orangio victoria, quàm Albano fuga, erat, ſiquidem copiæ Germanorum in peregrinis terris omni præſidio argentario deſtitutæ, abjecta fide redibant domum. Albanus gaviſus, quod tàm validas copias hybernorum inopia ad paucitatem redegiſſet, in arce Antverpiana ſtatuam ſibi ponebat, multo verborum honore, quod exſtincta ſeditione, rebellibus pulſis, juſtitia culta, provinciis pacem firmaviſſet, inde victorem ſeſe ferens in populos eos, quos nondum ſenſerat eſſe hoſtes, ſacratum enſem dono capiebat à Papa Romano, ac periculi ſecurus pergebat more ſuo urendo, obtruncando, expilando, decimas & viceſimas imponendo. Orangius cum veris principio revertebatur in Belgium, potituſque navibus milites addebat nautis, qui mare infeſtum haberent ac portus Hiſpanorum diriperent. Aucta paulatim claſſis in vicinia Hollandiæ & Zelandiæ ut ſexaginta navium efficeretur numerus, quæ ſub præfecto VVilhelmo Comite de Marca non ſegniter rem gerendo, Brilamque ad oſtium Moſæ oportunam urbem repentino terrore, inter trepidantes aut volentes, capiendo, libertatis vexil-

A.C. 1570.

Ioh. Meur ſius lib. 2.

lum erigebant. Bossuvius Tribunus legionibus Hispanicis ad urbem depositis, nocturna Geusiorum irruptione profligabatur. Mox Hollandi & Zelandi auxilio ibant, affluentibus quotidiè Gallorum Britannorumque mercenariis, quibus ex rebus novis spes licentiæ erat, ac fœderis Principem designabant Orangium qui tunc temporis per Gelvriam tentabat multa, Ruræmundæ, Lovanii, Dendermundæ, Machliniæ receptus optima civium voluntate.

VI. Ludovicus Nassovius Gallicis turmis comitatus Bergas Hannoniæ capiebat, favore civiũ adjutus postquam Hispanus miles in castra Albani exiverat, urbe evocatus, eique ita sese immuniebat, ut ad depellendum illum omnibus Hispanorum viribus opes esset. Albanus veteres novasq; copias instruebat, obsidionem formabat. E Gallia pro liberando Nassovio advolabant quingenti equites, quinque mille pedites, non repugnante Carolo Rege, pariterque ex Germania procedebant copiæ duodecim mille virorum, Palatinis Rheni Ducibus. Poterat magno terrore bellum circumferri nisi incautiores Gallos recta via Bergas versus euntes explorato itinere Hispani Duces Avila, Valdesius, Romerus prælio invasissent & profligavissent. Senlisius agminis ductor veniebat in potestatem, pro cujus incolumitate Rex Carolus per legatum suum acriter contendens, serio an secus, incertum est, & captivus nõ longe post exanimis in custodia sua inventus, credebatur injecto faucibus laqueo interiisse. Rex Carolus ultimum hunc fabulæ actum imposuit, ac toto Regno cædes Evangelicorum pessimis artibus patrando Orangium deserebat. Is legiones alias abdicabat non sine harum indignatione, alias in Bataviam mittebat, ut procul ab hoste atque pacis alicujus compotes agerent. Secuta est Bergarum deditio honestis conditionibus, quando Gallorum plurimi defendebant mœnia, Nassovius incolumis abibat Ruræmundam. Hanc quoque & cœteras urbes post Orangii decessũ Albanus recuperabat, cives nulla sexus, nulla ætatis reverentia jugulabat, spoliabat, Frisiæ urbes plurimas devastabat, terrorem ubique circumlaturus. Quo tamen irritabat Geusios, ut Mitelburgum adorti ejus urbis portum caperent ac communirent, navesque Hispanicas, quas Bossuvius regebat, prope Enchusam demergerent, inopiam publicam navalibus prædis solaturi. Madidus sanctorum cruore Albanus cum non tam senectuti quã famæ sollicitus, quietem jamdudum oraret, post Harlemum Bataviæ multis laboribus captum atque im-

Ioh. Meursius l. 3. 4.

A.C. 1573.

immaniter direptum, nec non impr ospere obsessam Alcmariam evocabatur in Hispaniā, locumq; dabat successori Ludovico Zuniga Requesensio mitis ingenii Viro. Is mittebat Sanctiū Davilā, ut Mosæ ripas ab hostiū incursionibus liberaret. Cōcurrebatur prælio ad Muckerheidam, quo victor Davila occidebat Ludovicum Nassovium, hujus cadaver inveniri post cædem factam non potuit, adeoq; paludibus absorptus credebatur vir magni & pugnacis animi, cui plura audacter tentanti pauca feliciter successerant. Avila vero cum militum sedicione luctatus est deinceps, conquerentium se tot bellorum victores debitis stipendiis fraudari, itaque rapido agmine petebant Antverpiam, spolia ditissimæ urbis, opes civium minabantūr velle se diripere, nisi pecunia solveretur, & quia verebatur, ne petulantiam in apertam perfidiam mutarent, decem mensium stipendia numerabat, inde ad obedientiam reversos in Bataviam ducebat, Leidam cingebat mensibus septem, præerat urbi Janus Dousa, cujus magna virtus exstitit in defendenda illa, quando famis calamitas urgebat cives. Tunc vero Orāgius perfossis aggeribus Oceanum derivabat in hostium castra ad hoc ventis mire obsecundantibus, ut metuentes, ne submergerentur, abirent. Quin & mœniorum ruina, ultimum urbibus malum, tunc fuit salutare, objecta auribus hostium eruptionis imagine, quæ eos decipiebat & terrebat cum magna Requesensis indignatione, qui armorum & virorum jacturam maximam faciebat eluvione ingruente. Ergo pacis consilia proponere ausus, Bredæ indictis comitiis jubebat, ut bello omisso Geusii vellent Regis obsequium lubentibus animis suscipere, urbes, arces, machinas, navesque tradere. Contra instabant illi, tunc demum hoc facturos sese, cum Rex permitteret Religionis exercitium liberum, exterorum delectus avocaret, magistratus indigenas constitueret. Negabat Requesensis, posse aliquid horum fieri, cum Rex peregrinas religionis consuetudines omnes severo edicto prohibuisset, ac Hispani pro indigenis censeri merito deberent, quando Rex Hispaniarum Belgii Princeps esset. Ita dum suas quisque nunc querimonias nunc expostulationes proferebat, re infecta solvebantur comitia, & Petrus Melendes è Biscajæ piratis nobilissimus naves comparabat, ut Brilam invadere posset, verum correptus morbo contagioso decedebat. Princeps Wilhelmus ad externas opes conversus, nunc Regem Galliæ, nunc Reginam Angliæ, quorum patrocinio utatur, deligebat. Erant causæ non

leves, propter quas Cæsar hoc tempore Belgarum rebus immisceri nollet, Angliæ Regina præferebatur, tum quod hostis esset Regis Philippi, tum quod Religionis sacra eadem foveret, tum quod Oceani potens. Mittebantur Legati, Philippus Aldegundius, Janus Dousa, Paulus Busius, petebantque supplices, ut Regina armis opibusque suis vellet afflictos Belgas, contra Hispanorum implacabiles persecutiones tueri. Galliam tunc Henricus obtinebat, qui Hispanorum dolos perosus, & pari arte grassandum ratus, pecuniam suppeditabat, liberosque portus concedebat.

VII. Regina metu potentiæ Hispanicæ, an quod exemplum displicebat, sive etiam quod Gallorum invidiam ferre nollet, promittebat, quod intercedere potius quam arma capere, pro iis vellet, interim Hispani progressi ad Insulas Zelandiæ, crudeliter vastabant omnia. Requesensis decedebat Bruxellis, post cujus obitum ad Senatum regiarum partium administratio translata est. Flandri & Brabanti animis receptis oblita sub Albano nomina, jus Ordinum & leges vocibus publicis laudabant. Milites denuo seditiosi, Alostam Flandriæ oppidum diripiebant, Trajectum ad Mosam nec non Antverpiam populationibus & incendiis deformabant, obvios ferro mactabant, passim clamor, sanguis, vulnera, prælia, planctus. Nihil profecerunt Obtestationes vel comminationes Ducum, quos inter Mansfeldius Comes præcipuæ authoritatis erat, & vero Chappinus Vitellius paulo antea obiverat, militibus gratissimus, quique hactenus non unam sedicionem virtute sua compresserat. Belgii Ordines tam atroces injurias miserati, comitia indicebant Gandavi, ut de communi salute deliberarent. Suadebat Wilhelmus, ut Hispanica servitus plane excuteretur, arces destruerentur, peregrini milites ejicerentur, vectigalia minuerentur. Plurimos sibi faventes habebat, uno excepto quod Regis obsequium animis eorum eximere non posset, cæterum has leges sanciebant, ut amicitia societasque armorum, fœderum, commerciorum inter provincias rata esset, ut præteritarum injuriarum oblivio sanciretur, ut captivi sine precio dimitterentur, ut viribus conjunctis milites Hispani pellerentur, ut Religionis exercitium liberum permitteretur, ut Wilhelmus præfecturam maris sortiretur, ut bona fisco applicata veris dominis redderentur, ut exsules restituerentur, ut castella indigenis traderentur. Mox Gandavo, Cameraco, Bruxellis ejecti sunt Hispani, vexillis ademptis. Rex ipse perlatis ad se conditionibus edoctus

A.C. 1576. Strada l.d. lib. 9

quan-

quanto omnium studio approbarentur, & patere externas amicitias, si quid durius in suos statuisset, cedendum tempori existimavit, editaque lege, qua pacta confirmarentur, clam interea quæsivit spacium cogitandi ad disturbandam societatem. Superveniebat istis motibus Johannes Austriacus clarus navali in Turcos prælio, & Lucemburgi constitutis rebus, pacem toto Belgio promulgabat, Antverpia, Ultrajecto, Culemburgo evocabat milites Hispanos. Ita belli impetus aliquamdiu stetit, Orangius tamen non fidebat admodum Johanni artibus Hispanicis imbuto, quem imparatum hactenus & in finibus agentem maluisset armis pellere, quam proprius admittere. Hoc alii primariæ nobilitatis viri Hispanico nomini privatim obnoxii prohibuerunt. Brevi sublata est concordiæ opinio, namque Austriacus potentiam Orangii qui apud omnes Belgicæ civitates ingenti fama libertatis autor ferebatur, haut laturus ultra pacem abrumpebat, Namurcum intercipiebat Hispanos Belgio nuper ejectos, cruenta secum spolia & multorum annorum rapinas trahentes clanculum revocabat, Germanicas etiam cohortes, quæ stipendiis necdum solutis, in Belgio manserant, ad deditionem urbium sollicitabat. Contra ab rogabant ei Ordines imperium

A.C. 1577.

Grotius l. 3. Annal.

& Matthiam Archiducem Cæsaris fratrem, Regis cognatum, designabant Rectorem, adjuncto illi Orangio consiliorum operumque socio.

VIII. Dux Arscottanus, Lalenius, Campigniacus, qui eo tempore Flandriam & Arthesiam regebant, permoleste ferebant, rerum summam ad Orangium vergere populari gratia suffultum, quamobrem durius in eum concionati apud cives suos plurimorum animos odio implebant, & saluti publicæ, quantum poterant virium subducebant. Austriacus novas ex Italia copias impetrabat duce Alexandro Farnesio, & postquam Ordinum exercitus prope Gemblacum sub signis staret, recta in eos ducebat vincebatque, Lovanium, Dista, Arscotta, Nevilla deditionem faciebant. Orangius celeri equo profectus Bruxellas, per amicos suos explorabat in Gallia, uti Regis frater Franciscus Alanzonius operam opesque suas conferre serio vellet pro liberandis Belgis, qui eum Protectorem gentis & Brabantiæ Ducem renunciaverant. Contendebant validæ legiones sub Lanovio Duce in Brabantiam, & velitatione ad Herendalam superatus hostis ne illa die prorsus debellaretur, victoris inertiæ debuit. Cæterum Austriacus non diu superfuit, peste correptus in castris ad Namurcum, miles fortis

ac

A.C. 1578. *Strada l.d. lib.10.*

ac felix. Successorem accepit Alexandrum Farnesium Parmæ Ducem, gloria militari illustrem Terrere noverat & ignoscere, veras artes quibus Belgæ caperentur. Hic Antverpiā aggressus, depellebatur Orangii virtute, qui tunc temporis ibi aderat. Felicius successit in expugnando Trajecto ad Mosam. Sequebantur Lucemburgenses, Hannonii & Arthesii: factoque ad Parmensem concursu, exitiosis litibus corrumpebant omnia, ut Hispanorū res deinceps valde augerentur. Alanzonius nectebat moras, & paulo serius veniebat instaurandæ belli fortunæ auxiliator, postquam major pars Brabantiæ, Flandriæ & Geldriæ armis Hispanicis succubuisset. Matthias cum gratia muneribusque dimissus, à Philippo vero etiam æternum odium promeritus, concessit domum, ut bellum Ungaricum contra Barbaros administraret. Orangius fœderatorum Princeps à Rege suo pro mercede accipiebat proscriptionem, ergo ille ut partium causæ prodesset, Regi ob violatas leges imperiū abrogabat, ac porro Alanzonium jubebat insignia Ducis Brabantiæ & comitis Flandriæ capere. Quod cupidissimo animo fecit, sed infido, ut non multo post apparuit. Namque urbes optimas spoliare opibus, & antiquatæ dudum clientelæ jure cum Galliæ corona unire iterū volebat, hinc

Grotius l.4 Ann. Strada part.2. l.1.2.3.4.

odia publica excitavit, civesque facto concursu Antverpiæ, Dunkerkæ, Dixmudæ, Ostendæ, Brugis, præsidia ejus expulerunt, antequam ipsi perirent. Alanzonius ad Gallos suos rediit, veritus ultra habitare cum gente quam læserat, relicto Bironio Duce, ut Flandriæ nutanti adversus Hispanos cum modicis copiis succurreret. Hunc tamen ipsi Flandrorum præcipui Gandavenses perfide agendo hostibus prodiderunt, ut capta Duinkerka stabilem nacti locum in hostico solo, contrarias molitiones disturbarent. Orangius causa melior, armis superior Delphis occubuit globo trajectus à nebulone Balthasare Girardo, A.C. 1584. quem Parmensis ære conduxerat, Flandria tota deditur Parmensi. Atque is eodem fere tempore duos hostes cervicibus suis exoneravit, quandoquidem Alanzonius veneno infectus paulo ante obierat. Denuo ad Anglos mittebantur Legati, eorum Regina certis indiciis compererat, magnam ab Hispania classem brevi adfuturam, ut Belgium simul ac Angliam peteret, itaque Franciscum Dracum emittebat cum navibus ad diripiendos Americæ portus, in Belgium ire jubebat Robertum Dudlejum Comitem A.C. Leicestriæ Hic melior aulæ 1586. satelles quam belli ductor, negligentia sua promovebat res Hispanorum, ut multis oportunis

Grotius l.5 Annal. Strada l.d. l.6.7.

tunis Geldriæ locis potirentur.

Grotius lib. 1. Hist. Strada l. d. lib. 8. 9. 10. IX. Fœderatis non placebat Anglicus Rector, adeoque imputaverunt culpæ, quod benificium eorum in ipsos vertendo, veluti in provinciam missus, occulta cum Anglis maximè clientibus consilia iniret, qua ratione muniret imperium. Ergò dimisso illo contenti aurum, naves, milites ab Anglis accipere, militiæ Imperium deferebant Orangii filio Mauricio, paternæ virtutis hæredi Principi.

A. C. 1588. Terribilis ab Hispania classis, quæ Angliam oppugnatum veniebat, profligata est, non tàm ope hominum quàm Dei benificio, unde ingens rebus Belgicis accessit incrementum, & culpam omnem rei malè gestæ Hispani rejecerunt in Parmensem, quasi ille maris Dominus alter penes Deum esset.

Grotius lib. 2 hist. Mauricius felici tyrocinio expugnabat Bredam, patrimonium suum, occultatis militibus in navicula quæ vehebat cespites. Parmensis ex diuturna felicitate in miseriam, ex fiducia in desperationem versus, alieno magis impulsu quàm consilio suo, quod odisse ceperat, in Bergæ-Zomiæ obsidionem trahebatur. Depulsus cum magna exercitus jactura, iter relegit in Flandriam, proditione verò Anglorum militum occupavit Gerdrutisbergam. Et tamen illi in maximis rerum motibus vacabat, ut Galliam ingressus, propriis negociis damnum accerseret. Zutphania, Culemburgum, Daventria, Delphi, Hulsta, Neomagum, Steinvvicum, Covordum, portis apertis admittebant Mauricium, cæsis hinc inde legionibus, quas regebant Verdugus, Barlemontius, Gonzaga, Arembergius. Obsidebatur Gerdrutisberga, quo tempore Parmensis viridi adhuc ætate laboriosam animam exspiravit Trajecti, postquam annis decem & quatuor Belgium rexerat, multasque gentes sub Papæ & Hispaniarum Regis obsequium perpetuis victoriis usus retraxerat, ultimis annis spretus paulum à fortuna, seu post Antverpiam expugnatam voluptatibus sese dedit gloriæ satur, seu cognitis suspicionibus Regis adversus magnam famam remedium ex segnitie concupivit. A. C. 1592.

Petrus Comes Mansfeldius militib. præfectus tantisper in castris regebat opes inopes ac turbidas Hispanorum, donec cum majori imperio adesset Ernestus Austriacus, quando alterius senecta impar futura laboribus bellicis putabatur. *Grotius lib 3. hist.* A.C. 1594.

Gerdrutisberga capta est, deinde quoque Gröninga, neque poterat Ernestus impedire, quando Regis jussu copiæ Hispanicæ in Galliam abierant, ut Mainium Ducem seditiosũ juvarent adversus Regem Henricum. *Grotius lib. 4.* Pacis leges vulgabat Ernestus ad fessos armorum cives,

uti quidem censebat, nec tamen persuadebat fœderatis. Quæ improvisa mala in vitæ tædium aut mortis necessitatem egeruntPrincipem ocii levamentis assuetum, belli abstinentem. Correptus febri decessit, & loco ejus deinceps præfuit frater Albertus Austriacus. Is contra Gallos non exiguos progressus faciebat, multas in Picardia & ad Somam urbes capiebat, fortem animum suum Philippo Regi probaturus, à quo filiam Claram Eugeniam Isabellam conjugio petebat, simulque flagitabat, ut hæreditarius Princeps Belgarum designaretur. Leges duræ Principi, cœterum alacri, præscriptæ sunt, ut fœderatos Ordines quocunque modo ad pristinam obedientiam reduceret. Verum illi erant surdis auribus, cumprimis etiam, quod Angliæ Regina literis monebat, ne Austriaco vel Gallico imperio sese adjungerent, si amicam se vellent, retinerent libertatem, aut domestico Principe Rempublicam administrarent. Itaque bella pro libertate patriæ non segniter promovebant, expugnando Môrsam, Grollam, Brefordam, Oldensilam, Rhinoberkam, Lingam.

A.C. 1596.

Grotius l. 5 6, 7, histor.

CAPUT II.

De rebus gestis Belgarum sub Philippo III. & IV. Regibus.

I. ALbertus post abdicatum Archi-Episcopatum Toletanum, purpuram sacram donabat Sanctæ Virgini, quæ Hallis colitur Hannonæ municipio, Lipsii calamo nimis fatuo celebratæ. Inde peragebat nuptias Ferrariæ, & uxore comitatus redibat Bruxelas, socero defuncto. Fœderati pro commerciorum usu navibus in omnes Orbis plagas emissis, Orientis p æsertim divitias attrahebant, gemmas, aurum, & immensam aromatum copiam. Septemtrionis interiora peragrabant, maritimo cursu ad Sinarum populos contendere gestientes, verum sævis frigoribus enecti alii, alii ferarum incursibus lacerati, perierunt multo numero, Semblæ, Vadigathæ, Samojedarum & Dickilopporum familiari conversatione aliqui servati domumque reversi gestas res & naves pelago sepultas referebant. Mauricius positis inter Mosam & Vahalim castris prædatorias Mendozæ turmas locis multis profligabat, inde navibus exercitum deportabat in Flandriam, Brugas tentabat, sed repulsus

A.C. 1599.

Grotius l. 8, 9 & 11, 12, 13, hist. Ioh. Isaac. Pontan. l. 2. Rerum Amstelod. cap. 20. seqq.

via recta ducebat in hostem, qui cingebat Ostendam. Et quamvis primum Alberti impetum non sustineret, amissis legionibus duabus, quas Ernestus Nassovius regebat, ut tamen virtutem reliquorum acueret, navibus in Zelandiam abire jussis, ipse cum ordinato agmine deflectebat
A.C. Novoportum. Sequebatur Al-
1600. bertus, & mari cinctis Batavis prælium offerebat, initio victor per celeritatem, loco motis Frisiis & Anglis mercenariis quos Comes Solmensis regebat, quique in media acie pugnabant, sed cum acie potius cadere quam aquis pone fluentibus mergi vellent, conversa rerum facie, perruptis Hispanorum legionibus, victoriam rapuerunt. Albertus victus sex mille viros in syrtibus Flandricis contumulatos perdidit, Mendoza venit in captivitatem dubio adhuc prælio, cum dejectus equo jaceret captus ac sepositus, magna pro eo Principis cura, per miserationem communis sortis. Pueri nobiles è domo Archiducis statim & sine precio remissi. Nec tamen, ut cupiebat, hostem Ostenda avocare poterat, urbs magna cum strage obsidentium, neque minus incolarum clade internecina, Spinolæ artibus, tribus annis ela-
A.C. psis expugnabatur. Tot enim
1604. ibi exhausti fuerunt labores, tot opera emolita, tot ingenii, fortitudinis, constantiæ exempla edita, tot cum hoste, morbis, fame, eluvionibus, sufflossionibus, conflictus acti sunt, ut annalium fides laboret. Centum & quinquaginta mille viri in apparatibus illis occubuerunt, dum ultro citroque fecerunt & sustinuerunt fortia, neque alter alterius virtuti cedere voluit.

Pompejus Justinian. l. 1. 2. 3 Rerum Belgicarum

II. Longinquam navigationem molitus Olivarius del Nort penetrabat fretum Magellanicum, & ignoti adhuc Orbis partes aliquas adibat, in de circumnavigato omni terrarum ambitu, non quidem opes ullas, sed clarum patriæ decus & non audita ante locorum nomina domum retulit. Mauricius capiebat Sluisas, quæ amissæ plus damni attulerunt Alberto, quam in Ostenda sumptibus immensis capta lucratus fuerat. Spinola ob eversam Ostendam aurei velleris Eques renunciatus de bello in Frisiam transferendo consultabat: verum quia Mauricius in vicinia Antverpiæ octodecim millium copias ducebat, misso in Frisiam Buquojo, ipse Mauricii vestigia legebat, & Sassam Gandensem muniebat, cumque videret Mauricium ad nullius urbis obsidioné applicare sese, Rheno

Ioh. Isaac. Pontan. l. 2 Rerum Amstelod. cap. 2. Grotius l. 4. 5. 6. histor.

Pompejus Justinianus l. 4. 5. 6. Rerum Belgicarum. trajecto Lingenam, Vachtendoncam, Lochumum, Grollam capiebt. Ita feliciter agebant Hispani, sed nec omnino infeliciter Batavi, qui classe in Oceanum emissa sub ductu Jacobi Hemskerkii naves Hispanicas auriferas in prædam appetebant. Stabant Hispani classiarii ad Gades, loco oportuno sub præfectura Johannis Alvaris de Avila, primo quoque tempore abituri in Americam, ut coronarium aurum adveherent. Grot. l. 17. 28. 9. hist. Batavi impetu facto magnam hostium stragem edebant, navibus incensis, occiso Avila, periitque unà Hemskerkius, patriæ suæ fidus, viginti naves fluctibus absorptæ sunt, quatuordecim adductæ in Zelandiam Virhofius præfectus vicarius ad Mauritaniæ littora appulit, navium reparandarum causa, ei Tituani urbis prætor Turcus militiam pedestrem offerebat, fioræ ejusdem oppidum Septam à Lusitanis possessam, adoriri vellent. Cæterum ille prædæ quam belli cupidior ad Insulas fortunatas enavigabat, victoriæ precium non tam spoliis Batavorum, quæ vilia erant, quam jactura Hispanorum compensabatur. Eos cogebat penuria, ut inviti etiam reconciliarentur Batavis. Factæ sunt inducíæ annorum duodecim, interventu Regum Galliæ & Britanniæ, legibus scriptis, ut quivis retineret quæ possideret, ut mercimonia essent libera per Europam

A.C. 1609. D. Baudius, Joh. Meursius.

& illas partes Asiæ, quæ intra Æquatorem sitæ.

III. Ergo pax terris data est, mirantibus externis, cum ad eos fama pervenit, extorqueri potuisse Regi potentissimo libertatis confessionem, & Indiæ partem: mari pergebant certare. Societas Indica expediebat classem validam, & feliciter in Brasilia, Peruvia, Moluccis, Cambaja, Zeilane actis prædis opes Hispanorum diminuebant. Finitis induciis, & defuncto Alberto vidua ejus bello præficiebat Marchionem Spinolam. A.C. 1621. Fœderatorum legiones sub ductu Henrici Friderici Nassavii invadebant Brabantiam, inde profligaturus eos Spinola cum exercitu numeroso cingebat Bergam-Zomiam. Erant intra urbem sex mille præsidiarii, multisque eruptionibus vexabant hostem, sed tamen Spinolæ pertinacia vicisset, nisi Mauritius subsidio ivisset. Sociaverat ille copias suas una cum Mansfeldio & Christiano Brunsvicensi è Germania profectis, atque triginta millium virorum copias effecerat. Corduba in Hannoniæ finibus non sustinebat impetum Germanorum, ad internecionem cæsus, quo percepto Spinola deserebat urbem. Neque felicius agebat Comes Henricus de Monte Equitum præfectus, qui per concretos glatie

glacie amnes paludesque in Velaviam irrupit, ubi tantisper sæviebat in miseros colonos, donec Batavorum cohortes eum
A.C. inde pellerent. Classis viginti
1624. sex navium sub ductu Jacobi Wilkeni ibat in Americam, & portum Brasiliæ, quem vocant omnium Sanctorum, capiebat, eique impositam urbem Salvatoris, cum ditissima præda. Proximi huic periculo erant incolæ Fernambucci, alterius in Brasilia urbis potentissimæ, sed quoniam opportuna Indorum subsidia acceperant Hispani, Batavis non lubuit plura conari. Lusitani cum triginta navibus, duce Friderico Toletano, eodem profecti, Batavos ad faciendam deditionem cogebant, quandoquidem nulla spes auxiliorum apparebat. Spinola obsidebat Bredam novem mensibus, & castra sua muniebat, ne possent ab Hollandorum duce superari, ita famis calamitate domita aperiebat
A.C. portas. Ejus urbis casum non
1625. videbat Mauricius, obitu præreptus. Succedebat illi frater Henricus Fridericus, non minoris gloriæ, quando & maris fortuna oppido juvabat Bata-
A.C. vos. Petrus Heinius classis In-
1627. dicæ præfectus, direptis navibus, quæ in portu Gaditano stabant, porro vela convertebat in Americam, & viginti duas naves auro, argento, gemmis oneratas ad Cubæ Insulæ portum Matancæum expugnabat, spolia deportabat Amstelodamum. Inde tantum apud Batavos jubili, quantum apud Hispanos mœroris & seditionum ob stipendia desperata. Nam Batavis quidem abunde sufficiebant impensæ, ut exercitu conscripto obsiderent Buscoducum vali- A.C.
dissimam Brabantiæ urbem, sed 1629.
commeatu & præsidio minus instructam. Hispanis nulla nisi in divertendo hostium conatu spes reliqua erat, impetratisque à Cæsare Ferdinando II. robustis legionibus, quas Montecuculi ducebat, proprias jungebant sub Comite Henrico Bergensi.

IV. Transmissa Isala progrediebantur in Velaviam, & capto Amersfortio terrorem maximum vulgabant per Hollandiam, ubi nullo hostium metu pauci milites in stativis erant. Sed ipsa hostium negligentia rem corrigebat statim, quæ tanta erat in Hispanis Vesaliam obtinentibus, quò omnes suas opes totiusque belli subsidia proficiscentes ad Isalam Germani expilatores Germaniæ, deposuerant, ut illa incustodita proderent Batavis, quorum Tribunus Didheimius comperta socordia calonum Hispaniensium, contracto è proximis vicis una nocte idoneo numero, ur-

bem intercepit, antequam oppugnavisset eam. Montecuculi copias suas in aliorum gratiam ad extremam paupertatem redactas abducebat, Comes Henricus ultrò missionem sumebat. Buscoducum exhaustis quadrimestri corona viribus dedebat Groben-
A.C. donkius. Consimili eventu apud
1630. Antipodas pugnando, Fernambuccum & Olindam propugnacula Brasiliæ, duce Cornelio Lonko, superabant, navibus sedecim exustis. Orangius positis
A.C. castris ad Mosam, cingebat Tra-
1632. jectum, iterum verò advolabant Cæsaris Ferdinandi legiones sub ductu Comitis Papenheimii, & confidenter in obsessores irruebant, sed desertæ in conflictu ab Hispanis, & quia ingratis vincere nolebant, non sine jactura fortissimorum militum discedebant, urbs veniebat in potestatem Batavorum.
A.C. V. Defunctæ Isabellæ suffe-
1634. ctus est patruelis ejus Ferdinandus Cardinalis Hispani è Lucemburgo mediocri militum manu per Mosellam nocte silente adducta Trevirim ingrediebantur, Elector captivus veniebat Bruxellas, inde Cæsaris jussu mittebatur Viennam, quod Galliæ Regem, in cujus tutelam ille concesserat, perpulit ad bellum Cardinali indicendum. Ducebat Chastilionæus per Lucemburgenses agros, citrà Leodiensium fines, ut Mosam obtineret Batavis propior futurus. Ad Namurcum occurrebat ei Thomas Sabaudi frater cum legionibus Hispanicis, & prælio moto vincebatur, ipse Ladronam saucius fugiebat, amissis quinque millibus viris. Galli junctis cum Orangio Principe copiis tota Brabantia crudelissimis populationibus grassabantur, & Lovanium obsidebant. Erat tunc in non levi periculo Cardinalis, à quo liberabant eum Cæsaris suppetiæ validissimæ ducibus Coloredo & Piccolomineo, horum velitationibus perpetuis effectum est, ut divisis castris abirent, Galli quidem in Arthesiam, Batavi in Geldriam, ubi Rheno imposita munimenta vexabantur ab hoste. Quibus confirmatis redibant ad stativa pristina, atque interim, dum Galli omnes vires Hispanorum in se convertebant, ipsi expugnabant Bredam, porrò VVasiam ingressi duce Wilhelmo Comite Nassovio, Antverpiã improvisa irruptione occupare volebant, jamque Calloam munimentum superaverant, verum ad Marianam clade affecti & captivi omnes, Bekio victoriam pepererunt. Eadem passi Galli in obsidione Ditenhovæ magno prælio victi à Piccolomineo, procul aufugerunt in Campaniam. Batavorum alter exercitus in Geldriam contendebat, ubi munitioni-

tionibus excitandis industriè oc cupati urbem cirumvallare parabant, mox perfossis aggeribus recedebant, ne mergerentur, & Lamboius insecutus postremum agmen non exigua clade affecit.

A.C. 1639. VI. Maris fortuna longè alia fuit. Classis Hispanica sub præfecto Oquendo navigabat mare Britannicum, incerto hactenus consilio, Belgium petere, an verò in Oceanum Balthicum perrecturæ, vellent oras littorales infestare. Occurrebat maturè satis Trompius Batavicæ classis Rector, & continuatis velitationibus hostes partim aquis sepelivit, partim in syrtes Anglicas fugavit, memorabili victoria potitus. Arthesiæ urbes præcipuas expugnabant Chastilionæus & Milleraius.

A.C. 1641. Decessit Ferdinandus Cardinalis, postquam septennio fortiter satis Belgium adversus validos hostes rexerat, & vicarium regimen suscepit Franciscus de Melos, qui Harcurtium ducem Gallicum in Flandria justo prælio superabat. Veruntamen successu caruit, postquam alteri Gallorum exercitui, quem Ludovicus Anguinius regebat, in Lucemburgensi agro occurrebat, nam prælio ingenti victus, octo mille viros amittebat, Ditenhova expugnabatur. Inde Flandriam repetendo capiebant Grevelingam, Cortricum, Dixmudam, Bassseam, & nobilissimum omnium portum Duinkerkam, egregio victoriarum cumulo. Orangius novissimo impetu domabat Hulstam & Sassam Gandensem. A.C.

Deinceps Leopoldus Austriacus Belgii curam suscipiebat, & 1647.

paulò ante Orangius podagræ doloribus confectus excedebat. A.C.

Pace finiebatur bellum, qua libertas confirmabatur Ordinibus fœderatis. 1648.

LIBER

LIBER XXIV.

Quo continentur res gestæ in Ecclesia Veteris Testamenti.

CAPUT I.

De rebus gestis Judæorum veterum.

Iosephus lib.1. Antiquit. Sulpicius Severus lib.1.

I. E posteris Semi oriundus erat Abrahamus, filius Tharæ, qui consilio divino electus, ut esset progenitor magni alicujus & Deo singulariter dilecti populi, abjecto cultu idolorum, cui Oriens totus subjacebat,
A.M. 2023. ex Orchoë urbe Chaldææ profectus, commigravit primò quidem Carras, deinceps Phœniciam incoluit. Divinis colloquiis usus percepit, Liberatorem generis humani ex
A.M. 2047. Hebræorum gente nasciturum, in cujus rei sponsionem accepit Circumcisionis sacramentum, quo gentiles ejus notati dissepararentur à cæteris mundi populis. Filios imprimis habuit, Ismaëlem ex Agara pellice, Isaacum verò natum è Sara matrefamilias. Et quidem Ismaëlis posteri fuerunt Kedareni, gens bellicosa & fœcunda per Arabiam: Isaacus patrimonii optimi hæres incolatum paternum apud Phœnicas retinebat.

II. Ejus uxor fuit Rebecca, è qua suscepit filios Esavum & Jacobum. A.M. 2088.
Ab Esavo primogenito descendunt Idumæi potentissima gens, quæque perpetuis bellis vicinos Judæos exercebat. Jacobus A.M. 2185.
cognati sui Labanis viri opulenti in Mesopotamia filias duas Liam *Iosephus lib.2.*
& Rachelam uno matrimonio ducebat, totidemque pellices habebat, Bilham & Zilpam, è quibus progeniti filii duodecim, gentis familias à se quilibet denominavit. Clarissimus horum Josephus A.M. 2218.
in Ægyptum abductus, venale mancipium, incitu Dei futura prædicere noverat, quamobrem Regi innotuit tanta veneratione deinceps cultus, ut aulæ Regnique præfectus ordinaretur. Patrem ac fratres, quorum odio succubuerat quondam, urgente annonæ caritate evocavit ad se. Ceperunt illi habitare in Ramesse agris hactenus incultis, & pecuariam exercere in locis pascuis. Numero aucti addicebantur publicæ servituti,

turi, quam multis annis toleraverunt in officinis laterariis & ustrinis. Regum inclementia demum contigit, quod juberentur masculos omnes à partu recenti mergere Nilo, ita non admodum magno temporis spacio universus populus exstirparetur. Amrami filius Moses erat, compactæ fiscellæ inclusus, ut aquis innatare posset, forte Regis filia Thermutis, dum secus Nili aquas incedebat, inter carecta latentem fiscellam educebat, puerumque misericordia dignum ob formæ elegātiam visum adferebat in aulam, ubi educatus est Deo autore, qui eum maximis rebus gerendis reservatum cupiebat.

A.M. 2372.

A.M. 2413. III. Virilis ætatis compos exibat aula, cumque Ægyptium quendam rectorem operarum publicarum videret sævientem in Hebræum aliquem, occidebat hominem & aufugiebat in Troglodytidem, ubi Jethronis viri nobilis familiaritatem nactus, Zipporam filiam ejus matrimonio ducebat. Ostento divino persuasus redibat in Ægyptum, & popularibus suis facile addebat animum, miraculis editis, ne pati vellent amplius superba Regum imperia, sed convasatis rebus unanimi itinere maturarent abitum. Successit res, excesserunt omnes, viri sexcenti mille, nullius rei præter arma, inopes, & prope sinum Arabicum deponebant castra sua. Legebant vestigia profugorum Ægyptii, ut eos ad pristina servitia reducerent, verum aquis divino miraculo semotis ad unum littus, ut propter alterum, veluti in vado esset, securi pergerent Hebræi, circumeundo promontorium evaserunt ipsi, hostes ab aquis tempestatum vi compulsis mergebantur. Armis eorum ad se receptis Hebræi vicinorum irruptionibus fortiter usque repulsis, vicissim à fame, peste, venenosis serpentibus cladem non unam passi. Legem promulgavit eis Moses in Sina monte, & hujus ductu profligaverunt cis Jordanem sitos Phœnicas. Eo defuncto Josua per Jordanis alveum miraculo exsiccatum ducebat in Palæstinam, eamque belli jure occupabat, cæsis aut fugatis incolis. Servati tantum sunt illi, quos montium inaccessa loca vel major armorum potentia defendebat.

A.M. 2453.

Iustinus lib. 36.

A.M. 2493.

Iosephus lib. 5.

IV. Horum commercio seducti Hebræi, vetitas in Lege profanorum rituum vanitates amplectebantur. Nec hoc solum, verum etiam spretis armorum exercitiis, difficili eventu sæpius congrediebantur. Principem castrorum aut sorte legebant, aut virtutis opinione commendabilem admittebant. Tales erant Othoniel, Ehud, Samgar, Debora vates fœmina, Gideon, Thola, Jair, Jephta, Ebsan, Elon, Abdon, & ultimus Simson, omni-

A.M. 2536. *seqq.*

omnium quotquot fuerunt, mortalium robustissimus. Hunc Phœnices maritimi captum pistrino concluserunt, nec evasit unquam. Itaque illi victores prœliis multis, postquam Arabes quoque irruptionem conati Gileadis provinciam diriperent, necessitatem injiciebant populo, ut Regem eligerent, summa potestate pro rebus domi forisque gerendis instructum. Regum primus erat Saulus, multis victoriis conspicuus, quas reportavit à vicinis. Cœterum iracundus & sævus in irrogandis suppliciis, ultimo conflictu infelix cũ magna subditorum strage dimicavit, in acie cæsus, Phœnices cum triumpho domum redierunt.

A.M. 2851.

A.M. 2875.

Josephus lib. 6.

A.M. 2890. V. Successit David invictæ virtutis, cui imperavit nemo, ipse omnibus. Condidit regiam urbem Hierosolymorum, quæ temporibus secutis adeo increvit, ut omnes Orientis civitates fama & splendore superaret. Ibi asservavit spolia maxima Phœniciæ, Arabiæ & Syriæ gentibus erepta. Ejus filius Salomon patrias opes exhausit necessariis structuris, quas inter eminebant Templum magnificum & Regis palacium. Fuit hoc tempore velut aureum seculum apud Ebræos, adeo pacis optatissima bona affluebãt, divitiæ congestæ, fœdera cum vicinis perfecta, naves in terris auriferis oneratæ, mercimonia agitata, sapientia Regis toto Orbe prædicata. Donec senectutis vitio dissimilimus sui factus est ille Regum omnium sapientissimus quondam, & cultibus profanis animum appelleret, curamq; imperii negligeret vanitatibus Planetariorum & Magicarũ artium studio addictus unice. Defecerũt ab eo Syriæ populi, & subditorum pars magna conabatur eadem autore Jeroboamo Quæstore provinciali. Hic proditus ad Regem, ne vita mulctaretur, aufugiebat in Ægyptum. Rege defuncto revertebatur domum, & filio ejus Rehabeamo adversatus, postquã vectigalia abrogare is nolebat, decem tribules obsequio ejus subducebat. Hinc regnum peculiare exstitit, quod Samariæ vocabatur, belli civilis perpetua materies. Ægyptius Rex favebat Jeroboamo, & subsidio ibat, expugnatis ac direptis Hierosolymis.

Josephus lib. 7.

A.M. 2930.

A.M. 2969.

Josephus lib. 8.

VI. Manserunt imperia semper divisa, & Jeroboamus æterna separationis lege imponebat subditis suis, ut privatis sacris usi in lucis, publica quoque in forma Sarapidis ad fines regni adhiberent, Hierosolymis vero prorsum abstinerent. Rehabeamum secutus A.M.
est filius Abia, hunc excepit Assa, 2985.
inde præfuit Josaphat, magnæ 2988.
virtutis & pietate clarissimi. Quo 3028.
tempore in Samaria regnabant ordine, Nadab, Baësa, Ella, Simri, Amri & impietatis maximæ

ximæ damnatus Achabus, piorum crudelis latro, semper ancipitis fortunæ, prælio interemptus à Benhadado Syriæ Rege.

A.M. VII. Josaphati filius erat Jora-
3052. mus, qui non quidem virtutes patris, sed improbos Achabi soceri sui mores imitatus, male pe-
Iosephus lib.9. riit. Ei successit filius Ahasias, uno duntaxat anno rerum potitus:
A.M. hunc enim ad cognatos suos in
3056. Samariam profecturum, Jehu, qui rebellionem in locis illis movebat, comprehensum occidebat. Fratres filiosque omnes pari
A.M. nece damnabat impia Regis ma-
3057. ter Athalia, unico elapso filio. Hic Joas erat, & vero clanculum in domo Pontificis educatus locum dedit Athaliæ aviæ suæ septem annis. Cumque vi mera, nullo jure solium invasisset, ac legitimo
A.M. hæredi insuper mortem commi-
3063. naretur, interfecta est. Joas bene cepit, sed non bene finiit, victus prælio à Syris & vulneribus affe-
A.M. ctus decessit. Filius ejus Amasi-
3103. as patri moribus & successu par, vincebat prælio Idumæos & spolia opima legebat, inde Joam Samariæ Regem fortissimum, non alia de causa, quam ut vires suas ostentaret, bello petebat, sed brevi pugna victus, expugnata ab hoste Regia urbe spoliisque abductis, in magnum contemtum ve-
A.M. niebat, occisus demum à satelli-
3129. tibus.

VIII. Hujus filius Azarias feliciter pugnavit adversus Arabes & Phœnices, cumque Pontificis munia sibi arrogare & libamenta in templo adolere vel- A.M.
let, lepra correptus est, Jothamus filius imponebatur solio. 3183.
Quem pietatis & pacis studium commendat; utriusque negligentissimus erat Achas, bello A.M.
inutilis, pace iniquus, superstitionibus unice deditus. Eum 3207.
invadebant Peka Samariæ & Rezin Syriæ Reges, cæsis ubique præsidiis, agris devastatis, abductis millibus multis in servitutem. Ergo petebat subsidia Assyriorum, quibus tempore illo præerat Tiglath-Phul-Assar, atque ultro vectigalem ei sese obtulit. Cædebantur prælio hostes, & Samariæ pars aliqua in- A.M.
colis spoliabatur. Ezechias filius Achasi, regni quidem, nec tamen 3220.
morum hæres, pietate celebris, cultus profanos abrogavit, legem & ceremonias solennes promulgavit, non tantum apud subditos suos, verum etiam in profugis Samariæ populis. Hos Salma- A.M.
nassar Assyrius omnino devastave- 3223.
rat, urbibus effractis, & abductis incolis in provincias ad mare Caspiũ sitas. Loco reddiderat Cutheos, quib permixti tribules habitabant sparsim. Patris exẽplo multarũ gentiũ victor Sennacheribus invadebat Hierosolymas, quod Rex vectigalia hactenus soluta pẽdere nollet. Rex facti pœnitens

donaria plurima largiendo, vete-
resque leges subeundo, potentis
hostis gratiam seriò ambiebat,
neque is dona repudiabat, ve-
rum leges duriores præscribebat
insuper, ut patria egressi remotis-
simos agros in Assyria habitan-
dos ultrò acciperent, quomodo
Samariæ incolis haut multo ante
contigerat. Gravissimæ leges,
quasi victis datæ, sed ab omnibus
A.M. civibus rejectæ. Tolerata obsi-
3233. dio fortiter, demum pestis atrox
copias hostium absumpsit, neque
illi unquam rediverunt.

A.M. IX. Rex nimium dilectus Deo
3151. in pace obiit. Ejus filius Manas-
seh patri totus dissimilis profanis
moribus & magicis artibus in-
servivit. Resipuit verò, postquam
Iosephus Babyloniæ Rex Kiniladachus
lib. 10. eum captivum asportavit, & fœ-
A.M. do carceri inclusit. Ammon im-
3305. pius & infelix domi à satellitibus
A.M. interfectus est. Josias pius & ju-
3307. stitiæ observantissimus, ut bellica
quoque fortuna gloriam experi-
A.M. retur, Necaonem Ægypti Re-
3338. gem, qui propè fines ipsius, sed
non contrà ipsum, copias suas in
Babylonios ducebat, prælio apud
Magdalum invadebat. Amisso
milite, vulneratus ipse, reversus
est in urbem, ubi propediem
cum magno piorum luctu filio-
rumque suorum malo obiit. Ho-
rum maximus ætate Joachas suc
A.M. cedebat civium voto sed Necao
3339. nis victoris ira dejectus, regnum
tradidit fratri Joachimo, in Ba-
byloniorum potestatem redacto,
qui victis Ægyptiis belli jure Sy-
riam & Phœniciam occupabant.
Cumque defectionem molieba-
tur, cæso exercitu, confugit in
urbem. Defunctus filium Jecho- A.M.
niam habuit successorem, ætatis 3349.
teneræ. Urbe dedita patris cada-
ver vili sepultura in agris subur-
banis tumulabatur à victoribus,
perfidiæ crimen ei objicienti-
bus. Rex puer deportabatur Ba-
bylonem unà cum meliore ci-
vium turba, patruus Zedekias A.M.
imponebatur solio, Babylonici 3350.
Imperii fiduciarius. A quo in-
juria nulla accepta desciscebat, &
fœdus inibat cum Aprye Ægypti
Rege, confisus quod satis virium
haberet ad recuperandam liber-
tatem. Sed frustrà. Nebucadne-
zar dimissa tantisper obsidione
Tyri, ad perdomandos rebelles
Judæos cum exercitu abibat, vo-
cabantur auxilio Ægyptii. Hos
in Syria magno prælio victos
compellebant Babylonii, ut ad
propria tutanda reverterentur.
Judæi intrà urbem obsessi dedi- A.M.
tionem faciebant, plurimis occi- 3360.
sis, reliquis captivis aut fugatis.
Rex fortè elapsus & propè Je-
richuntem deprehensus, consilio
militari damnabatur, ut oculis
mulctatus in perpetua capti-
vitate detineretur.

CA-

CAPUT II.

De rebus gestis Judæorum novorum.

A.M. 3418. I. CAptivus in Babylonia populus annos septuaginta pertulit. Quibus elapsis Rex Cyrus edicto publico jubebat, ut in patriam suam reverti, urbem, domos, sacra restaurare, agros colere, vellent. *Sulpicius Severus lib. 2.* Emigrabant quadraginta duo millia virorum, novi populi sub novo Imperio seminarium, mixtis cum paupertate divitiis. Plurimi verò in Oriente manebant, & celebres rituum suorum conventus Regum favore usi, erexerunt deinceps. Cuthæi novis accolis insidiati, vetabant quibuscunque poterant modis, ne urbis structura promoveretur. Annis plurimis inter spem & metum agendo, urbem mœniis vacuam habitabant.
A.M. 3528. Darius Nothus Rex Persiæ longa pace felix non impediebat, sed potius diminuendo vectigalia impensè juvabat, ut Templo condito, & justo sacrorum apparatu suffultus populus, inimicis suis aut parum aut nihil concederet. *Iosephus lib. o.* Sub Artaxerxe Mnemone profectus Esdras Legisperitus melius ordinabat sacra, & Legem veterem A.M. 3550. accuratius emendando Scripturæ Canonem illum, ævo Prophetarum cessante, instituebat, quem hodiè velut libros sacros veneramur. Mox quoque aderat Nehemias civilium rerum procurator A.M. 3565. industrius, qui mœnia urbi circumdabat, arma etiã oppositurus hostibus, nisi quiescere vellent.

II. Hoc temporis spacio Principes ordine præfuerunt, Zorobabel, Mesullam, Hananias, Judas Hircanus, Josephus, Abnerus, Mattathias, Asar Mahat, Artaxas, Hagiel, Masloth, Amos Syrach, Mattathias II. Josephus II. Johannes. Eis suppares ævo Pontifices sacrorum Antistites, Josua, Jojakimus, Eliasib, Jojada, Jonathan, Jaddus. Habebat Jaddus fratrem Manassem, virum perversi ingenii & ambitiosum, Nehemiæ A.M. 3618. inimicum. Odio hujus nova sacra, novum locum sacrorum promulgabat, & Cutheorum Principis Sanballati filiam Nicasso ducebat uxorem. Regem Persiæ Darium Codomannum vexabant bello Macedones, & victis ad Issum hostibus processerant in Syriam, obsidebant Tyrum. Socer adibat Regem Alexandrum, gentisque suæ nomine fidem ei præstabat, donaria offerebat, vicissim obtinebat, ut quo loco, & quantæ molis vellet, templũ condere posset. Ergo in monte Garizim prope Sichemum exstruebat delubrum, magnificum prorsus & Sionitico æmulum. Sacrificia & cerimonias addebat Manasses Pontifex. Cuthei porro animos illos sume-

bant, ut de loco adorandi Deum litem moverent Judæis, & tantum Mosis libros approbando, negarent Davidem ac Salomonem veteris ævi Reges fecisse benè, quod montem Siloh in Ephraim deseruissent, & fœderis arcam in Sionem montem traduxissent.

III. Alexander expugnata urbe Tyro ducebat Hierosolymas, iratus civibus quod noluissent exemplo Cutheorum obsequii fidem renunciare Persis & annonam precio dato vendere. Occurrebat Jaddus procerum & sacerdotum turba comitatus, ac pacem supplex rogabat, urbem tradebat. Quo officio delinitus ille, pacem largiebatur, libertatem sacrorum confirmabat, censum modicum imponebat certò persuasus, fore ut Orientis imperium redigeret in potestatem suã, atque fidem fecit Pontifex, oracula antiqua exponendo. Jaddum sequuti Onias Priscus, Simeon

A.M. 3681. Justus, Eleasarus qui versionem Alexandrinam Codicis sacri in gratiam Regis Philadelphi edidit,

A.M. 3733. Manasses, Onias II. Simeon II. qui Philopatori Regi sacrarium aperuit, unde semianimus ope satellitum elatus, curiositatem sic satis luit, & ipse multos Judæos

Iosephus lib. 12. Elephantis conculcandos in Hippodromo objecit, sed bestiæ pepercerunt viris. Denique Onias III. ultimus eorum qui bono titulo munus sacrum gesserunt. Namque Syriæ Reges delatorum artibus seducti ceperunt persequi Judæos, velut qui clanculum favendo Ægyptiis, potentiam horum consilio & opibus suis promoverent. Imperabantur census & vectigalia magna, struebantur arces, vetabantur sacra majorum, libri sacri exurebantur, urbes vastabantur, occisis aut pulsis incolis quicunque nolebant profanos mores amplecti. Syriam regebat Antiochus Epiphanes, & quia videbatur Onias pollere autoritate apud populum, abrogabatur illi Sacrorum præfectura, & dabatur fratri ejus Jasoni, viro nequam. Hic agebat omnia ex arbitrio Regis, dejectus verò à Menelao fratre, quem ipse docuerat, sacra licitari. A.M. 3774.

IV. Oniæ filius patri cognominis migrabat in Ægyptum, & voluntate civium commodo suo usus, novum templum condebat Heliopoli; in quo sacra gentis prælegebantur sermone Græco. Syriæ Reges periculoso bello pergebant exercere Judæos, millibus multis peremptis, & reliquos accendebant, ut pro aris focisque arma caperent. Hasamoneæ familiæ vir nobilis Matthatias, sacri ordinis, collecta piorum manu, qui pro lege & patriæ libertate fortiter decertare volebant, Assideorum comitia ordinabat, & contrariis edictis relaxabat *Iosephus lib.* 13.

obse-

obſequium Regi Antiocho Epiphani debitum, poſtquam in Tyrannum degeneraviſſet. Belli ſedes, exſulum ſtatio Modin erat, caſtellum permunitum. Is defunctus filium Judam Gentis Protectorem deſignabat, qui felicibus rerum ſucceſſibus ubiq; gaviſus, hoſtium præſidia multa obruebat, cæſis ducibus. Hieroſolymas expugnabat, & ſacra publica reſtaurabat. Cum Bacchide Regis Demetrii Legato forti prælio defunctus, occumbebat, populi ſalutē vitæ ſuæ jactura tuitus. Duos fratres ordine ſucceſſores habuit. Eorum unus Jonathan bella Domini feliciter gerebat, impetrabatque reſcriptum publicum à Balle Syrorum Rege, quo Princeps gentis ſuæ renunciabatur & ſacrorum libertas confirmabatur. Simulatæ amicitiæ dolo captus à Diodoto Syrorum Rege occidebatur. Alter Simon belli & pacis artibus inſignis, victoriis multis ſtabilivit novam Rempublicam. A genero ſuo Ptolomæo Jerichuntis præfecto, qui ad imperium aſpirabat, inter epulas obtruncabatur, conjunx & filii duo ejus unà interfecti ſunt, latro profugiebat ad Zenonem Philadelphiæ præfectum. Tertius filius Johannes cognomine Hyrcanus ſucceſſit patri, Cutheorum hoſtis magnus, quos prælio victos ad pagos redegit everſo templo, urbe deſolata. Idumæos aut patria

A.M. 3782.

A.M. 3784.

A.M. 3793.

A.M. 3806.

A.M. 3815.

excedere, aut ritus legales adhibere juſſit, qui prius elegerunt amore patriæ, cum armis inferiores eſſent. Eum ſecutus eſt filius Ariſtobulus, domi ac foris crudelis, matrem peremit, Antigonum fratrem, qui Antiochi Cizyceni auxiliares cohortes in agris Cutheorū profligaverat, immiſſis percuſſorib. trucidavit. Sed nec ipſe diu ſuperfuit, horrendis animi angoribus vexatus, nō procul eo loco, ubi fratris vitā ſicariis prodiderat, infelicē animā cum multo ſāguinis coagulo evomuit.

A.M. 3845.

A.M. 3846.

V. Fratrem alterum Alexandrum Jannam tenebat in vinculis, unde liberabat eū Alexandra Regina, thoroq; ſuo imponebat. Subditis perinde & peregrinis moleſt9, quod nimio belli amore pacis bona ſperneret, ob id ſeditionib9 plurimis agitat9 ſupplicia decernebat in omnes conſcios, eorūq; cognatos, uxores, liberos, Parthorū mores crudeles imitat9 è qua gente etiā corporis ſibi delegerat cuſtodes, poſtquā diffidebat indigenis. Multas urbes eripiebat Idumæis, Syris, Arabibus. Cum Ptolomaidē obſidebat, caſtra ejus invadebat Lathurus Cypri Rex, à quo victus in Jordanis ripa, & copiis omnibus ſpoliatus, vix longo tempore vires inſtaurare poterat, civiū odiis petitus. Quamobrem à Cleopatra Ægypti Regina impetratis ſubſidiis, rejectoq; Lathuro in Cyprū unde venerat,

ca-

castris immorari pergebat, Gadaram, Amathuntem, Anthedonem, Raphiam, Gazam cruentis assultibus expugnabat, incolas ferro mactabat. Subditi ejus prodigum nimis Regem perosi, evocabant Demetrium Gryphi filium Damasci Principem, ut reliquias exercitus omnino deleret. Succedebat conflictus, & Alexander victus ad urbem Sichemum, perveniebat fuga in Gileaditidem, ubi latebat cohortibus per vicos Phœniciæ distributis. Ne Demetrius victor progrederetur, obstitit Judæorum pertinacia, quando nec victori satis fidere, nec victo solatia quævis adimere volebant. Syri stativis suis egressi ob annonæ defectum, modico stipendio accepto repedabant domum. Alexander iterum admissus, factiosos Judæos minutis præliis attrivit, ducesq; eorum intra Bethoron congregatos, urbe capta, horrendis confecit suppliciis, ut bello intestino finem imponeret. Febri obiit de-
A.M. 3872. mum, & vidua ejus Alexandra imperio præfuit, donec major filius justæ ætatis compos esset, Hyrcanus dictus nomine. Prudens in rebus gerendis mulier, auro dato placavit Tigranem Armeniæ Re-
A.M. 3881. gem, Syriæ victorem, ut Judæis pacem daret. Hyrcanus matre defuncta, cum fratre suo Aristobulo
Iosephus lib. 14. perpetuis bellis concurrebat, prælioque ad Jerichuntem inferior veniebat Ascalonem, ut consuleret Antipatrum urbis prætorem, amicũ suum, de ferenda ope.

VI. Suadebat Antipater, ne quenquam alium adiret, nisi Aretham Regem Arabiæ. Ibat Petram, offerebat precium expeditionis, urbes omnes quas pater ejus Arabiæ Regi ereptas nuper Judææ adjunxerat, & obtinebat quinquaginta millium virorum copias. Commisso prælio vincebatur Aristobulus, inque urbem refugiebat, annona copiosa in templum illata velut alterum munimentum, quando urbs defendi non posset. Arabes effracta urbe obsidebant templum, fortiter resistente Aristobulo, & pernuncios suos opem flagitante apud Scaurum Proconsulem Syriæ. Hic quadringentorum talentorum donario percepto, Senatus Romani nomine jubebat Aretham, ut legiones suas è Judæa abduceret. Parebat ille, & Hyrcani partes deserebat. Mox Orientis victor Pompejus veniebat Damascum, à quo veritus sibi Arethas tanto facilius ceptis destiterat, ne Romanos in se concitaret. Compellatus ab Hyrcano, ut litis arbiter esset, pronunciabat contra Aristobulum eique mandabat, ut deinceps paci studere vellet. Hic vero criminatus judicem absentem, pergebat seditiosus esse. Pompejus movebat in Judæam captisque Hierosolymis,

quos-

A.M. 3887. quoscunque noverat favere Aristobulo, militum gladiis objiciebat, viginti mille viros, mœnia destruebat, Idumæam & Syriæ partes liberas declarabat, pontificatum restituebat Hyrcano, civilem potestatem exerceri jubebat à Procuratore gentis Antipatro. Ita Judæam redegit in provinciæ formam, & Syriæ Proconsuli subjecit. Aristobulum ejusque filios duos, Antigonum & Alexandrum captivos abducebat. Septem annis detentus Alexander post vero dimissus, novis rumoribus turbabat Palæstinam, & coacto novem millium exercitu invadebat Syriæ agros, populatus omnia, donec à Gabinio victus in Judæam sese proriperet, montanisque confisus latrocinia sectaretur.

VII. Nec poterant eum Romani obsidionis mora frangere, postquam infidos ubique provinciales novis viribus hæc latronum agmina instaurare adverterent, Hircanus vero etiam domi sese continendo vix curaret, quid rerum foris ageretur. Sequebatur ancipitis eventus bellum, quod Parthi & Romani invicem gerebant, majoribus quoque contentionibus interpolatum deinde, A.M. 3901. cum Pompejus & Julius civilia arma commovebant. Eo tempore accidit, ut Julius potitus urbe dimitteret Aristobulum in patriam, ut amicis Pompeii negocium facesseret. Ita cum magna patrandi occasio sese offerret, atque ille duabus legionibus instructus Patroni sui partes fortiter ageret, sub primis victoriæ auspiciis, post tantas fortunæ vices in Melita Insula perimitur veneno. Nec multo post Alexander comprehensus & Antiochiam deductus, ut hostis pacis publicæ, securi percutiebatur. Post cæsum Pompejum ad Julii amicitiam protinus contulit sese Antipater vir factiosus & industrius, datisque muneribus rogavit, ut præfecturam Judææ retineret, mœnia urbis restauraret, judicia publica institueret, milites è præsidiis Syriæ acciperet. Et obtinuit, filiosque sibi adjunxit negociorum civilium rectores, Hircano approbante, ut eo felicius punirentur sediciosi. Cumprimis Herodes infensus latronibus per Galilæam impune vagantibus, quoscunq; captivos nactus erat, suppliciis mactabat arbitrio suo, nec eos offerebat Parliamento ad causam dicendam. Ob id vocatus ipse in judicium, ferociter causam dicebat, confisus Romanorum potentiæ, & quod ei faveret Hircanus. Proceres non ferentes ultra invidiosam potestatem Antipatri venenum ei propinabant, A.M. 3907. Malchi pocillatoris opera usi. Et tamen ille publicam rem optimis modis juverat semper, consiliis præpollens, aulæ studiosus. Cæsar quoque à conju-

ratis occisus, non sine magno damno rerum Hircani, quem ille Clientem suum feliciter protexerat. Herodes adibat Cassium, qui Orientis opes contra Antonium movebat, & dato auro Cœlesyriæ Princeps eligebatur. Rursum Aristobuli filius minor Antigonus, qui hactenus vixerat in domo Ptolomæi Chalcidos Reguli, civibus plurimis ad se receptis, latrociniorum novus ductor; in Galilæam ibat, victus prælio compellabat Parthos de ferendis subsidiis, vectigalia ampla daturus, confectis feliciter rebus. Herodes cum exercitu suo defendebat urbem, eo secuti Barbari irrumpebant civibus faventibus, quod non præsenserat ille, adeoque diversa via elapsus, opes suas una cum valido præsidio imponebat Massadæ castello. Vinculis nectebatur Hyrcanus & præcisis auribus, ne unquam Sacerdotio restitui posset, deportabatur in Babyloniam, ubi cum Judæis incolis vivebat liberaliter. Antigonus corripiebat urbis imperium, & Herodem perquirebat locis omnibus, ut capite mulctaretur. Is per Ægypti confinia profectus Romam, Antonio Triumviro miserrimum rerum suarum statum exponebat, & auxilium ejus implorabat, auxilia sua vicissim offerebat Romanis contra Parthos arma prolaturis.

VIII. Decernebatur, ut Rex Judææ electus in Capitolio consecraretur. Quo peracto redibat in Syriam, & acceptis à Ventidio Basso legionibus occupabat Galilæam. Cæterum adversus Parthos profectus Ventidius, & ad defendendos Syriæ agros omnem militiæ vim adhibere coactus, discedebat ab Herode, qui mercenariorum delectibus instructus pergebat sediciosos urgere, & omnia disponere ut primo tempore obsideret urbem. Antonius expugnata Samosata, Parthisque ultra Euphratem rejectis, in Ægyptum abibat, & Sosio Tribuno legiones novas tradebat, quibus Herodem juvaret in oppugnanda urbe. Suadebat Optimatum præcipuus Sameas, ut Herodi aperirentur portæ, quando ille Romanorum opibus subnixus vim facere & victis duriores leges præscribere auderet. Negabat Antigonus, & auro potius experiundum putabat, anne Sosii animus vacillaret. Verum prævalebant inimica Judææ fata, urbs cum fame & morbis conflictata, portis effractis capiebatur, rapinis & cædibus miscebantur omnia, ut Sosium increpando Herodes diceret, an solitudinis Regem efficere se vellet? Antigonus captivus deducebatur Antiochiam, & securi percussus novandarum rerũ materiã civibus suis adimebat.

A.M. 3910.

Joseph. lib. 15.

A.M. 3913.

IX. He-

Iosephus lib.15.

IX. Herodes difficilia regni sui initium habuit, verum industria & virtute paulatim eluctatus potestatem sibi firmavit. Populo gratum facturus Hasamoneæ familiæ Principes viros magnis honoribus ornavit, Hircanum è Parthia revocatum magnificis censibus aluit, Aristobulum fratrem uxoris suæ Mariamnes ad Pontificatum evexit. Hujus pater Alexander erat, quem Pompejus olim capite plexum Antiochiæ sustulerat, mox tamen displicere cepit Herodi, postquam eximiis animi corporisque dotibus conspicuus Princeps, ora animosque populi in se converterat. Dum frigoris captandi gratia natando se exercebat in aquis Hierichuntinis, circumventus insidiis eorum, quos Rex subornaverat, mergebatur. Hinc mœror subortus matri Alexandræ totique civitati. Rex accusabatur in aula Cleopatræ, quam tunc uxoris loco habebat Antonius, & Laodiceam evocabatur, ut causam diceret, evasit tamen & cædis absolutus est, datis preciosis muneribus. In bello civili, quod Antonius parabat contra Augustum, sectatus est partes Antonii, consilio non malo; quandoquidem Principis ejus benivolentiam toties senserat, inque Cleopatræ gratiam Arabes invasit bello, tributum Ægyptiis pendere nolentes. Dum alienam causam agendo nunc vincit, nunc vincitur, ac subditi ejus prope à sedicione absunt, nuncio comperit victorem Augustum, victum Antonium, fugæ intentum Hircanum. Tot malis implicitus, domesticas turbas composuit, & Hircanum principem extremæ senectutis, judicio damnatum gladio percussit. Ipse porro contulit se ad Augustum, qui tunc Rhodi legatos Principum audiebat, donisque secum allatis victorem facile permovit, ut obsequii erga Antonium venia impertita, rebus ex voto confectis, domum redire juberetur.

X. Deinceps veneratus Augustum, exercitui ejus per Syriam eunti commeatum suppeditavit, pro qua munificentia recepit latissimam dicionem ad Libanum. Turbarum incentores sedulo conquisitos gladio subjecit, fueruntque in horum numero uxor ejus Mariamne, socrus Alexandra, proceres multi. Eò plures conspirabant, itaq; suppliciis grassari veritus in omnes, beneficentia tentavit, viritim distribuendo frumentum in magna annonæ caritate, & Asiæ incolis Judæis privilegia multa in Cæsaris aula procurando. *Iosephus lib. 16.* Rursum ab eis ingéti auro donatus, templum Hierosolymitanum novis operibus exstruere cepit, quanquam non absolvit. Nulli Sectæ fidus, plurimos Saducæorú & Pharisæorum doctores A.M. 3931.

pariter ac discipulos ad necem compulit, solos Essenos propter morum innocentiam & remotam ab omni fastu mentem amavit, & fertilissimos campos Jerichuntis pro frequentandis cœtibus publicis donavit eis. Rex felicissimus, nisi eum domesticæ turbæ, & quidem gravissimæ, per intervalla oppressissent. Habebat è Mariamne uxore filios duos Aristobulum & Alexandrum, Regiæ fortunæ capaces, qui Romæ educati fuerant in domo Asinii Pollionis. Eos domum revocatos conjugio admovebat, & Aristobulus quidem Salomes amitæ suæ filiam Berenicen uxorem ducebat, Alexander verò Glaphyram Cappadociæ Regis filiam, utrumque delationibus suis apud Regem suspicioni obnoxium affligebat Salome, quod comminando patris necem spospondissent, matris ultione stimulati. Rege ipso causam dicente in Cæsaris aula, quando suas tantum suspiciones proferebat, absolvebantur illi, quia tamen mori de-
A.M. bebant, altero judicio Berythi
3945. indicto, ex sententia Volumnii præsidis, capite damnati & suspendio affecti sunt. Gratissimum hoc fuit Antipatro filio quem interfectis cœteris destinaverat successorem, & Romæ curabat artibus liberalibus imbui. De quo rumor pervulgabat, quod ope matris suæ Doridis Regi omnibus molesto venenum præparavisset. Pater evocabat eum Roma, æger ipse animo & corpore, tunc temporis ferè cum nascebatur Jesus Nazarenus Rex Sio- A.M.
nis, Liberator generis humani, 3948.
& Magis ex Arabia profectis indicium facientibus, universus orbis expectatione erigebatur.

XI. Rex filium suum carceri *Iosephus*
injectum accusabat parricidii, & *lib.17.*
à Cæsare accipiebat potestatem statuendi de filio, quomodo vellet. Pharisæi, autoribus Juda & Matthatia, quadraginta numero clarissimis Judæorum familiis orti, impetu facto auream aquilam suprà templi fores in honorem Cæsaris erectam, dejiciebant, paganæ superstitionis insignium, eos omnes comprehendi & vivos exuri jubebat in campis Jerichuntinis. Morbus sensim augebatur, vermesque de putrescente corpore scaturiebant, à quibus corrosus & doloribus suprà humanam patientiam affectus, cum nec thermæ Jordaniticæ, nec Me- A.M.
dicorum præscripta alia quicquã 3949.
efficerent, exspirabat animam, cum ante quinque dies Antipatrum jusserat in carcere necari. Divisum in quatuor partes regnum tres filii ejus obtinuerunt, ut Herodes Antipas & Philippus singulas acciperent, Archelaus *Iosephus*
verò binas, citra Regis titulum, *lib.18.*
quem tunc demum volebat Archelao dare Cæsar, quando meruis-

ruiſſet. Subditos crudeliter vexavit, cumprimis graſſatus in cives Hieroſolymitanos. Sabinus prætor Syriæ cum validis legionibus urbem ingreſſus, templi opes multas rapuit, earumque portionem dedit Principi, incolas pro templo conſervando arma ferentes occidit, duo mille crucibus affixit, rebellionis crimine damnatos. Pecunia auctus veniebat Romam, ut Regis titulum mercaretur. Sed non obtinebat, graviter accuſatus ob ſævitiam & ſuperbiam, inſuper exſilio mulctatus Viennæ in Gallia obiit. Sulpicius Quirinius cenſum egit per Judæam in provinciæ formam redactam, dato Procuratore, opibus Principis in fiſcum illatis.

A.M. 3956.

XII. Procurator erat Coponius, fratres Archelai retinebant diciones ſuas. Deinceps præerant Marcus Ambivius, Annius Rufus, Valerius Gratus. Et poſt hunc Pontius Pilatus, qui ſigna militaria cum imaginibus depicta noctu in urbem adduxit, valdè indignantibus Judæis, & cervices ſuas ad necem offerentibus, adeoque veritus ille hominum Legi ſuæ deſtrictè inhærentium rebellionem certiſſimam, vexilla remiſit Cæſariam, quando Cæſar ipſe hoc juſſerat, mitis ingenio, niſi cum non vanæ ſuſpiciones eum ad crudelitatem invitabant. Legis optimum Interpretem, Jeſum Nazarenum, miraculis clariſſimum, & Prophetarum Oraculis promiſſum Servatorem, cujus doctrinam populi omnes concurſu facto recepturi eſſent, perverſi ipſi ut Legis prævaricatorem, Cæſaris hoſtem, populi concitorem, accuſabant coram Pilato, inque crucem agebant. Poſt quod facinus perpetuis malis agitati, Deum malitiæ ultorem domi foriſque ſenſerunt. Eodem tempore obiit Philippus Trachonitidos Princeps, relictis proventibus modicis unde patruelis ejus Agrippa aleretur. Erat is filius Ariſtobuli, quem crudelis nimium pater Herodes olim ſupplicio affecerat. Cum Pilato fovebat lites, graviſſimis pœnis adverſus latrones per Galilæam frequentes animadvertere ſolito. Eam ob cauſam, & quia liberaliores cenſus è patrui defuncti bonis petebat, Romam profectus, compellabat Tiberium, ſed is favebat Pilato, & Agrippa diſcedebat re infecta, multis verò nominibus factis pauper atque inops, uſque adeo impatiens fortunæ adverſæ, ut mortem ſibi conſciſcere vellet, niſi uxoris Cypridis blando alloquio refectus ſemper, ad meliora tempora ſeſe reſervaſſet. Patruus ejus alter Herodes Antipas dabat optimam domum in urbe Tiberiadis, quam incoleret, ille tamen pertæſus rixarum Herodiadem

A.M. 3975.

A.M. 3982.

inter & Cypridem ortarum, mendicitatis probro cariturus denuo abibat Romam, ut periculum faceret, an versum esset aulæ ingenium, Cæsare jam vergente ad senectutem. Cænabat fortè apud Caligulam amicorum principem, ac inter sermones conviviales voto facto optabat, quam primum mori senem Tiberium, ut imperio potiretur Caligula suavissimus juvenis. Votum contrà salutem Principis inter gaudia domestica prolatum, parasitus aliquis indicabat Cæsari, qui Agrippam numellis ferreis adstringi & incarcerem dedi jubebat. Sex mensibus elapsis producebatur è carcere, nam Tiberius obierat, & Caligula Senatus militumque voto successerat. Ab eo donativum accipiebat, monile aureum ingentis precii, quod monumentum liberationis suæ consecravit in templo Hierosolymitano. Insuper regnum Trachonitidos & Chalcidis obtinebat Regis titulo administrandum. Anno uno commoratus apud Cæsarem, veniam impetrabat discedendi in Judæam, quique nuper admodum inopia prægravatus spernebatur, nunc comitatu & opibus insignis, Regis honore auctus, venerationi erat omnibus. Soror ejus Herodias uxor Antipæ, invidebat istis successibus fratris, itaque maritum suum quotidianis impulsum

A.M. 3986.

querelis adducebat, ut Romam ipse etiam proficisceretur atque Regis insignia peteret, Agrippæ exemplo.

XIII. Hic memor veteris offensæ perscribebat ad Caligulam de societate armorum, quam Artabanus Parthorum Rex & Antipas invicem pepigerant. Quam obrem exsilio damnatus concessit in Galliam, & provixit Lugduni, uxore comite, diciones ejus omnes acquisivit Agrippa. Nec tamen ille adeò gratissimus Cæsari poterat impetrare, ut statua ejus de templo urbis exesset, Deorum honoribus æstimata. Precibus agebat quantum poterat, & Syriæ Rector Petronius cunctabatur, non sine periculo suo, quando Cæsaris iram concitaverat apprimè. Hunc verò occidebant conjurati, & Petronius l[illegible]tatus, rerum suarum rationes Claudio non reddebat. Judææ præerat Marcellus, qui provinciam tradebat Agrippæ Regi & abibat Romam. Is potens opum, liberalitate sua demerebat civiũ animos. Cæsariæ ludos edebat, epulisque invitabat proceres, quibus peractis veste gemmis auroq; intexta splendidus procedebat in forum, & Solis radiis perfusus oculos spectatorum irritabat, ut vocibus publicis consalutarent eum velut Genium suprà hominum sortem evectum. Mox correptus gravissimis torminis decedebat,

A.M. 3989.

A.M. 3993.

Iosephus lib. 10. debat, Rex optimus sed peccatis suorum miser. Tunc iterum Prætores mittebantur Roma, & qui dem Cuspius Fadus, post hunc Tiberius Alexander, deinde Cumanus. Hoc tempore miles quidam virili membro suo producto concioni Judæorum illudebat in festo Paschatis. Cumque propterea ad arma conclamarent incolæ, prior expediebat prætor, & cohortibus immissis viginti mille utriusque sexus homines trucidabat. Ita festivitas in luctum conversa est. Samaritanos consilio & opere juvabat, ut Galilææ indigenas clanculum ac palàm spoliarent. Delatus ad Cæsarem, & causa cognita relegatus successorem accipiebat Claudium Felicem, sed Chalcidis regnum dabatur Agrippæ minori. Prætor improbus & avarus ob rapinas & alia scelera objurgabatur à Jonathane Pontifice, hunc ergo percussoribus immissis ad aras interficiebat. Nec melioris animi erant Porcius Festus, Albinus, & ultimus Gessius Florus. Studebant hoc unum, ut opes congererent, cœteris rebus neglectis. Captos latrones, si precium darent, incolumes dimittebant. Cædes factæ sunt ipso meridie, neque jam quisquam vel vitæ vel fortunarum suarum poterat securus esse. Gens turbulenta injuriis exasperata provocabat ad vindictam, arma amens

A.M. 4014.

capiebat, libertatem invocabat.

XIV. Sectatores Jesu Nazareni tolerabantur in urbe, tantum si ritus legales palam observabant, & rixis omissis studio pacis in modesto dissensu ducebantur. Regebat cœtus sacros Jacobus frater Domini, quem Ananias Pontifex, uti prævaricatorem Legis damnabat privato judicio & lapidandum populo objiciebat, ipse vicissim ab Agrippa Rege dejectus officio ad vitam privatam redigebatur. Cæsarienses Judæi ab indigenis vexati urbe exire jubebantur, quod illi non ferentes æquis animis, vicinarum urbium incolas populares suos de fœdere compellabant, bellique rumores tota Judæa vulgabant. Prodigia visa & audita plurima: Cometes horrendus urbi imminebat toto anno conspicuus: Lux insolita medinoctio in templo fulsit, ut sacerdotibus & Levitis somnum excuteret: Vacca ad sacrificium ducta corã altari peperit agnum: Templi porta Orientalis ænea & valida, cum vectes & pessulos firmissimos haberet, repente noctu patuit: Currus militares & phalanges armatæ per aëra micuerunt: Vox audita in festo Pentecostes clarissima, migremus hinc. Sediciosorum ductor erat Manahem Judæ Gaulonitæ filius, vir ab utero infensus Romanis.

Et

Et quamvis Rex Agrippa hanc solam ob causam proficisceretur ad urbē, ut pacem suaderet, non tamen persuadebat, sed lapidibus appetebatur. Manahem instructus latronum manipulo effringebat castellum Massadam, ubi Regis armamentarium spoliabat, & reversus in urbem, expugnabat arcem Antoniam, cæso præsidio, Regis palatio in cineres redacto. Tunc ei sese adjungebat Eleasar Pontificis Ananiæ filius, latro manifestarius, & persuadebat Sacerdotibus, ne vellent amplius pro salute Cæsaris preces & victimas offerre. Ananias contradicebat filio improbo, ac Romanis obsequium deferendum esse pro concione monebat, quem statim Manahem interfecit. Hunc per manipulares suos vicissim trucidabat Eleasarus, patris necem ulturus, sed tamen perseverabat hostis Romanorum esse. Cestius Gallus Syriæ Proconsul expediebat legiones suas, & Joppen, ubi rebellium agmen coiverat, invadebat capiebatque octo millibus virorum peremptis. Porro Galilæam emensus & ferro patefacta via Hierosolymas adoriebatur, sex vicibus assultum faciendo, totidem cum strage rejectus discessum maturavit. Judæi abeuntem prosecuti quatuor mille viros obtruncabant, periitque una cum illis Florus belli inconsulti incentor. Hæc victoria perpulit Eleasarum, ut armis decertare vellet pro libertate gentis, ordinabantur militum præsidia, diribitoria, collectæ per Samariam & Galilæam, constituebantur præfecti castrorum, Josephus Gorionides, Josephus Matthatiæ, Johannes Galilæus, Simon Bar Gioræ, prædæ agebantur.

Iosephus lib. 2. de bello Iud.

XV. Cæsar mittebat Flavium Vespasianum cum exercitu & auxiliis, ut Judæos puniret. Toto Oriente percrebuerat vaticinium literis antiquissimis promulgatum, venturos ex Judæa qui rerum potirentur. De præconio Evangelii sonat, quod per Apostolos in omnem orbem vulgatum fuit. Judæi vero sibi applicabant, victoriæ adversus Romanos testimonium certum, itaque Ascalonem ducentes, liberum tota Syria progressum in devicta una urbe illa sibi imaginati, castra ad eam ponebant. Sed præliis duobus ab Antonio victi & fugati sunt, cæsi ductores, octodecim mille viri perierunt. Neque deinceps feliciter quicquam gesserunt. Vespasianus prono itinere in Galilæam pervenit, Gadaram Taricheam, Gamalam, Giscalam, Sephoriam, Jotapatam munitissimas urbes ferro expugnat. Quinquaginta mille viri perierunt, triginta mille in servitutem redacti & per Romanas provincias distributi misere vixerunt, quinque mille ex altis rupibus præcipites sese

Iosephus lib. 2.


ſeſe dederunt. Regio univerſa incolis denudata eſt, agris ſolitudo inducta. Captivorum præcipuus fuit Joſephus Matthatiæ, quem apud Jotapatam ex antro milites produxerunt, & Veſpaſiano obtulerunt, cui ille prædixit, fore ut brevi Cæſar eſſet. Tam optatæ rei vates ſervatus eſt.


Ioſephus lib. 4. XVI. Galilæa perdomita exſules latrones militiam profeſſi millibus catervis properaveruntHieroſolymas, ut ibi ſtipendia mererent. Venit eodem Gamalâ profugus Johannes Galilæus, comitatus expedita manu equitum, Romani in hyberna conceſſerunt. Succeſſu temporum militaris licentia valde crevit Hieroſolymis, duodecim mille cives ditiſſimi proditionis accuſati, ad necem compellebantur, bonis direptis, ſacerdotes ad aras trucidabantur. Et hæc ab illis patiebantur quos domo & patria profugos receperant. Hi ſeſe indigitabant zelotas, verbo quidem Legis ac populi vindices adverſum Romanos, revera nebulones & fures, templum occupaverant duce Eleaſaro, atque illud cruore humano implebant quotidie, interfectis omnibus qui pacem ſuadebant. Eam vero cumprimis Ananus Pontifex urgebat, populo non admodum renitente, & facto agmine zelotas in templo cingebat. Spes erat, poſſe in ordinem redigi ſediciosos illos, viribus inferiores, verum quia clam favebat eis Johannes Galilæus, auxilio vocabat Idumæos. Hi publicis malis impliciti & Romanis infenſi, Judæis perinde non fidi, ſaltem ut eorum adderent cladibus, viginti mille accedebant urbem, Sacerdotem occidebant, zelotas liberabant, ut urbis imperium deinceps ſoli obtinerent, ipſi verò domum redierunt, ne intra urbem facinoroſis jam nimis oppletam ab hoſte concluderētur. Veſpaſianus enim ſolutis hybernis, Gamalam urbem, quæ ſemel expugnata Romanos milites ejecerat, denuo expugnabat, ſauciatus in aſſultu, triginta mille homines aut ferro cæſi aut aquis merſi ſunt, ut Jordanis decurſu illata cadavera Aſphaltitem lacum deformarent. *Ioſephus lib. 5.* Secutæ Juliadis, Biſemothæ, Bethabaræ, Abilæ aliarumq; in ditione Hieroſolymitana civitatum deditiones. Jericuntem capiebat Placidus Tribunus, totaq; Judæa parebat Romanis, exceptis Hieroſolymis, quas cominus aggredi nolebant, ut dum pugnabant ſinguli, vincerentur univerſi. Veſpaſianus abibat Cæſariam, ubi exercitus Imperatorem eum proclamavit, inde contendebat Romam, & Titum filium militiæ præfectum conſtituebat. *Ioſephus lib. 6.* Urbs in pejus ruebat. Simon Giorides ſpoliis Idumæorum ditatus, inſequentium Romanorum metu ad portum communem fugerat, ac

populi rogatu zelotas opprimere conabatur. Rursum igitur pugnatum est, & zelotæ quidem clade affecti Eleasarum ducem amiserunt, verum reliquiæ illorum Johanni Duci sese aggregaverunt. Et hic diu restitit Simoni, templi munimento fisus, unde crebris irruptionibus factis incredibilem civium stragem edidit, ignesque granariis immisit, frumento quod in multos annos obsessis sufficere potuisset, exusto. Sic fames invaluit, neque licebat cuiquam exire urbe, id enim proditionis vice habitum fuit, & Romani sensim appropinquantes venerunt, ne cibaria importarentur.

Iosephus lib. 7. XVII. Titus vallo obsidionario urbem claudebat, missoque Josepho pacem ac delictorum veniam offerebat. Sed rejectus, exercitum adducebat in conspectum urbis, & prope Scopos metabatur castra, divisis agminibus, ut urbem multis simul locis angeret. Superabat mœnia citeriora, ulterioribus abstinebat obsessorum virtute repulsus, donec hi cuniculis actis invadere vallum & pabulandi licentiam ferro aperire vellent. Namque cuniculo subsidente mœnia traxerunt ruinam, & Romani castello Antonia potiti sunt, unde cum Judæi in templum se reciperent, & hostes illico sequerentur, acris pugna in templi aditu commissa est. Denuo Titus Josepho internuncio usus pacem suadebat, antequam omnino perirent, verum Johannes nunquam id sibi metuendum esse audaciter oggerebat, quando civitas Dei perdi à Barbaris non posset. Titus pergebat, facibusque plurimis immissis accendebat templum, ut deflagraret, ædes vicinæ templo direptæ sunt, sacerdotes & Levitæ gladiis occisi. Civitatem exhauriebat fames, edebantur carnes humanæ & pecorum cadavera, quibus malis oppressi incolæ pacem rogabant. Sed quod oblatam hactenus gratiam non semel repudiaverant, abire domum & veniam desperare jubebantur. Ergò cum licebat, in castra hostium fugiebant, ut vel servarentur præbito cibo vel morte finirent acerbissimos casus. Tandem urbs ipsa in potestatem hostium concessit. Sævitum cæde promiscua in omnes, nec finis nisi milite defesso fuit. Opibus ereptis, eversis domibus, campus deinceps erat, ubi potentissima urbs quondam steterat. *A. M. 4019.*

Tomi secundi Historiæ Universalis
FINIS.





00564898